


BIBLIOTHÈQUE CLASSIQUE LATINE

— OU —

COLLECTION

DES AUTEURS

CLASSIQUES LATINS

AVEC

COMMENTAIRES ANCIENS ET NOUVEAUX


FRAGMENTS INÉDITS, RECHERCHES, DISSERTATIONS, INDEX, PORTRAITS, CARTES GÉOGRAPHIQUES, PLANS DE SIÉGES ET BATAILLES, TABLEAUX, ETC.

PAR N. E. LEMAIRE,

ANCIEN DOYEN ET PROFESSEUR DE POÉSIE LATINE A L'ACADÉMIE DE PARIS.

[illegible]

SECONDE SOUSCRIPTION.



PARIS,

ON SOUSCRIT CHEZ M. EHRMANN,

RUE DE LULLI, N° 1, PLACE DE L'ANCIEN OPÉRA.


BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
1
5 -F
24
ROMA

BIBLIOTHECA

CLASSICA LATINA

SIVE

COLLECTIO

AUCTORUM CLASSICORUM LATINORUM

CUM NOTIS ET INDICIBUS

On souscrit, à Paris,

CHEZ N. E. LEMAIRE, Éditeur, rue des Quatre Fils, n° 16, au Marais.
BARROIS l'aîné, libraire, rue de Seine, n° 10, Fbg St-Germ.
DE BURE frères, libraires du Roi, rue Serpente, n° 7.
F. DIDOT, imprimeur du Roi, rue Jacob, n° 24.
TREUTTEL et WURTZ, libraires, rue de Bourbon, n° 17.
ANT. AUG. RENOUARD, libraire, rue de Tournon, n° 6.
BOSSANGE père, libraire, rue de Richelieu, n° 60.
BRUNOT-LABBE, libraire, quai des Augustins, n° 33.
MONGIE aîné, libraire, boulevard Italien, n° 10.
DONDEY-DUPRÉ, impr. libr. rue St-Louis, n° 46, au Marais.
H. VERDIÈRE, libraire, quai des Augustins, n° 25.
ARTHUS-BERTRAND, libraire, rue Hautefeuille, n° 23.

Et chez tous les libraires de France et des pays étrangers.

MARCI VALERII
MARTIALIS
EPIGRAMMATA

EXCUDEBAT FIRMINUS DIDOT,
REGIS ET GALLICARUM ACADEMIARUM TYPOGRAPHUS.

M. V. MARTIALIS
EPIGRAMMATA

AD CODICES PARISINOS

ACCURATE RECENSITA

VARIIS LECTIONIBUS, NOTIS VETERIBUS ET NOVIS,

GRÆCA INTERDUM VERSIONE, NOTITIA LITERARIA,

ET INDICE LOCUPLETISSIMO

ILLUSTRAVERUNT

QUINQUE PARISIENSIS ACADEMIÆ PROFESSORES

VOLUMEN SECUNDUM





PARISIIS

COLLIGEBAT NICOLAUS ELIGIUS LEMAIRE

POESEOS LATINÆ PROFESSOR

MDCCCXXV

M. VAL. MARTIALIS
EPIGRAMMATUM
LIBER V.

I.

AD CÆSAREM.*

Hoc tibi, Palladiæ seu collibus uteris Albæ,

* Mittit librum ad Domitianum, tunc per Italiam vagantem, rogatque uti gratum accipiat, seu lecturus, seu neglecturus : dummodo accipiat Cæsar, poeta se lectum fuisse simpliciter credet. Ed.

1. *Hæc tibi Palladiæ* codex Thuaneus; *uteris Albis* codex Vat. — *Hoc tibi.* Hoc, quidquid id est libri, hunc qualemcumque librum mittimus tibi, o Cæsar. — *Palladiæ seu collibus.* In honorem Minervæ quinquatria quotannis celebrabat Domitianus in monte Albano prope Romam, quem tanquam arcem elegerat. Fuit Alba duplex, altera inter Albanum montem et lacum ex Dion. Halic. testimonio, duodecimo ab Urbe milliario, si fides Eutropio habenda; de illa hic agitur: altera Marsorum, quam et Plinius vocat Albensium, distinguens ab Alba Albanorum; sita est ad Fucinum lacum, in via Valeria, circa Anienis fontes. Lib. IV, epigr. 1. — *Palladiæ.* Palladiam vocat per adulationem, quod Domitianus vellet Palladis filius haberi. Philostratus, lib. II : « Apollonius noverat quemdam fuisse in custodiam datum, quod publicis precibus non addidisset Domitianum, Palladis filium. Palladis enim filium se credi dicique voluit. » Quum Pallas virgo reputaretur, se virginis filium, Josephi monitu, ut putatur, jactabat, quod penes filium virginis sciret futurum æternum imperium. Hinc summa lege jussit inquiri in stirpem Jessæam; quod ex Davidis stirpe diceretur is Imperator procreandus. Vid. Cardin. Baronius, ad A. C. 89; Domit. IX. *Rader.* Raderus notat a Martiale blandiente *Palladiam Albam* vocari, quod sciret Domitiano gratissimam. Nihil hic adulationis. *Palladia Alba*, ubi foci Palladii, Minervæ signum fa-

Cæsar, et hinc Triviam prospicis, inde Thetin;
Seu tua veridicæ discunt responsa sorores,
Plana suburbani qua cubat unda freti;
Seu placet Æneæ nutrix, seu filia Solis,
Sive salutiferis candidus Anxur aquis;

tale. Hæc duo sacra plerumque conjungebantur. Vide Gronov. ad Stat. Papin. pag. 277.

2. *Thetym* in edd. vett. — *Et hinc Triviam.* A monte Albano prospiciebatur hinc Dianæ templum Artemisium in nemore ad Ariciam, hodie, *Rizza*, illinc vero Thetis, quam sumit pro mari. Vide lib. X, epigr. XIII, et lib. Spect. epigr. III. Dianam jam vocavit Triviam, lib. Spect. epigr. I.

3. *Seu tua veridicæ discent* cod. Pulmanni; *dicunt* Beverlandi MS. — *Seu tua veridicæ.* Hoc est, sive et Antii, ubi sub imagine duarum sororum Fortuna colebatur. Suetonius in Caligula, cap. 57: « monuerunt et sortes Antianæ. » Horatius, I, od. 35: « O diva, gratum quæ regis Antium. » Germanas vero sorores dixisse videtur, quod una prospera, altera adversa sit. De Fortunæ templis fuse agit Alexander ab Alexandro Genial. Dier. lib. I, cap. 13. Antium, hodie *Antio*, erat urbs in Tyrrheno litore, non procul Ostia, Volscorum olim caput. Ed. — *Tua responsa.* His verbis Domitiano adulatur Poeta; namque ostendit Fortunam a Domitiano velut a majore deo discere responsa, quæ ut oracula certissima populo renuntiaret, ut inferiores dii a superioribus adflari solent.

4. *Plena suburbani qua cubat unda maris* in Beverlandi MS. — *Plana suburbani.* Mare enim alluit urbem Antium, atque ita illius suburbium esse videtur; et quum sit quietum, cubantis simile est.

5. *Æneæ nutrix.* Hoc est, Caieta, urbs maritima in finibus Latii versus Campaniam, et ad oram maris Tyrrheni, in provincia Terræ Laboris, ut vocant. Quidam putant hanc urbem ab Æneæ nutrice conditam. Alii deducunt a καίειν, *urere*, quod ibi classis Trojana fuit incensa. Hodie *Gaeta*. Virg. Æn. VII: « Tu quoque litoribus nostris, Æneia nutrix, Æternam moriens famam, Caieta, dedisti. » Strabo, lib. V: Τὰ γὰρ κοῖλα πάντα Καϊάττας οἱ Λάκωνες προσαγορεύουσιν: *Omnes enim cavitates Caiattas appellarunt Lacones.* Non tamen negat ab Æneæ nutrice etiam dictam Caietam. — *Seu filia Solis.* Sive de gis in ea urbe quam Circe Solis et Perses filia, vel, ut putat Diodor. Æetæ et Hecates, condidit. Hanc Circeios vocabant: erat in ditione Volscorum, in ora Tyrrheni maris, et ad radices montis Circæi, *monte Circello*, in Latio; nunc est diruta, et in ejus ruderibus est pagus, *Santa Felicita* dictus. Ed.

6. *Salutiferis.* Propter Pontinam, vel alias paludes, in quas pronum est Anxur, ab Ufenti fluvio non parva aquarum salubritate. Sic lib. X, epigr. LI, vs. 6. — *Candidus*, etc. « Impositum late saxis can-

Mittimus, o rerum felix tutela, salusque !
Sospite quo gratum credimus esse Jovem.
Tu tantum accipias : ego te legisse putabo,
Et tumidus Galla credulitate fruar.

dentibus Anxur. » Horat. lib. II, sat. v. — *Sive candidus Anxur.* Latii oppidum, hodie *Terracina*, cujus aquæ sunt valde salutares : dicitur candidus vel a candore saxorum, vel a calce quæ conficitur ex lapidibus inde petitis. Neutrius generis reperitur apud Horatium, I, sat. v : « Impositnm late saxis candentibus Anxnr. » Ita vocatur quasi ἄνευ ξυροῦ, *sine novacula*, quia ibi Jnpiter imberbis colebatur.

7. *Mittimus, o rerum.* Hoc refertur ad primum distichnm hnjus epigrammatis; nnde intelligis, sæpe sententiam apud poetas in secundo, tertio vel quarto disticho absolvi, et nihil esse necesse singulis distichis singulas absolvi sententias, nt spect. lib. epigr. I. *Rad.*

8. Pulmanni codex, *quærimus esse Jovem.* — *Gratum credimus.* Hoc est, memorem beneficii a te accepti : nam præterquam templum Jovi condiderat, et multa delubra refecerat, bello Vitelliano Domitianus adhuc pner, una cum patruo Sabino, Capitolium pro viribus suis defenderat, et incensum tamen postea restituit. Suetonius in Domitiano, cap. 5. Vide etiam lib. IX, epigramm. CIV. Aliter rem narrat Tacitus Hist. III : « Domitianus tamen irrumpentibus adversariis, et ardente templo apud æditnum clam pernoctavit, ac mane Isiaci celatus habitu, interque sacrificulos variæ superstitionis, quum se trans Tiberim ad condiscipuli sui matrem comite uno contulisset, ita latuit, nt scrutantibus, qui vestigia sequuti erant, non deprehendi potuit. » Forte referatur aptius ad restitntum a Domitiano Capitolium, quum iterum arsisset, ut scribit Tranqnill. cap. 5, eoque nomine Jovem gratum et memorem esse, vel qnod Jovi Custodi Domitianus templum, dejecto æditui contubernio, dedicaverat.

9. *Tu tantum aspicias* codex Pulmanni. *Tu tantum accipies* Ald. Junt. Colin. Gryph. Lang. Junian. etc. — *Accipias*, meliores : hoc admisi. Ed.

10. *Et tumidus falsa* codex Pulmanni et Beverlandi MS. — *Galla credulitate.* Galli enim vera simplicitate boni sunt, atque hinc creduli. Strabo, lib. IV : Ἄλλως δὲ ἁπλοῦν καὶ οὐ κακόηθες, supple φῦλον Γαλλικόν · *Cæterum Gallica gens ingenio simplici, ac nulla malignitate devincto;* quorum indoles temporum lapsn nonnihil in diversum abiit. Ovid. Amor. III, eleg. 13 similibus fere voc. : « Et liceat stulta credulitate frui. » Ed.

II.

AD LECTORES.*

MATRONÆ, puerique, virginesque,
Vobis pagina nostra dedicatur.
Tu, quem nequitiæ procaciores
Delectant nimium, salesque nudi,
Lascivos lege quatuor libellos;
Quintus cum Domino liber jocetur,
Quem Germanicus ore non rubenti
Coram Cecropia legat puella.

* Verecundum ait hunc libellum et castum, nempe Cæsari inscriptum, cujus majestas et reverentia excludat omnem verborum rerumque licentiam; quod et lib. VIII docet epigrammate *Ad suum librum*, quem ita affatur : « Laurigeros domini liber intrature penates, Disce verecundo sanctius ore loqui. »

— *Ad Lectores*. Alii, *De Eodem*.

1. *Matronæ*, etc. Vid. lib. III, epigr. LXVII, vs. 4.

5. *Quatuor libellos*. Præcedentes.

6. *Quintus cum domino liber jocatur* Beverlandi MS.

7. *Quem Germanicus*. Domitianus a devictis Germanis Germanici nomen assumpsit, quum ab eis tamen fœdas clades accepisset. Hunc vero librum tam verecundum et castum esse dicit Poeta, ut ab Imperatore legi possit *coram Cecropia puella*, hoc est, coram Minerva, quæ Athenis colebatur, quam et summo studio colebat Domitianus. Suetonius in Domitiano, cap. 4. Alii interpretantur virginem Palladi sacram, quæ ritu Vestalium viveret, custodem æterni ignis, in Poliadis templo, ubi Palladium fuisse opinio est. Strabo, lib. IX : « Astu, saxum est in planitie domiciliis undique circumdatum. In eo saxo templum est Minervæ, et vetusta Poliadis ædes, in qua semper ardens lucerna et virginum domus, quam Ictinus condidit, in qua Minerva eburnea Phidiæ opus est. » Alexander etiam prodidit Genial. dierum lib. V, cap. 12 : « cujus (Vestæ) instar sacri, in Poliadis templo, multa religione inclyto, in Attica fuisse legimus, in quo virgines assidue degere, lychnum inexstincti luminis, multorum opinio fuit. » *Rader*. Et Philomelam Raderus, putat posse intelligi, quæ ob pudicitiam temeratam, filium patri dedit epulandum : vel etiam quamvis Atticam mulierem, inter quas castitatis fama valebat.

III.

AD DOMITIANUM.

Accola jam nostræ Degis, Germanice, ripæ,
A famulis Istri qui tibi venit aquis,
Lætus et attonitus, viso modo præside mundi,
Affatus comites dicitur esse suos :

Δῆγις ὁ Ῥωμαίων, τῆς ὄχθης ἄρτι πάροικος,
Ὃν σοι δουλωθεὶς Ἴστρος ἔπεμψεν, ἄναξ·
Χαρμοσύνῃ ἔκθαμβος, ἰδὼν ἡγήτορα κόσμου,
Πρὸς τὸν ὁμαρτούντων τοιάδε λαὸν ἔφη·

1. In edd. vett. *degis.* — *Accola jam nostræ.* Hoc est, jam Tiberis accola; Romam enim venerat Degis accola sc. Danubii, qui nobis nunc subditus est. Danubius Imperii Romani limes erat in Germania : ita ut pars et ripa citerior, seu Romam versus posita, esset Romanorum; pars et ripa ulterior esset Germanorum. Ad Domitianum, a Germania devicta dictum Germanicum, pacis sanciendæ gratia legatum misit Decebalus, Dacorum rex. Hæc refert Raderus ex fragmento Theodosii, unde tamen non constat quis Degis ille, vel Diegis, fuerit.—Alii putant, nisi legatum, fratrem Decebali, aut unum procerum fuisse. De quo fert Historia : « Domitianus a Marcomannis, Germaniæ populo, victus, ut cladem suam tegeret, Decebalum, regem Dacorum, invitavit ad pacem. Decebalus misit ad illum Diegem, seu Degem, suum fratrem, ut hic Martialis innuit, aut certe fratrem unius e Dacorum principibus : is progressus in citeriorem ripam Domitianum adiit, qui munera et diadema Decebalo ferendum illi dedit. Quo facto exsultans Domitianus, quasi pacem et regna Germanis pro arbitrio dedisset, Romam in modum triumphantis se recepit. » Vid. Fragment. Theodosii ex Dione, quod affert Rader. ubi res paulo aliter narratur. Ed.

2. *A domitis Istri* Juntina nostra in margine. At apud Ovid. Fast. I, 285 : « Pax erat; et vestri, Germanice, causa triumphi Tradiderat famulas jam tibi Rhenus aquas »; ubi vulgo legitur *domitas*, quod procul dubio interpretamentum est. Vid. Heinsius ad hunc locum. Conf. ex Pont. II, 2, 80.—*Istri.* Danubius maximus Germaniæ fluvius, ut primum Illyricum attingit, Ister incipit appellari. Oritur in Suevia, et in Pontum Euxinum per sex septemve ostia prorumpit, postquam Germaniam alluit. Ed.

Sors mea quam fratris melior! cui tam prope fas est
Cernere, tam longe quem colit ille Deum.

Τοῦ κάσιος ζηλωτὸς ἐγὼ πλέον· ὅττι θεόν μοι,
Ὃν σέβεται μακράν, ἐγγύθεν ἐςὶν ὁρᾶν.

6. *Quem colit ille Deum.* Domitianus nempe : eodem sensu Ovidius, de Ponto, lib. II, epigr. VIII, 57 : « Felices illi, qui non simulacra, sed ipsos ; Quique deûm coram corpora vera vident. »

IV.

AD PAULUM DE MYRTALE.*

Fœtere multo Myrtale solet vino;
Sed fallat ut nos, folia devorat lauri,
Merumque cauta fronde non aqua miscet.
Hanc tu rubentem prominentibus venis

* *Myrtale.* Nomen fictum, ut solet, quando res turpis exprobratur, nisi quum agitur de nomine quodam per infamiam et scelera vulgato, v. g. de Nerone ejusque satellitibus; nec ita pridem defunctorum nomina citat etiam. Exstat tamen de Myrtale inscriptio ex Onuphrio: GENIO SOMN. L. DOMITIANVS, L. L. ARGYRVS LANARIVS DOMITIA L. L. MYRTALE S. P. D. D. DEDICA. KAL. IAN. ED.

— Lemma est in Ald. Junt. Colin. Gryph. Lang. Junian. etc. *Ad Myrtalem;* in cod. Pulmanni, *Ad Paulum.*

1. *Fœtere multo Tuccius solet vino* in eodem codice.

2. *Fallat ut nos*, etc. Ut gravior lauri vis obruat vini odorem, vel ut in ebrietatem defendat. Laurus enim inimica Baccho, arcet ebrietatem. Athenæus, lib. IV, Deipnos. Theophr.

3. *Merumque cauta fronte.* Ald. Junt. et Colin. — *Cauta fronde*, etc. Qua cavet graveolentiam spiritus a vino.

4. *Hanc tu*, etc. Quoties itaque Myrtalem vino rubicundam et venas inflatam conspexeris, ne imputes Baccho sed Apollini, noli illam ebriam dicere, sed vatem numine adflatam, epota lauro, non secus ac alii vates ἐνθουσιασμὸν procurant manducata lauro. Lycophr. Cass. δαφνηφάγων φοίβαζεν ἐκ λαιμῶν ὄπα. Laurum tamen a mensis removebant Romani, quippe gravioris odoris. Coronas tantum lauri prima mensa (*au premier service*) admittebant : deinde amovebant.

Quoties venire, Paule, videris contra;
Dicas licebit: Myrtale bibit laurum.

6. *Bibit laurum.* Vel non bibit vinum, sed meram laurum edit: vel non est ebriosa, sed vult fieri vates et laurum edit.

V.

AD SEXTUM.*

Sexte, Palatinæ cultor facunde Minervæ,
Ingenio frueris qui propiore Dei;
Nam tibi nascentes Domini cognoscere curas,
Et secreta ducis pectora nosse licet;
Sit locus et nostris aliqua tibi parte libellis,
Qua Pedo, qua Marsus, quaque Catullus erit.

*Epigrammata mittit Sexto, qui Domitiano a secretis erat, et bibliothecæ Palatinæ curam habebat, quæ poni cupit inter alios epigrammatarios. *Rader.*

— In hoc epigrammate exhibendo nihil variant libri scripti, aut impressi.

1. *Palatinæ cultor.* Hic Sextus erat Domitiano a sacræ religionis cultu, et a studiis ingenii, atque a consiliis secretioribus.

2. *Ingenio frueris*, etc. Versaris enim cum ipso Domitiano, et ejus consilia, rationes, negotia, causas pernoscis et literis mandas. — *Deum* vocavit jam Domitianum supra, epigramm. III. Item lib. VII, epigramm. XXXIX: « Pectore non humili passus utrumque deum. » Quod explicant Statii versus, Silv. lib. III, in lacrymis Etrusci: « Læta dehinc series, variisque ex ordine curis Auctus honos, semperque gradu prope numina semper Cæsareum coluisse latus, sacrisque deorum Arcanis hærere datum. » Ed.

5. *Sit locus*, etc. Dignare loco, repone libros meos in bibliotheca tua, vel Imperatoris, inter cæteros epigrammatarios, Catullum, Pedonem, Marsum.

6. *Qua Pedo.* De quo mox dictum lib. XI, epigr. LXXVII. Restat adhuc ex eo elegia ad Liviam de morte Drusi Neronis. De Marso etiam dictum lib. II, epigramm. LXXI et LXXVII, cujus epigrammata apud antiquos summis laudibus fuerunt celebrata, teste Gyraldo, Dialogo X, de Hist. poet. Catullus vero satis est notus. — Ovid. de Ponto, IV, XVI, 5: « Quum foret et Marsus, magnique Rabirius oris, Iliacusque Macer, sidereusque Pedo. » Ed.

Ad Capitolini cælestia carmina belli,
  Grande cothurnati pone Maronis opus.

7. *Ad (Et) Capitolini.* Puer adhuc Domitianus Capitolium cum patruo Sabino a Vitellianis defendit. Vid. Tacitus, quem citamus ad huj. libri epigr. I, vs. 8 et Suetonius in Domitiano, cap. I. Illa propugnatio dicta est bellum Capitolinum, postea descriptum ab ipso forte Domitiano, namque eum his studiis vacasse constat ex Plinii præf. ad Histor., vel ab ipso Sexto, ut Scriverio et Radero maxime verisimile videtur, vel ab aliis, quorum carmina comparat cum Virg. Æneide, atque eodem in loco reponenda esse dicit. Legunt alii: *Ad Capitolini cœlestia carmina belli.* Raderus non repugnat credere hæc quæ laudat Noster, *cœlestia* carmina, a Tito aut Domitiano scripta esse; quibus forsan insertæ laudes Jovis Capitolini; namque certabant vates de præmio in ludis quinquennalibus quæ Jovi Capitolino agebantur, cujus numen carmine celebrabant. Vid. Quintil. Inst. lib. X, cap. I; et lib. IV, procem.

8. *Cothurnati Maronis.* Cothurnus genus fuit calceamenti Tragicorum proprium, de quo lib. III, epigr. XX. Itaque cothurnatum Maronem dicit, propter gravitatem heroici ejus poematis. — *Pone*, hoc est, repone, et colloca.

VI.

AD MUSAS: VEL LIBRUM COMMENDAT PARTHENIO.*

Si non est grave, nec nimis molestum,
Musæ, Parthenium rogate vestrum:
Sic te serior et beata quondam

* Poeta Musas, Musæ Parthenium vocant, ut Parthenius Cæsari libellum porrigat, quum tempestivum erit; vel non porrigat, sed legat, tanquam nihil aliud agens, vidente Domitiano; qui quum sit studiosus literarum, statim poscet libellum. *Rad. Domit.* — *Ad Musas* inscribitur in edd. vett.

2. *Parthenium.* Cultorem vestrum: Parthenius vero Domitiani cubiculo erat præpositus et gladii honore donatus, quo usus est contra Cæsarem, conscius, immo socius et auctor ejusdem necis. Suetonius in Domit. cap. 16: de quo lib. IV, epigr. XLV; lib. VIII, epigr. XXVIII; lib. XI, epigr. I.

3. *Sic te serior.* Oratio Musarum ad Parthenium. — *Sic*, etc. Formula optantis, quasi, *Dii faxint*, etc. Vid. Brisson. Form. Item Græci οὕτως. Ed.

Salvo Cæsare finiat senectus,
Et sis invidia favente felix;
Sic Burrus cito sentiat parentem;
Admittas timidam brevemque chartam
Intra limina sanctioris aulæ.
Nosti tempora tu Jovis sereni,
Quum fulget placidus, suoque vultu,
Quo nil supplicibus solet negare.
Non est, quod metuas preces iniquas:
Nunquam grandia nec molesta poscit,
Quæ cedro decorata purpuraque
Nigris pagina crevit umbilicis.

5. *Invidia favente.* Ita ut ipsa invidia cogatur tibi favere, et tuæ famæ ac felicitati parcere; sis major invidia.

6. *Sic Burrus cito nesciat* codex Pulmanni. — *Sic Burrus.* Parthenii filius indolis paternæ det specimen, et intelligat quanto sit patre natus; sic lib. VI, epigr. xxxv, de filio Reguli: « Et patrias laudes sentiat esse suas. » Vid. lib. IV, epigramma xlv.

7. *Timidam*, etc. Hunc verecundum, nec longum epigrammatum libellum. Ed.

8. *Intrat limina* Junt. ann. 1512; *sanctioris ævi* codex Pulmanni. — *Sanctioris aulæ.* Hoc est, intromitte in conclave Cæsaris, seu in intimam aulam, quam sanctam dicit, vel quod illic coleretur Minerva, vel quod Domitianus ipse vellet haberi Deus.

9. *Nosti tempora.* Macrob. Saturn. lib. I, cap. 2: « Tentanti mihi, Postumiane, aditus tuos et mollissima fandi tempora. » — *Jovis sereni.* Cæsaris Domitiani.

10. *Suoque vultu.* Vultus quidem Domitiani venustus erat, teste Suetonio in Domit. cap. 18. Vide et Plin. Paneg. Trajani.

11. *Nil supplicibus.* Initio enim omnes circa se largissime donis prosequutus est: sed postea avarissimus factus, omnia vi et dolo rapuit et prædatus est, undecunque potuit. Sueton. in Domit. cap. 9, et 12.

12. *Non est.* Non est quod metuas, o Partheni, et recuses hunc libellum offerre Cæsari (inquiunt Musæ); neque enim aliquid majoris muneris petit Martialis precibus molestis et improbis, dum libellum cedro decoratum offert.

13. *Nunquam grandia.* Nunquam mea charta meusque liber, cedro decoratus purpuraque tinctus, magnam vim pecuniæ aut prædia impudenter petit. De umbilicis, cedro, purpura, vid. lib. I, epigr. lxvii, et lviii; lib. II, epigr. v.

15. *Crevit umbilicis.* De quibus dictum lib. III, epigr. 2: umbilici autem erant ornamenta vel ex osse,

Nec porrexeris ista, sed teneto,
Sic tanquam nihil offeras agasque.
Si novi dominum novem sororum,
Ultro purpureum petet libellum.

vel ex ebore, quæ extremis librorum partibus addebantur.

18. *Si novi.* Videtur hoc dicere Martialis; nam si Musæ loqui pergerent, scripsisset pluraliter, nisi quis dicat unam pro cæteris loqui.

— *Dominum novem sororum.* Domitianum intellige, qui, teste Suetonio in Domit. cap. 2, inprimis poeticæ studium simulavit. Musas ergo colebat, immo ipsis imperabat, inquit Poeta adulator.

VII.

AD VOLCANUM.*

Qualiter Assyrios renovant incendia nidos,
Una decem quoties sæcula vixit avis;

Οἷά περ Ἀσσυρίην πυρὸς ἶς ἐνέωσε καλιὴν,
Εὖτ' ὄρνις δεκάτην ζῆσ' ἑκατοςὺν ἐτῶν·

* Vel: *De Roma post incendium restaurata.*

— *Ad Vulcanum* in edd. vett. *Ad Volcanum* vero in libris manu scriptis.

1. *Qualiter Assyrios.* Urbem incendiis et ruinis vastatam, a Domitiano vero instauratam, confert Poeta cum Phœnice, qui constructo in Assyria, regione Asiæ prope Euphratem, rogo crematur, ut renovetur. Ovid. Metam. XV: «Una est, quæ reparet, seque ipsa reseminet ales. Assyrii Phœnica vocant. Nec fruge, nec herbis, Sed thuris lacrymis, et succo vivit amomi. Hic ubi quinque suæ complevit sæcula vitæ, Ilicis in ramis, tremulæque cacumine palmæ, Unguibus, et duro nidum sibi construit ore; Quo simul ac casias, et nardi lenis aristas, Quassaque cum fulva substravit cinnama myrrha, Se superimponit, finitque in odoribus ævum.» De Phœnice fuse agit Tacitus, Annal. VI: Sacrum soli id animal, et ore ac distinctu pennarum a cæteris avibus diversum, consentiunt qui formam ejus definiere.

2. *Una.* Duo tamen visi aliquando, pater, filius. Pierius, Hieroglyph. lib. XX; Philostratus, lib. III: «aiunt tantum hanc avem unicam esse.» Hinc Oppianus; «Res mira sine semine, solo splendore Phœbi hanc avem pro-

Taliter exsuta est veterem nova Roma senectam,
Et sumpsit vultus præsidis ipsa sui.
Jam precor oblitus nostræ, Volcane, querelæ
Parce: sumus Martis turba, sed et Veneris.

Οὕτως ἀνενέωσεν, ἑόν τ' ἀπεδύσατο γῆρας
Ῥώμη, ἐπημφίασέν τ' εἶδος ἄνακτος ἑοῦ.
Ἵλαθι ἀμνήμων μομφῆς, Ἥφαιστε, παλαιῆς·
Ἐσμὲν Ἄρευς, ἐσμὲν καὶ Κύπριδος θέραπες.

creari.» Et Lactantius: «Felix, quæ Veneris fœdera nulla colit. Ipsa sibi proles, suus est pater et suus heres: Nutrix ipsa sui, semper alumna sui.» — *Decem quoties*, etc. De numero annorum variant auctores. Lactantius Martiali adstipulatur. Ed. — De numero annorum varia traduntur; maxime vulgatum, quingentorum spatium. Sunt qui asseverent, mille quadringentos sexaginta unum phœnicem vivere. Lege etiam Plinium, lib. X, cap. 2; qui ex Manilio vivere sexcentos et sexaginta annos affirmat; Solinus quadragintos et quingentos, Chæremon Ægyptius sex annis et septem millibus; Joannes Tzetzes, Albertus magnus, trecentis quadraginta: epistola regis Æthiopiæ, trecentis. *Rader.*

3. *Talis exuta est* Beverlandi MS. — *Exsuta*, etc. Eutropius, lib. VII; et Sueton. Domit. cap. 5. — *Veterem senectam.* Ita juventam renovant aquilæ, et detracta pelle serpentes. Sed Romam tantum quidem restituit Domitianus, ut alibi Martialis «nunc Roma est, ante taberna fuit.» Et epigr. 11, lib. Spect. «Roma reddita sibi est». *Rader.*

4. *Ista* pro *ipsa* Beverl. MS. — *Et sumpsit vultus.* Hoc est, Roma facta est venusta; vultus enim Domitiani venustus erat, ut diximus præcedenti epigrammate, vs. 9. Ed.

5. In quibusdam codd. *natæ*, *Volcane*, *querelæ*; in aliis, *notæ*. — *Oblitus nostræ.* Quæ inter te et nos Martis posteros intercessit. Alii legunt *notæ* melius meo judicio; hoc est: Obliviscere querelam omnibus notam, quod scil. Venerem tuam uxorem compresserit Mars, a quo genus suum repetunt Romani. — Vel Parce nobis, Vulcane, et obliviscere nostras de te querelas, quum questi sumus te urbem incendio deformasse (Vulcanus est deus ignis.) Si nobis iratus es, quod simus proles Martis adulteri, placatus esse velis quia sumus soboles Veneris ab Ænea.

6. Rescribendum hic esset *turma*, si *turba* semper de re abjecta et vili diceretur, quod quidam volunt; sed hic *turba*, τὸ πᾶν, seu potius τὸ ἅπαν significat. *Herald.* *Turba* pro *turma*, et versa vice, error solennis est. Vide Guilielm. Quæst. Plantin. p. 240; Heins. ad Ovid. Art. Am. III, 2; Drakenb. ad Sil. V, 277; XII, 185; et XIV, 209.

Parce, pater : sic Lemniacis lasciva catenis
Ignoscat conjux, et patienter amet.

Ἵλαθι· Λημνιακοῖς οὕτω δεσμοῖσιν ἄκοιτις
Ἱλήκοι, καὶ ἐρῶσ' εἴη ἀνεξικάκως.

7, *Parce, pater.* Vulcanum patrem appellat eo sensu, quo dei omnes patres hominum vocantur ; etenim Vulcanus non est Romanorum pater, sed Mars. — *Sic Lemniacis.* In Lemno insula Ægei maris, hodie dicta *Stalimene*, catenas fabricavit Vulcanus, quibus Martem cum Venere in adulterio deprehensum illigavit. Hæc fabula satis nota. Sensus est : Venus injuriæ a te acceptæ obliviscatur, teque quamvis claudum et deformem patienter amet.

8. Rutgersius legendum censet, *et sapienter amet*; ut notum id « Deprendi veto te, Lesbia, non », etc. Gronovius exponit *patienter amet*, moderate amet, et ne laboret impatientia erga Martem, seu alios amatores. Pulmanni codex; *et patienter ames.*

VIII.

DE PHASIDE.*

Edictum Domini, Deique nostri,
Quo subsellia certiora fiunt,
Et puros eques ordines recepit,
Dum laudat modo Phasis in theatro,

* Phasidem libertum, ut fictum equitem, irridet Martialis hoc epigrammate; is enim quum legitimum equitis censum non haberet, lacernis purpureis volebat videri eques, et jactabundus in theatro laudabat legem Othonis, quam Domitianus restituerat; sed Lectius, cui ordinis theatralis cura erat demandata, jussit eum surgere.

— *De edicto Cæsaris* inscribitur in codice Pulmanni.

1. *Edictum domini.* Domitiani. Suetonius in Domitiano, cap. 13 : « Dominus et deus noster sic fieri jubet. » Domitianus ergo renovavit legem Rosciam, qua nulli in quatuordecim equitum subselliis sedere liceret, nisi illi qui haberet censum equestrem, quadraginta nempe sestertium millia. L. Roscius Otho antea hanc legem tulerat, anno U. C. 685, dum esset tribunus plebis.

3. *Et puros eques.* Seorsim a plebe ludos spectabant equites.

4. *Phasis.* Libertus, qui veste

Phasis purpureis rubens lacernis,
Et jactat tumido superbus ore:
Tandem commodius licet sedere,
Nunc est reddita dignitas equestris;
Turba non premimur, nec inquinamur.
Hæc, et talia dum refert supinus,
Illas purpureas et arrogantes
Jussit surgere Lectius lacernas.

purpurea indutns erat, ut videretur eqnes. Lib. IV, epigr. II. Legimus Romanos, quum spectaculis adessent, vestibus candidis, immo et nigris, hoc autem loco etiam rubris usos fuisse; unde colligere licet, nullam legem jussisse ut candida veste, quamvis solerent, uterentur. Augustus, teste Suetonio in Augusto, cap. 40, prohibnerat ne qnis in foro circove nisi positis lacernis togatus consisteret; attamen diu non obtinuit.

5. *Phasis purpureis ruber* in Ald. Junt. Colin. Gryph. Junian. Laug. Pulmann. etc. *rubens* Beverlandi MS. — *Purpureis lacernis*. Quibus equites utebantur. De lacernis dictnm, lib. I, epigr. LXXVIII. ED. — Indnebant lacernas pnrpureas, ut eqnites viderentur: Petrus Faber. Lacerna, quasi lacera, qnod capitio minor sit, Sexto Pompeio. Hanc militum quoque fnisse constat. Propert. lib. IV: «Texitur in castris qnanta lacerna tuis.» Erant et lacernæ qnibus uterentur Romani, quum spectaculis operam sedentariam præstarent: Martial. lib. XIV: «Amphitheatrales nos commendamur ad usus, Quum tegit algentes nostra lacerna togas.» Juvenal. Sat. IX: «pingues aliquando lacernas, Mnnimenta togæ, duri crassique coloris.» Lib. IV, epigr. II. Horatius nigra lacerna spectabat. Bayfius immerito (de re vestiaria) lacernas epomidibus Jurisconsnltorum similes dicit. *Rad.*

7. *Tandem..... licet.* Hæc verba sunt Phasidis gloriantis.

8. *Nunc est reddita.* Hoc est, equitibus amissum bellis civilibus equestrem honorem tandem recnperare contigit.

9. *Inquinamur.* Qnasi plebis sordidæ commercio et vicinia contaminaretur ejus vestis et dignitas mentita. ED.

10. *Hæc....supinus.* In cathedra vel subsellio molliter ac otiose in tergum porrectus, et quasi cubans; qnod perspicue pingit impotentiam hominis. ED.

11. *Illas purpureas.* Metonymia est; id est, designator Lectius, qni bene noverat Phasidem, jussit illum lacernis purpureis indutum loco cedere, atque statim ad plebem transire.

IX.

IN SYMMACHUM.*

LANGUEBAM : sed tu comitatus protinus ad me
Venisti centum, Symmache, discipulis.
Centum me tetigere manus Aquilone gelatæ.
Non habui febrem, Symmache, nunc habeo.

* Symmachus ætate Martialis, medicus, cujus mentio est lib. VI et VII. Quum ille Martialem ægrum viseret cum suis auditoribus, qui etiam Poetæ arteriæ pulsum manu explorarent, ex attactu tot frigidarum, horridam illi febrem conciliarunt, morbumque non tam curarunt, quam crearunt. *Rader.*

1. Beverlandus ex quodam cod. affert, *comitatus omnibus ad me*; sed *protinus* retinendum censet. — *Languebam.* Nondum plane æger eram, sed me tantum deficiebant vires.

2. *Venisti centum*, etc. Venisti, o medice, comitatus multis tuis discipulis (pro more visendi illius temporis), qui singuli longo ordine venam meam tangebant, vel potius arteriam explorabant; *Tâter le pouls.* — *Venisti centum.* Poeta irridet Symmachum quemdam medicum, qui cum suis discipulis illum invisit; quum vero omnes illius arteriam manu gelata exploravissent, frigidissimo illo attactu febrem contraxisse se dicit. — Non erant tunc temporis, ut hodie, nosocomia, ad recipiendos et curandos ægros idonea; aut si qua erant, perpauca, nec nostris ullo modo conferenda. Quum igitur auditores ista instructionis medicæ commoditate carerent, cum magistro ægros passim invisere cogebantur. Vox *clinicus* quam lib. IX, epigr. XCIV, notabimus, non eumdem sensum cum recentiori præbet: idem sonat ac *medicus ad lectum.*

3. *Me tetigere manus.* Non tantum, arbitror arteriæ salientis pulsum explorarunt auditores; sed ut solebant antiqui medici, detexerunt corpus ægrotantis, ut noscerent habitum corporis, quali esset macie aut pinguedine, quod erat magni momenti ad curandum. Si addamus has manus gelatas totum corpus attrectavisse, qua se dolere æger quereretur; facile intelligemus his potius contraxisse febrem, nec uno brachii attactu. ED. — *Aquilone gelatæ.* Frigidissimæ, tanquam Borea gelatæ.

4. *Non habui febrem*, etc. Et latenti in me febris causæ προηγουμένῃ, frigidus vester contactus adjecit extrinsecus προκαταρκτικὴν; ita plane accessit febris, in quam prius solum disponebar.

X.

AD REGULUM, DE FAMA POETARUM.*

Esse quid hoc dicam, vivis quod fama negatur,
 Et sua quod rarus tempora lector amat?
Hi sunt invidiæ nimirum, Regule, mores,
 Præferat antiquos semper ut illa novis.
Sic veterem ingrati Pompeii quærimus umbram;
 Sic laudant Catuli vilia templa senes.

*Præsentia fastidiri, desiderari remota, et cæteris in rebus, et in poesi docet. — *Ad Regulum* inscribitur in edd. vett.

2. *Quod rarus.* Raro lector amat, laudatque scriptores coævos: « Exstinctus amabitur idem; » Horat. Sat. I, 1. — *Lefranc de Pompignan:*

Et quoi que fasse le grand homme,
Il n'est grand homme qu'à sa mort. Ed.

3. *Insunt invidiæ* codd. Vat. et Florent. — *Regule, mores.* De hoc Regulo vide lib. I, epigr. cxii. — *Hi sunt invidiæ..... mores.* Horatius, loc. cit. « Urit enim qui prægravat artes Infra se positas. » Ed.

5. *Sic veterem*, etc. Sic novis Domitiani ambulacris et porticibus pulcherrimis præferimus porticum Pompeii, de qua lib. II, epigr. ix, vs. 11. — *Pompeii quærimus.* De porticu Pompeii dictum lib. II, epigr. xiv. Sensus est: Porticus atque ambulacra Domitiani, licet pulcherrima, nos ingrati spernimus, antiquam vero Pompeii porticum præferimus. Lib. XI, epigr. xlviii. — *Umbram.* Sic eodem libro et epigrammate Porticum Pompeii, vocat *umbram Pompeiam.* — Nimirum quia ista porticus multis arboribus consita erat. Vid. lib. II, epigr. ix, vs. 11. Ed.

6. *Et laudant Catuli Julia templa senis* edd. antiquiss. cum Ald. Junt. Colin. Gryph. Calderin. Junian. Pulman. etc. *Sic laudant Catuli Julia templa senes* in codice Florent. *Sic laudant Catuli vilia templa senes* in Vaticano. *Et laudant Catuli vilia templa senes* codex Thuaneus. *Julia* (sic *iulia*) et *vilia* vix distingui possunt in vett. membranis. — *Sic laudant Catuli vilia (Julia) templa.* Capitolium a Servio Tullio ædificari cœptum, a Tarquinio Superbo absolutum, post quadringentos admodum annos deflagravit. Lutatius Catulus Syllæ temporibus a Sylla restauratum dedicavit; cujus « Lutatii Catuli nomen inter tanta Cæsarum opera usque ad Vitellium mansit ». Tacitus, Hist. lib. III. *Julia templa* dixit, quia, teste Dione, l. XLIII: « Decretum, ut eraso Catuli nomine substitueretur Cæsaris. » Quod decretum exsecutioni man-

Ennius est lectus salvo tibi, Roma, Marone;
Et sua riserunt sæcula Mæonidem.
Rara coronato plausere theatra Menandro;
Norat Nasonem sola Corinna suum.
Vos tamen, o nostri, ne festinate libelli;
Si post fata venit gloria, non propero.

datum negat Tacitus, quum Lutatii Catuli nomen ad Vitellium usque permanserit. Lipsius existimat inscriptum quidem Capitolio Julii Cæsaris nomen, et Catuli nomen erasum quidem, sed in hominum memoria hæsisse. Alii *Julia templa* interpretantur basilicam Cæsaris in foro Romano a senibus laudari præ templis novis a Domitiano exstructis. Alii vero *Julia templa* intelligunt ædem Veneris a Julio Cæsare ædificatam. Tandem legunt alii *vilia templa*, nimirum præ Capitolio a Domitiano instaurato. Vide Suetonium in Julio, cap. 15; Valerium Maximum, lib. VI, cap. 9. — Grotius exponit *Catuli senes*, id est, illustres et nobiles Romani, at laudatores temporis acti, se puero, et censores minorum. Ed.

7. *Ennius*. Latinus poeta antiquus, cujus restant adhuc fragmenta. Natus est Rudiis quod est oppidum Calabriæ: Scipionis Africani majoris æqualis fuit, ejusque res gestas scripsit ingenioso versu, at rudi et impolito. Ed. — *Ennius est lectus*, etc. Neglectum erat opus Maronis, dum ipse erat in vivis, prælato Ennio; sed hoc poetice amplificat, ut de Homero et Ovidio.

8. *Mæonidem*. Dicitur Homerus, quod secundum aliquos in Mæonia regione Asiæ patriam habuerit. Verum Plutarchus in Homeri vita dicit Mæonem Lydorum regem loco filii educavisse Homerum, atque hunc inde Mæonidem fuisse dictum.

9. *Menandro*. Qui græce scripsit plures comœdias, de quo Gyraldus in Historia Poetica, dialog. 7. — Terentius ejus plerasque comœdias latinas fecit e græcis; omnes tempus nobis invidit. Obiit Menander olymp. CXXI, ann. 4, qui est 461 ab U. C. Ed.

10. *Corinna*. Nomen fictum puellæ ab Ovidio adamatæ. Ipse Ovid. de ea Trist. IV: « Noverat ingenium, totam cantata per urbem, Nomine non vero dicta Corinna mihi. » Idem de invidia sibi favente: « Nam tulerint magnos quum sæcula nostra poetas; Non fuit ingenio fama maligna meo: Quumque ego præponam multos mihi, non minor illis Dicor, et in toto plurimus orbe legor. » Vide Ovidii Vitam a Joanne *Masson* concinnatam, quam inseruimus octavo nostri Ovidii volumin. Ed.

11. *Ne festinate*. Gloriam scilicet vobis debitam quærere: si morte tantum emitur, nihil me urget, nondum vitæ me pœnitet; malim gloriam diutius exspectare.

12. *D'Orléans* legit, *mox propero*.

XI.

DE STELLA.*

SARDONYCHAS, smaragdos, adamantas, iaspidas uno
Versat in articulo Stella, Severe, meus.

* Elegantissime laudat Stellam cui non satis est, ut plurimia trossulia, gemmarum (quarum facit enumerationem) nitere et pretio conspici; sed qui ingenio ornatissimo profert carmina gemmarum, i. e. leporum, plena. Vid. lib. I, epigr. VIII, 1. ED. — De *Stella* dictum, lib. I, epigr. VIII. De hoc poeta Stella et ejus scriptis, lege, si vacat, Gyraldum de Historia poetarum, et Statii epithalamium. *Rader.*

1. *Sardonychas;* de ista gemmula egimus, lib. II, epigramm. XXIX, 2; IV, XXVII, 4, et LX, 6. — In quibusdam *zmaragdos*. Sic scribunt Broukh. Burm. et Kuin. ad Propert. II, 16, 43, ubi omnes codd. habent, *smaragdos :* sic etiam Broukh. et H. Voss. ad Tibull. I, 1, 51 et XI, 4, 57, contra codd. fidem; atque Burm. ad Ovid. Met. XI, 24. Vide Broukh. ad Propert. l. c; Pier. ad Virg. Æn. VII, 618; Dausq. Orthogr. Vol. II, Tract. XXI; Voss. ad Catull. pag. 321; Gud. ad Phædr. III, 2, p. 73; Hemsterh. ad Lucian. Jud. Vocal. I, 94; Turneb. Adv. XVI, 2; Lambin. ad Lucr. II, 1122; Mart. Capell. lib. III, p. 57; Gruter. DLXXVI, 5; Inscript. apud. Donium, Class. XVII, 18; et Buher. ad Marm. Brett. p. 10 et 34. Athenæus tamen lib. III, p. 94, contendit *maragdum*, ἀπὸ τοῦ μαρμαίρειν, *splendere*, scribendum esse, adductu Menandri loco. Calderinus ad h. l. stulte annotavit : « Scilicet in fine abjicias S; demum facias collisionem vocalium ». At *smaragdos* Bacchius est, nonnunquam etiam Anapæstus, ut h. l. nullibi vero Molossus. — *Smaragdos.* Hujus vocis mediam syllabam, quæ longa videtur, corripuit Græcorum exemplo, qui geminas mutas breves faciunt. Sic Theocritus, Idyll. XVII, brevem facit secundam syllabam ultimæ vocis in hoc versu : Θωρηχθεὶς ἐπὶ βουσὶν ἀνάρσιος Αἰγυπτίῃσιν : *Thorace munitus invadens injuste boves Ægyptias.* Prima syllaba in voc. δάκτυλος, eamdem ob causam corripitur. Noster, lib. IV, epigr. XXVIII : « Scythas smaragdos », vid. Nonn. in Dionys. βίβλ. ί. Varias gemmarum species enumerat poeta, de quibus Plinius libro ultimo, Dioscor. et Francisc. Ruæus.

2. *Portat in articulo*, ed. vet. Ferrar. an. 1471, Ald. Junt. Colin. Gryph. Pulman. Junian. Lang. etc. *Versat in articulo*, codd. Florent. et Vat. Verba *porto* et *vorso*, sive *verso* sæpe permutantur in codd. — *Articulo* digiti internodio. De annulorum varietate pretio et usu, vide Hugonem Grotium copiose disserentem. ED.

Multas in digitis, plures in carmine gemmas,
Invenies : inde est hæc, puto, culta manus.

3. *In carmine gemmas.* Elegantiam atque ornamenta versuum appellat gemmas.

4. *Inde est.* Hoc est, manus Stellæ non tam dicitur culta a gemmis, quam a versuum venustate et elegantia. Farnabius vero sic explicat : Gemmeis annulis ornatur, quod elegantias et lumina in carmine ponere sciat : et gemmas forte consequebatur ab iis, quorum laudes celebrabat.

XII.

DE EODEM.*

Quod nutantia fronte perticata
Gestat pondera Masthlion superbus,
Aut grandis Linus omnibus lacertis
Septem quod pueros levat, vel octo;
Res non difficilis mihi videtur :

* *De annulis Stellæ* lemma est in codice Florent. *De Masclione* in codice Pulmanni.

— Venuste jocatur in gemmas Stellæ, quibus credo decem puellarum vel ora, vel nominum literæ erant inscriptæ. Alii, inquit, gravia cervicibus onera, alii humeris et brachiis septem octove pueros gestarunt : Stella uno digito portat decem puellas.

1. Scriverius e cod. suo reposuit *perticata* pro *pertinaci*, quod exhibent omnes edd. vett. — *Fronte perticata*, non *pertinaci*, Scriverius legit, atque hic interpretatur contum, seu perticam stupendæ molis erectam, in area frontis gestatam a Masthlione. Vid. Chrysostomus in libro de Jurejurando.

2. *Masclion*, edd. antiq. Ferrar. Ald. Junt. Colin. Gryph. Pulman. Junian. Lang. etc. *Masthilion supinus*, conj. Farnabius. — *Masthlion* (*Masclion*), *Linus*. Viri duo maximis viribus præditi. — *Superbus.* Quum refertur ad mores, in malam partem sumitur ; sed etiam translate ad corpus, et tunc significat *altus*, *procerus*. Rader.

3. *Aut grandis Linus.* Fuere Masthlion et Linus agyrtæ aut præstigiatores, cujusmodi fuisse Athanatum et Fusium meminit Pl. l. VII, c. 20 : «Fusius Salvius duo centenaria pondera pedibus, totidem manibus et ducenaria duo humeris contra scalas gerebat.» In magno pretio erant isti homines quo tempore robur corporis multum valebat.

Uno quum digito, vel hoc, vel illo,
Portet Stella meus decem puellas.

6. *Uno quum digito.* Non puto alienum ita intelligere: Stella uno digito quovis portat, unde sibi habeat ad arbitrium decem puellas, muneribus plerasque faciles. ED.

7. *Levat stella*, In cod. Florent. — *Decem puellas.* Lepide jocatur poeta in gemmis quas digito gestabat Stella. Varia est hujus loci interpretatio. Hoc est: quum Stella uno digito gestet decem annulos a puellis donatos, totidem nempe puellarum pignora, vel pretium decem puellarum, ut intelligit Domitius. Sed meo judicio omnium optime Raderus intelligit decem annulos, in quorum singulis unius puellæ effigies esset insculpta; vel unum tantum annulum gemma ornatum, in qua expressæ viderentur decem puellarum imagines. Forte decem puellæ erant novem Musarum effigies, et Hiantidis, uxoris Stellæ, allusumque ad Pyrrhi gemmam, qua effingebatur Apollo cum novem Musis; de qua Mardobæus sic canit: «Rex Pyrrhus digito gessisse refertur achatem, Cujus plena novem signabat pagina Musas, Et stans in medio citharam tangebat Apollo.» Vid. de gemmis, Plin. lib. XXXVII; Solin. cap. 11; Alex. Neapol. lib. II, 19, ubi mira leges. Senecæ Natur. Quæst. VII, 31.

XIII.

IN CALLISTRATUM.*

SUM, fateor, semperque fui, Callistrate, pauper,
Sed non obscurus, nec male notus eques;

* Se divitibus anteponit, quod divites multi et e populo vel sint, vel esse possint; poetæ rari numerentur.

—Hic nulla lectionis varietas est in codd. aut libris prelo excusis.

1. *Callistrate.* Fuit is divitiarum amantissimus, quem irridet poeta. — *Pauper.* Attamen habebat in agro Nomentano fundum et villam, et rus suburbanum in Tibure. Vid. ep. VIII, 61; IX, 99. *Rader.*

2. *Nec male notus.* Ingenio nempe fuit clarus: attamen equestrem censum, quadringenta scilicet sestertium millia non possidebat; at jus sedendi inter equites fuerat illi concessum ex munere Cæsaris Domitiani; lib. III, epigr. XCIV: «Vidit me Roma tribunum, Et sedeo qua te suscitat Oceanus». De censu equestri clare Juvenalis, sat. XIV, 324. Equester enim ordo tempore Domitiani fœde contaminatus, quum pessimis artibus ad eum honorem pessimi quique et infames admitterentur. Quod Juven. sat. III, 153, deplorat. «Exeat, inquit, Cujus res

Sed toto legor orbe frequens; et dicitur, Hic est;
Quodque cinis paucis, hoc mihi vita dedit.
At tua centenis incumbunt tecta columnis,
Et libertinas arca flagellat opes;
Magnaque Niliacæ servit tibi gleba Syenes;
Tondet et innumeros Gallica Parma greges.
Hoc ego, tuque sumus: sed quod sum, non potes esse;
Tu quod es, e populo quilibet esse potest.

legi non sufficit, et sedeant hic lenonum pueri, quocumque in fornice nati. Hic plaudat nitidi præconis filius, inter Pinnirapi cultos juvenes, juvenesque lanistæ: Sic libitum vano, qui nos distinxit, Othoni. » Libertini et mancipia, præcones, etc., modo illis res esset, XIV ordines occuparunt, ejectis iis qui equestri loco nati, propter defectum census et inopiam, tueri dignitatem non poterant. Hoc tamen intellige non omnes equites habuisse equum, vel censum, vel jus annuli ferendi. Lege Fabrum Sem. II, 6, de hoc genere equitum et de lege Othonis. *Rader.*

3. *Dicitur, hic est.* Digito monstror. Persius: « Pulchrum est dicier, Hic est. » Ed.

4. *Quodque cinis*, etc. Sic lib. III, epigrammate xcix: « Ore legor multo, notumque per oppida nomen Non exspectato dat mihi fama rogo »; et Ovidius, Trist. IV, eleg. 10: « Tu mihi quod rarum est, vivo sublime dedisti Nomen, ab exsequiis quod dare fama solet. »

6. *Libertinas.* Prope immensas interpretare, quales possederunt liberti locupletissimi Narcissus et Pallas, Claudio regnante, et Crispinus etiam, quem exagitat Juvenalis, sat. 1. — *Arca flagellat.* Opes quæ vix contineri possunt in arca qua quodammodo comprimuntur. Hoc verbo jam usus est lib. II, epigr. xxx; et lib. IV, epigr. xlii.

7. *Magnaque Niliacæ.* Syene urbs Ægypti quondam nobilissima. Lib. I, epigr. lxxi et lxxxvii: *glebam* dixit pro *fundo.*

8. *Gallica Parma.* Urbs Galliæ Cisalpinæ ad Padum, ubi lana optima. Lib. II, epigr. xliii; et lib. XIV, epigr. 155: « Vel quam seposito de grege Parma dedit. » Hodie *Parme.*

9. *Hoc ego.* Ego quidem sum inops, at carminibus clarus; tu tantum dives. — *Non potes esse.* Non intelligit Martialis Callistratum a paupertate posse esse semper immunem, sed nobilem poetam illum evadere posse negat.

10. *E populo quilibet.* Ignarus enim et quilibet ex plebe, rem facere suam potest.

XIV.

DE NANNEIO.*

Sedere primo solitus in gradu semper,
Tunc quum liceret occupare, Nanneius;
Bis excitatus terque transtulit castra,
Et inter ipsas pæne tertius sellas
Post Caiumque Luciumque consedit.
Illinc cucullo prospicit caput tectus,
Oculoque ludos spectat indecens uno.
Et hinc miser dejectus in viam transit,



* Venustum sane et elegans epigramma, et summo lepore tinctum. Nanneium scil. solitum ante Domitiani edictum sedere inter equites, et quidem in equestrium primo gradu, qui ad orchestram, ubi senatores: sed agnitum et pulsum aliquoties a designatore Lectio, transisse tandem ad summam caveam, et spectasse inter plebem et pullatos. *Rad.*

— *De Manneio* lemma est in edd. vett.

2. *Tunc quum licebat.* Ald. Junt. Colin. Gryph. etc. — *Quum liceret.* Ante legem theatralem a Domitiano revocatam, qua plebs ab equite, eques a senatore secerneretur in theatro, primi advenientes subsellia prima occupabant.

3. *Transtulit castra.* A designatore *bis terque excitatus*, coactus est sellam suam in locum remotiorem ab equitum loco ad plebis sedilia transferre: et hoc facete dicit, *transferre castra*, ut sermone familiari dicimus, *décamper*. Sellas autem in theatrum inferre solebant Romani. Ed.

5. *Post Caium Luciumque.* Equites scil. Posuerat sellam suam Nanneius in ipsis forte gradibus, ex quo loco, licet tectus cucullo, et vix uno oculo ludos spectans, nihilominus agnitus a designatore fuit expulsus. De sellis in theatrum allatis Suetonius in Nerone, cap. 26. Lipsius, cap. 13, de amphitheatro dubitat, an sic intelligendus sit hic versus, an sellæ sumendæ pro subselliis graduum ipsorum. —Hic versus in omn. ed. claudicat.

6. *Cucullo.* Vid. I, ep. XLVII, 5.

7. *Oculoque uno.* An quia luscus, an quia ita sedebat, ut nonnisi oblique spectare posset? Credo quod altero tantum oculo prospiceret, cucullo obvolutus. — Vid. et Lipsius, de amphitheatro, capite citato. Sic positus inter duos equites *Caiumque Luciumque*, pone tamen illos, tertium et medium quemdam locum obtinere videbatur. Ed.

8. *Dejectus in viam.* Vocabantur

Subselliоque semifultus extremo,
Et male receptus altero genu, jactat
Equiti sedere, Lectioque se stare.

viæ in spectaculis instertitia illa, tum quæ inter ordines erant, tum quibus per proclivum descendebatur. Sic igitur plures vias constituo; circa balthea, scil. quæ theatrum cingebant; et in popularibus per proclivum. Nam Romani illi majorum gentium loca distincta habebant, et cardinibus obsepta, ne vulgus temere ingrederetur. At populi gradus non ita poterant occludi. *Herald.* — *Viam.* Interstitia quæ in spectaculis inter ordines, inter cuneos, et circa balthea erant, non hic signantur. *Via* vero erat inter plebem et equites.

9. *Semifultus.* Semisedens et semistans.—*Extremo.* Subsellio inter equestria quæ erant *viæ* proxima.

10. *Jactat*, etc. Dimidia corporis parte sedebat Nanneius velut eques, altera vero stabat in via, quod plebeiis concedebatur, ut designatori Lectio obtemperaret, metuens ne et illinc expelleretur, ex quo Nanneii situ risum captat Martialis.

11. *Equiti sedere se* in edd. vett. τὸ *se*, quod addebatur post *sedere* contra legem carminis, jure delevit Farnabius. — *Equiti sedere.* Equiti sedet, hoc est, velut eques. Interpretes omnes sic explicant.—*Lectio.* De hoc designatore vid. epigramma VIII, supra.

XV.

AD CÆSAREM DOMITIANUM.*

Quintus nostrorum liber est, Auguste, jocorum,
Et queritur læsus carmine nemo meo.
Gaudet honorato sed multus nomine lector,
Cui victura meo munere fama datur.

* Planum et apertum est hoc epigramma, quo multis vitam, hoc est, memoriam sempiternam se peperisse, et offendisse dicit neminem. Quod nec omnibus lectoribus certe probabitur. Ed.

2. *Et queritur læsus.* Hellenismus, pro *queritur se læsum.* Ubi enim laudat aliquem, verum illius nomen ponit: at vero si improbos carpat, fictis nominibus plerumque utitur.

3. *Gaudet honoratus, sed multum carmine* Beverlandi MS. *honorato, sed multus carmine* codex Pulman. — *Gaudet honorato.* Hoc est, meis carminibus sempiternam nominis memoriam multis conciliavi.

4. *Cui victura fama datur.* Sic Bolæus noster: *Et qui saurait sans moi que Cotin a prêché?* Ed.

Quid tamen hæc prosunt, quamvis venerantia multos?
Non prosint : sane me tamen ista juvant.

5. 6. *Quid tamen hæc prosunt? quamvis venerantia multis Non prosunt : sane*, etc. in cod. Bodl. *Non prosunt sane, me*, etc. in Ald. Junt. Colin. et sic distingui malit Ant. *de Rooy; sane* eleganter concedenti inservit. Vide Burm. ad Ovid. Heroid. epist. XXI, 213; Nostr. inf. lib. VI, epigr. XXXII. — *Quid tamen hæc.* Versus mei nullum quidem mihi fructum afferunt, nec unquam attulerunt, sed tamen me delectant. Hoc idem repetit epigrammate sequenti.

XVI.

AD LECTOREM.*

Seria quum possim, quod delectantia malim
Scribere, tu causa es, lector amice, mihi,
Qui legis, et tota cantas mea carmina Roma.
Sed nescis, quanti stet mihi talis amor.
Nam si falciferi defendere templa Tonantis,
Sollicitisque velim vendere verba reis;
Plurimus Hispanas mittet mihi nauta metretas,

* Dicit ob studium lectoris cujusque pronum in carmina delectantia, ipsum illa anteferre seriis; at talis amorem ludicri sibi magno constare, quum nihil nisi verba laudatoria colligat, dum brevi tempore lites agendo causidicus ditescere posset. Ed.

1. Beverlandi MS. *malo.*

3. *Qui legis, et cunctas* codex Thuaens. *Qui legis, et jactas* in cod. Florent.

4. *Sed nescis.* O lector, ut meis versibus captem tuam benevolentiam, ad inopiam redigor; sed aliis ex studiis, quæ omitto, mercedem consequerer amplissimam. Ita aliis placeo, et circumferor quidem, dum mihi pereo.

5. *Nam si falciferi.* Hoc est, Si velim causas perorare in foro, juxta quod Saturno falcem gerenti dicatum erat templum, teste Macrobio Saturn. lib. I, cap. 8. — *Defendere.* Id est, causas agere, quæ juvant ærarium. Vide libr. III, de Pec. Vet. cap. 3. *Gronov.* — *Templa.* Id est, causas in templo dictas.

6. *Vendere*, etc. Locare linguam, et *voces prostituisse foro*; lib. VII, epigr. LXIII, vs. 7.

7. *Plurimus*, etc. Mittentur mihi a clientibus quos defendi, cadi vini Hispani; nummo æreo implebitur

Et fiet vario sordidus ære sinus.
At nunc conviva est, comissatorque libellus,
Et tantum gratis pagina nostra placet.
Sed non hac Veteres contenti laude fuerunt,

sinus, etc. — *Metretas.* Metreta idem genus mensnræ quod cadus; de Attico loquor. Cæterum μετρητὴς dicitur Græcis et Latinis *metretes*, masc. gen. AC LAT. *metreta*, fem. gen. De qua ingens inter auctores sacros et civiles dispntatio, quantum *metretes* capiat. Et sciendum Syriacum metretem capaciorem Attico; Atticum Romano. Raderus pntat capere 48 sextarios, alii sextarios 60, seu decem congios. Vid. Budæus, de Asse, lib. V. ED. — Cato, cap. 107: « Oleum si in metretam novam inditurus eris, etc. id si feceris, metreta oleum non bibet; et oleum melius faciet, et ipsa metreta firmior erit. » Lege Colnmell. lib. XII, capp. 22, 40, 51. Juven. Sat. III, 246: « At hic tignum capiti incutit, ille metretam. » In Dioscoride et Paullo Juriscons. multa sunt optima de capacitate metretæ. Hoc tamen ante tenendum metretam, amphoram, cadnm pro eodem genere mensuræ accipi. Syriaca capit sextarios 120, Attica, 72: quod Paullus docet. Dubitatio est apud divum Joannem evang. ubi agitur de sex hydriis, an Syriacas, an Atticas, an Romanas metretas intellexerit. Syriacas intellexisse facit ingens copia vini: Romanas crediderim; nam si singulæ hydriæ tantum continnerint duas metretas, mira vis erit vini. Quid, si jam quædam hydriæ ceperunt tres metretas? Lege Maldonatum, Toletnm, Lucam Pœtum Jurisc. de mensnris et ponderibus romanis. Quod si dicas div. Joannem Atticam aut Syriacam metretam cogitasse, intelligerem majorem tunc vini copiam efficere, ut Fannius aliique testantur. *Rader.*

8. *Et fiet Phario* scribendum putabat Rutgersins. *Et fieret vario* codex Pulmanni.

9. Beverlandi MS. *miseraturque libellus* — *Comissator.* Libri mei apti sunt tantum conviviis et comessationibus: vel tractant de symposiis, compotationibus, ludicris, etc. Est antem comessatio, vel comissatio, intempestivum convivinm, præsertim nocturnnm et qnidem post cœnam, qunm non cibis tantnm, sed et lasciviæ indulgerent Veteres.

10. *Et tantum gratis.* Juvenalis, sat. VII, 81: « Gloria quantalibet quid erit, si gloria tantnm est? » Lib. XI, epigr. IV: « Nec sentit landes sacculus iste meus. » — *Gratis placet.* Quia inde non ditesco; nec vivitur vanis laudibus et gloriæ evanido fumo. Ergo *gratis* est sine pretio, quia nemo solvit mihi jocos et hilaritudinem.

11. *Sed non et veteres.* cod. Thuan. *Sed non ut veteres* codex Vaticanus. — *Sed non hac Veteres.* Amplissimis enim muneribus culti fuere poetæ qnondam; ita nt singuli versus singulis aureis redimerentur. Vid. Juv. sat. VII, in qua fuse agitur de sterili poetarum arte. Sententia est veteres poetas non exiguis fuisse

Quum minimum vati munus Alexis erat.
Belle, inquis, dixti : satis est : laudabimur usque.
Dissimulas? facies me, puto, causidicum.

contentos muneribus, ipsumque Virgilium pro minimo munere accepisse servulum, quum præterea ex arte poetica opes amplas consequeretur.

12. *Munus Alexis.* Puer eleganti forma Virgilio donatus a Mæcenate, vel Pollione, de quo Virg. ecl. II.

13. Beverlandi MS. *juvat et laudabimus.* — *Belle, inquis*, etc. Acclamas mihi *Belle*, et laudas, quasi satis sit. Vid. Dial. Quintiliani seu Taciti. Ovid. «inutile studium» id vocat in Trist. et epist. ex Pont.

14. *Dissimulas?* Non vis intelligere, me aliud poscere præter laudem? infr. epigr. XXVI. — *Facies me*, etc. Certe nihil largiendo coges me mutare studium, et foro servire, ubi seges ampla nummorum et omnis generis munerum; et clientibus, quorum magis fructuosa existimatio mihi continget. Conf. lib. I, epigr. LXXVII.

XVII.

IN GELLIAM.*

Dum proavos, atavosque refers, et nomina magna;
Dum tibi noster eques sordida conditio est;

* Gellia sæpe agitata a Poeta, videtur iterum, quæ ob majorum imagines, et nobilitatem jactabunda negabat se nisi senatori nupturam; quum postea cuidam prope mendico nupserit. *Rad.*

2. *Dum tibi*, etc. Dum sordet tibi maritus ex ordine equestri. — *Noster.* Romanus; vel quia equitis jura habebat Martialis. *Conditio.* Gallice, *un parti.* Ed. — Juvenalis satira VI, 167 : «Malo Venusinam, quam te, Cornelia, mater Gracchorum, si cum magnis virtutibus affers Grande supercilium, et numeras in dote triumphos. Tolle tuum, precor, Hannibalem, victumque Syphacem.... et cum tota Carthagine migra.» Quod et Bolæus feliciter imitatus est, sat. X, vs. 471 :

Si quelque objet pareil chez moi deçà les monts,
Pour m'épouser entrait avec tous ces grands noms,
Le sourcil rehaussé d'orgueilleuses chimères;
Je lui dirais bientôt : Je connais tous vos pères;
....
Allez princesse, allez, avec tous vos aïeux,
Sur les pompeux débris des lances espagnoles,
Coucher si vous voulez, aux champs de Cérisoles.

Dum te posse negas nisi lato, Gellia, clavo
Nubere : nupsisti, Gellia, cistifero.

3. *Lato, Gellia, clavo.* Hoc est, viro senatorii ordinis, cujus insigne erat latus clavus, quem sic describit Budæus in Pandect. lib. I : « Ex dictis apparet, inquit, latum clavum tunicam fuisse purpura prætextam, latiorem tunica vulgari, longioremque, ac discinctam, cui toga super induebatur, ut tunicæ. Suetonius in Aug. 94 : « Sumenti virilem togam tunica lati clavi ex utraque parte resuta ad pedes decidit. » — *Clavo.* Variis enim figuris, qua rotundis, qua quadratis, Veterum luxuria lusit in vestibus auro purpurave illudendis : quæ rotundæ erant et in circulum flexæ, *plumas* vocabant Latini, et etiam *clavos*, Græci ἥλους, capita enim clavorum rotunda. Unde et ἀσπιδίσκους Græci etiam vocant; dixerunt et *oculos*. Hinc *vestes purpura oculare* apud Tertullianum. *Plumatæ* ergo *vestes*, et *plumatiles*, et *plumata Babylonica*, quæ pluribus notis ex auro purpurave, acu intextis, sparsa erant et variata : σημεῖα Græcis, Latinis *notæ* et *signa*, hæc vestium ποικίλματα; unde χρυσόσημος vestis, et πορφυρόσημος, aureis purpureisque notis insignita, ut contra ἄσημος, quæ nihil vel auri vel purpuræ intextum haberet. *Plumæ* itaque erant notæ ex auro vel purpura rotundæ, et in modum plumarum factæ, quibus vestes intertexebantur ac variabantur. Sic *clavata vestis* dicebatur, quæ unius formæ clavos, aureos aut purpureos, suis locis insertos et insutos haberet : *picta*, quæ diversia coloribus intexta esset, ac varias rerum animaliumque formas acu expressas ostenderet. *Clavi* vero tam aurei quam purpurei, particulæ erant ex auro vel purpura, nunc rotundæ, nunc quadratæ, quæ tanquam emblemata quædam vestibus inserebantur atque insuebantur, quæ etiam a veste poterant separari, et inde eximi, ut in aliam vestem transferrentur, et de novo consuerentur. *Tunicam* itaque *laticlaviam* aut *angusticlaviam* vocamus, quæ pluribus latis clavis angustisve esset insignita. Qualitate clavi discernebantur equites a senatoribus. Tunicam isti habebant, cui consuti erant multi latiores clavi ; equitum vero tunica clavos angustiores insutos habebat : hinc illa *laticlavia* dicebatur, hoc est, πλατύσημος · ista *angusticlavia*, στενόσημος : ψιχόσημον etiam veteres glossæ interpretantur, quasi quæ micas tantum purpuræ, non clavos haberet. Accedebat et illa differentia, quod senatores, et reliqui omnes, quibus lati clavi jus erat, non cingerentur, sed laticlaviam tunicam rectam pectore demitterent, cinctura minime strictam : inde accipienda illa Horatii, « Et latum demisit pectore clavum ». Equites autem super tunicam angusti clavi cingebantur. Vid. Quintilianus, lib. XI, cap. 3. *Salmasius.* Idem ad Vopisci, pag. 505, 507, existimat πλούμια in veste esse clavos aureos intextos. Cui non omnino assentior : credo enim πλούμια esse omne id quod in vestibus plumaria arte intextum erat, sive essent tabulæ, sive orbiculi vel rotæ.

4. Pulmannus malit *Celtibero.* Beverlandus conjicit *cœstifero*, i. e.

pugili, qui flagellum fert, et in cujus cæsto clavi erant ferrei. Virgilius: « Terga boum plumbo insuto, ferroque rigebant. » Turneb. Adverss. III, 21, *cistigero.* — *Nubere: nupsisti*, etc. Hæc Gellia tumida ob nobilitatem, dum non vult nubere angusticlavio, nec ad senatorias nuptias pervenire potest; ut tamen non nisi laticlavio nubat, nupsit cistifero, hoc est, externæ religionis sacrificulo, qui attamen et laticlavius erat, portabat enim Calasirin, lineum lato clavo ornatum. *Rubens.* — *Cistifero.* Turneb. lib. III, cap. 21, legit *cistigero*, quem pro contemptissimo et vilissimo homine poni existimat, abjectissimo Cybeles sacrificulo, qui ferebat cistulam, in qua religionis Isiacæ erant arcana; nec Cybeles tantum, sed Bacchi, Isidis, Osiridis symbolum, præterea Eleusiniorum sacrorum. Vidend. Baptist. Pii Annot. Prior. Calderinus de Judæo intelligit, cui *cophinum fœnumque supellex*. Inepte legunt alii *Celtibero*. Dicebantur etiam senatores quidam *cistiferi*, qui cistas suffragiorum in comitiis custodirent, de quibus explicat argute hoc epigr. interpres Plinianus, t. V, pag. 80.

XVIII.

AD QUINTIANUM.*

Quod tibi Decembri mense, quo volant mappæ,
Gracilesque ligulæ, cereique, chartæque,

* Excusat non missa Saturnalibus munera, et eo se liberaliorem dicit Martialis, quod pauper nil donarit diviti, id est, nihil petiverit ab illo; sed multum donavit, qui æternum victurum carmen misit, quo amicum fecit immortalem.

1. *Decembri mense.* In Saturnalibus, lib. IV, epigr. XLVI, vs. 1. — *Volant mappæ.* Ultro citroque inter amicos missæ saturnalium tempore, quasque patronis tum mittebant clientes. — *Mappæ.* Quid sint, et quo more usitatæ, dictum lib. IV, epigramm. LXXXIX, vs. 4.

2. *Ligulæ.* Lingulas Grammatici dicunt; lib. XIV, epigr. CXX: quam Gellius sic definit, lib. X, cap. 25: « Existimo lingulam Veteres dixisse gladiolum oblongum in speciem linguæ factum. » Ligula vero in calceis a ligando deducitur. Ligula est etiam apud Plinium, lib. XX, cap. 5, genus mensuræ; hic autem puto sumendam esse pro gladiolo argenteo. Vid. et epigr. seq. vs. 11. — *Cereique, chartæque.* Dona nimirum quæ mitti solebant; lib. XIV, epigr. X, et XI. « Cereos Saturnalibus muneri dabant humiliores potentioribus; quia candelis pauperes, locupletes cereis utebantur. » *Festus.* Vide Macrob. lib. I Saturn. cap. 7; et conf. lib. XIV, ep. XLII. — *Chartæque.* Vide Nostrum, lib. XIV, epigr. X, et XI.

Et acuta senibus testa cum damascenis,
Præter libellos vernulas nihil misi;
Fortasse avarus videar, aut inhumanus.
Odi dolosas munerum et malas artes.
Imitantur hamos dona : namque quis nescit,
Avidum vorata decipi scarum musca?
Quoties amico diviti nihil donat,
O Quintiane, liberalis est pauper.

3. *Et acuta.* Vas testaceum intellige, plenum prunis Damascenis, quorum mentionem facit Plinius, lib. XIII, cap. 5. Damascus, vel Damascum, nobilis Syriæ civitas : alii, *Scham;* alii, *Siam* a Turcis vocari affirmant. Vide lib. XIII, epigr. XXIX. — *Testa.* Vase testaceo metæ, seu turbinis formam habente, « Nunquam turbine conditus ruenti Prunorum globus ; » Papin. — *Senibus damascenis.* Prunis rugosis, exsiccatis furno, sole, fumo (ut lib. XIII, epigr. XXIX), a Damasco Syriæ urbe.

4. *Vernulas,* etc. Domi meæ natos, vel procaces, dicaces, jocosos æque ac vernas. Vid. lib. I, epigr. XLII, vs. 2.

5. *Forte avarus videor* legunt alii, probante Farnabio. — *Inhumanus.* Id est, humaniori vitæ consortio alienus, rudis et impolitus. ED.

6. *Odi dolosas munerum..... artes.* Astutiam illorum qui divitibus paucula mittunt, ut vicissim majoribus muneribus donentur. ED.

8. Brodæus legendum censet : *Avidum vorato decipi scarum musco:* id est, alga : nam Athenæus, lib. VII : χαίρει δὲ τῶν φυκίων τροφῇ· διὸ καὶ τούτοις θηρεύεται· « Gaudet algis vesci, quare illis capitur. » — *Scarum.* Piscem. Vid. ad lib. IV, epigr. LXI, huic simile.

10. *Liberalis est pauper.* Donando enim plus petere videtur, quam donum valeat; unde avaritia est, nedum liberalitas. Vide Isocratis Orationem ad Nicoclem.

XIX.

AD CÆSAREM DOMITIANUM.*

Si qua fides veri, præferri, maxime Cæsar,
Temporibus possunt sæcula nulla tuis.

* Κολακικὸν est : mulget laudando Cæsaris marsupium ; et quiritando occulte petit, ut quod amici non præstant, præstet ipse Cæsar.

1. *Si qua fides veris* Beverlandi MS. — *Si qua fides veri.* Immo, si qua fides adulationis et mendacii turpissimi.

Quando magis dignos licuit spectare triumphos?
Quando Palatini plus meruere Dei?
Pulchrior et major quo sub duce Martia Roma?
Sub quo libertas principe tanta fuit?
Est tamen hoc vitium, sed non leve, sit licet unum,
Quod colit ingratas pauper amicitias.
Quis largitur opes veteri fidoque sodali,
Aut quem prosequitur non alienus eques?

3. *Magis dignos.* Immo indignos. — *Triumphos.* In spectaculis certe, non de hostibus, nisi falsos : ut de Dacis et Cattis victoribus magis quam victis. Vide Suetonium, c. 6, et Dionem. Videtur ergo, hic non tantum militares hos triumphos; sed ludorum et spectaculorum celebritates memorare.

4. *Quando Palatini.* Hoc est, Quando Juno, Minerva, et Jupiter qui colebantur in Palatio, plus de nobis meriti sunt, quam tu, o Cæsar? Alii aliter explicant : Quando majoribus culti fuerunt honoribus, quam nostro ævo? Summo quippe studio Minervam in Palatio colebat Domitianus : Capitolium defenderat et restauraverat : multis numinibus templa refecerat, aut nova ædificaverat. — Vel quandonam dei ipsi de nobis meruere melius, nisi quum Domitianum nobis dedere, quum eumdem nobis servant, et florentem rem publicam præstant? Eligat lector. Ed.

5. *Pulchrior et melior* Beverlandi MS. Male.

6. *Sub quo.* His verbis Domitiano blanditur Poeta; nunquam enim minor fuerat libertas, quum nemini de republica sermones habere liceret.

8. *Colit.* Proprie. Corn. Tacit. Hist. lib. I : « Insignes amicitias juvenis ambitiose coluerat. » Cultores inde designati. — *Ingratas.* Donis, beneficiis, officiis inopes; quasi diceret : Abutuntur divites clientum obsequiis, quæ nullo munere compensant.

10. *Non alienus eques.* Triplex Romæ fuit equitum ordo. Alii enim stirpe sua et censu erant equites, et quidem veri equites; alii qui equo stipendia mererent, atque opponebantur peditibus. Tertius denique equitum ordo sub Cæsaribus primum natus, quibus honoris causa in quatuordecim gradibus sedere licebat, in quo numero fuit noster poeta : Lipsius in Amphitheatro, cap. 14. Hoc vero loco *non alienus eques* stirpe et censu eques. Sensus est : Veri equites neminem prosequuntur donis. Alii aliter. Eques non alienus, secundum Turnebum, lib. IX, cap. 24, est ille quem dives aliquis censu equestri donatum equitem fecerit : hoc est, quem patronum deducit, quem regem comitatur eques factus liberalitate ipsius regis seu patroni. Vid. lib. XIV, epigr. CXXII. — Vid. lib. XIV, epigr. III : « Felix, cui comes est non alienus eques. » Ed.

Saturnalitiæ ligulam misisse selibræ,
  Flammatæve togæ scriptula tota decem,
Luxuria est, tumidique vocant hæc munera reges.
  Qui crepet aureolos, forsitan unus erit.
Quatenus hi non sunt, esto tu, Cæsar, amicus.
  Nulla ducis virtus dulcior esse potest.

11. Hic vulgo faciunt novum epigramma; sed recte notarunt Gruterus et Scriverius hanc partem et conclusionem esse prioris. *Gronov.* — *Saturnalitiæ*, etc. Mensuræ genus est *ligula*: videtur sumi ut epigr. sup. vs. 2, pro gladiolo argenteo, qui constaret selibra argentea sane, ut in versu sequenti loquitur de toga, quæ constaret decem scrupulis; interpretes tamen sumunt pro mensura. Vide supra, epigr. XVIII. — *Selibræ*. Libra seu pondo dividebatur in uncias XII. Sextans sunt unciæ duæ; quadrans, tres; triens, quatuor; quincunx, quinque; semis, seu selibra, sex unciæ; septunx, septem; bes, octo; dodrans, novem; dextans, decem; deunx, undecim. De libra aurea et argentea diximus lib. II, epigr. LIV; et Tabul. Numer. ad calcem primi voluminis. Ed.

12. *Flammatæve togæ* codex Pulmanni. *Flammarisve togæ* in codd. Thuan. et Florent. *Palmarisve togæ*, vel *stolæ* legi jussit Beverlandus. *Palmata tunica* legitur apud Festum. *reripala* pro *scriptula* citat idem Beverlandus. Alii *scrupula*. — *Flammatæve*. Togam purpuream intelligit, a flammæ ardentis similitudine, qua micat purpura. — *Srriptula* (*scrupula*) *decem*. Auri nempe; nam decem argenti scrupulis non emeris togam purpuream. Est autem scrupulum vigesima quarta pars unciæ; in libra autem duodecim erant unciæ. Libra argenti scrupulis constat ducentis octoginta octo. Agricola atque Philander in epitome ejusdem æstimant libram, 400 sestertium, selibram scrupulorum 144, et sestertium 200. Decem argenti scrupula plus minus quindecim sestertios efficiunt. De scrupulis jam dictum lib. IV, epigramm. LXXXIX.

13. Beverlandi MS. *timidique vocant hæc munera regis*. Muneribus pacem sibi redimebant a Romanis reges timentes. — *Luxuria est*. Luxuriosæ et nimiæ largitionis videtur esse divitibus nostris. — *Tumidique*, etc. Et divites patroni vocant hæc magna munera.

14. *Qui rrepet aureolos*, etc. Qui donet ultra unum nummum aureolum, et qui agitati soneut. Lib. XII, epigr. XXXVI, vs. 3. — *Crepet*. Crepat enim quum numeratur, id est, sonat. — *Aureolos*. Volunt plerique romanum aureum æstimatum fuisse 25 denariis, id est, franc. 21. Alii legunt *aureolas*: male.

15. *Quatenus hi non sunt*. Quando tam sordidi et illiberales Romani, esto tu munificus, in exemplum: nam «Regis ad exemplum totus componitur orbis». Claud. VIII, 300.

16. *Dulcior*, etc. Quam munificentia.

Jamdudum tacito rides, Germanice, naso;
Utile quod nobis do tibi consilium.

17. *Jamdudum adunco* Juntina nostra in margine. — *Tacito rides*, etc. Suboluit tibi me hoc in rem meam consuluisse, ideoque subrides. — Irrides velut stultum et morionem; quis enim non petat Cæsarem amicum in suum commodum. *Nasus* sedes irrisionis ut lib. I dictum est, et pro prudentia ponitur. Ed. —*Germanice*. Ex ficta Germanorum clade. Ed.

18. *Utile quod non vis* edd. vett. Ferrar. ann. 1471. Ald. Junt. Colin. Gryph. etc. *Utile quod nobis* cod. Vaticanus, et optt. Scriverii. Vulgo, *quod non vis:* sed istud conjecit J. Rutgersius, et habetur in optimis MS. — *Utile quod nobis*. Quum suasoris sit finis utilitas ejus cui suadet; Martialis contra consilium sibi utile, Domitiano vero, cui suadebat, onerosum dabat. Hunc fucum a Cæsare animadversum, et se ab illo rideri fingit. *Scriverius*.

XX.

AD JULIUM MARTIALEM.*

Si tecum mihi, care Martialis,
Securis liceat frui diebus;
Si disponere tempus otiosum,
Et veræ pariter vacare vitæ;
Nec nos atria, nec domos potentum,
Nec lites tetricas, forumque triste
Nossemus, nec imagines superbas;

* Julium Martialem hortatur ad vitam beatam, id est, voluptuariam, ut non sinat abire bonos soles sine gaudio et delectatione.

— *Ad Martialem* inscribitur in edd. vett.

1. *Si tecum*. Vide lib. IV, epigr. LXIV, de eodem Julio Martiali.

3. *Disponere tempus*. Proprie et eleganter. Plin. lib. IV, epist. 23: « Magnam cepi voluptatem, quum ex omnibus amicis cognovi, te, ut sapientia tua dignum est, et disponere otium et ferre. » Auson. epist. 10, 33: « Tempora disponas ubi tu tua: jusque tuum sit, Ut nil agas, vel quod voles. »

4. *Et veræ*. Lege lib. I, epigr. XVI; atque lib. II, epigr. XC. Vera vita apud nostrum poetam accipitur, pro eo tempore quo indulgemus voluptatibus honestis, ut jam dictum est supra.

7. *Imagines superbas*. Hoc est,

Sed gestatio, fabulæ, libelli,
Campus, porticus, umbra, virgo, thermæ;
Hæc essent loca semper, hi labores.
Nunc vivit sibi neuter, heu! bonosque
Soles effugere atque abire sentit:
Qui nobis pereunt, et imputantur.
Quisquam vivere quum sciat, moratur?

non coleremus nobiles superbos, qui de longa stemmatum, atque imaginum serie gloriantur. Res præclare gestas imaginibus inscribere mos erat. Lib. II, epigr. xc: « Atriaque immodicis arctat imaginibus. »

8. *Gestatio.* Duplicem babet intellectum: primo sensu notat vectionem, quæ lectica, sella, vehiculo, navi solita fieri; altero ipsum locum, in quo gestabantur. Fuit autem gestatio, valetudinis et voluptatis causa Veteribus comparata. Vide Celsum, lib. II, de Re Med. cap. 15; qui in gravibus morbis banc prædicat. Lib. I, ep. xiii, vs. 2. — Significat quoque deambulationem arboribus opacam atque amœnam. Plin. jun. lib. II, epist. 17: « Gestatio buxo, aut rore marino, ubi deficit buxus, ambitur. » Vide Senec. Asclepiad. utrumque Plinium. Paullus gestationem ex arboribus confici tradit, l. competit, 16. Quod vi aut clam. Ulpianus: « Si forte, inquit, voluptati fuit prædium, viridaria, vel gestationes, vel deambulationes arboribus infructuosis opacas atque amœnas babens, non debebit dejicere, ut forte hortos faciat olitorios, vel aliud quod ad reditum spectat. »

9. *Virgo.* Aquam virginem intellige, de qua lib. VI, epigr. xlii; et Marliano, lib. VI, cap. 15; et Plinio, lib. XXXI, cap. 3. — Hanc Agrippa deduxit Romam, via Prænestina. *Virginis* habuit nomen, Plinio teste, quia Herculaneum, rivum propinquum, refugere videtur. Alias ejusdem cognomenti causas affert erudit. interpres Plinianus, lib. XXXI, cap. 3, n° 25, tom. IV. Hoc cognomen alii Tiberio adscribunt.

11. *Bonosque.* Nempe ad vivendum hilariter. — *Soles.* Soles pro diebus dixit Horat. IV, Od. 5, 7: « Populo gratior it dies, Et soles melius nitent. » Virg. Eclog. IX, 51: « Sæpe ego longos Cantando puerum memini me condere soles. »

13. *Et imputantur.* Hoc est, Alius dies non redditur, pro eo quem inutiliter absumpsisti. Lib. X, epigr. xliv. « Gaudia tu differs, at non et stamina differt Atropos, atque omnis scribitur hora tibi. »

14. *Quisquam vivere quum sciat.* Sic lib. I, epigr. xvi. Sensus: vivere quum possit. Horat. Art. Poet. 390: « Nescit vox missa reverti. » Sic ἐπίστασθαι Græcis.

XXI.

DE APOLLONIO.*

Quintum pro Decimo, pro Crasso, Regule, Macrum
Ante salutabat Rhetor Apollonius.
Nunc utrumque suo resalutat nomine: quantum
Cura, laborque potest! scripsit, et edidicit.

* Ironicum est, plenum salis et leporis, et præcipuum hujus loci acumen est in antithesi nominum. Irridet enim Apollonium rhetorem, cui tam infelix erat memoria, ut duo amicorum nomina retinere non posset, nisi scriberet et edisceret, velut orationem. Rader.

1. *Macrum* Rob. Titius emendavit; nam Marcus erat etiam prænomen Licinii Crassi: et sic conj. Heraldus. Macri meminit Tibullus II, 6, 1. « Castra Macer sequitur, etc. » In antiq. edit. Argent. ex quodam cod. notatur *Macrum*. — *Macrum*. Alii *Marcum*, minus bene, meo judicio: jocus est in nominibus ut ostendat ineptiam Apollonii, qui contraria, et secum prorsus pugnantia dicat; Decimum medio nomine salutans Quintum, et de Crasso Macrum faciens.

2. *Rhetor Apollodorus* codice Thuaneo; unde Beverlandus legendum esse censet *rhetor Apollodotus*. « Memini audire ex cl. v. Is. Vossio in MS. esse R. *Apollododus*, de quo dubitandum non est: τὸ Ἀπολλώνιος repugnat legi versus, ut et Ἀπολλόδωρος. *Gronovius*.

3. *Quantum cura*. Videtur alludere ad illud Virgilii: « labor omnia vincit Improbus. » Apollonius enim assiduo labore edidicit duo amicorum nomina, et retinuit tam diu ut posset eos salutare.

4. *Scripserat et didicit* in Beverlandi MS.

XXII.

IN PAULLUM.*

Mane domi nisi te volui, meruique videre,

* Cur Paullo non dicat *Ave*, excusat iter et absentiam Paulli. Paullus hic causidicus nobilis fuit, de quo sæpe Martialis, et Juvenalis, sat. VII.

1. *Mane domi si te merui, volui-*

Sint mihi, Paulle, tuæ longius Exquiliæ.
Sed Tiburtinæ sum proximus accola pilæ;
Qua videt antiquum rustica Flora Jovem.
Alta Suburrani vincenda est semita clivi,
Et nunquam sicco sordida saxa gradu;
Vixque datur longas mulorum rumpere mandras;

que in quibusdam vett. *Mane domi nisi te merui, voluique* Ferrar. 1471; Ald. Junt. Colin. Gryph. *nisi te volui metuique* codex Palat. — *Mane domi*, etc. Haud dubie vera lectio est: *nisi te volui meruique*; cujus sententia est, non quam ponit infra Raderus; verum hæc: Et voluntas fuit mihi te mane salutandi, et tantum in id operæ sumpsi, ut dignum esset eam non perire. Si sciens fallo, vel ulterius absis, et longe plus mihi operæ sumendum sit. *Gronovius.* — *Mane domi*, etc. Si tanti sit tibi officium meum ut te videre mereatur, amor quidem meus is est, ut ad te ire velim, etiamsi longius forent Exquiliæ, ubi tu habitas; *nisi te volui meruique*. Vett. edd. *nisi te merui voluique*, hoc sensu: tam mihi carus es, ut si te modo merear videre, non recusem longissimum iter. Tu enim in Exquiliis, ego ad pilam Tiburtinam habito. Sed es tanti, ut si vel longius illæ forent, ad te sim venturus, modo domi reperiam. *Rader.* Sed Farnabius censet, rescribendum, *metui*: volebat amicum visere, sed metuebat, ne Paulus vel domi non esset, vel negaretur esse. Mihi etiam longius iter sit suscipiendum, nisi merear, et cupiam te videre. Eligat lector.

2. *Exquiliæ* vero locus erat urbis valde distans a pila Tiburtina, ubi erat templum Floræ, unde Capitolium vetus prospiciebatur. Marlianus, lib. V, cap. 9, et 26. — *Sunt mihi* codex Pulmanni.

3. *Sed Tiburtinæ*, etc. Sed ego habito ad pilam in via Tiburtina, lib. I, epigr. CXVIII, vs. 6. *Pila*, id est, columna lapidea quædam, prope viam et portam, quæ ducebat ad Tibur, de qua epig. IV, 57.

4. *Qua videt*, etc. Prope Floræ deæ rusticæ et florum præsidis templum, atque vetus Capitolium Jovis. Templum enim Floræ deæ, erat e regione domus Martialis. Vide Ovidium, Fastor. lib. V.

5. *Alta Suburrani*, etc. Qua per Suburram ascenditur ad montem Exquilinum. Clivus enim *Suburranus* inter urbis Romæ notiora. — *Suburra* vicus Romæ celebris, qui a foro Romano ad forum Nervæ protendebatur, usque in Exquilinum montem. Epigr. lib. II, 17, vs. 1. Hæc via fere semper cœnosa erat ob vicinum macellum. — *Vincenda.* Magno labore superanda et superanda. De his locis vid. Varro de Ling. Lat. IV, 8; Quintil. I, 7, de orthograph. Festus lib. XVII, in verbo *Suburra;* Martial. VI, 66; Juven. sat. X, 136. Melius scribi *Subura*, *Suburanus*. ED.

7. *Rumpere mandras* codex Palatinus: in aliis, *vincere mandras*. — *Rumpere mandras.* Ovium, boum, mulorum septa et claustra mandræ

Quæque trahi multo marmora fune vides.
Illud adhuc gravius, quod te post mille labores,
Paule, negat lasso janitor esse domi.
Exitus hic operis vani, togulæque madentis;
Vix tanti Paullum mane videre fuit.
Semper inhumanos habet officiosus amicos;
Rex, nisi dormieris, non potes esse meus.

proprie appellantur; hic vero mandra significat longam mulorum seriem et multitudinem. Juven. Sat. III, *stantis convicia mandræ.* — Bolæus, Sat. VI, vs. 50 sqq. similia dixit :

Et pour surcroît de maux, un sort malencontreux
Conduit en cet endroit un grand troupeau de bœufs :
Chacun prétend passer; l'un mugit, l'autre jure :
Des mulets en sonnant augmentent le murmure.
Aussitôt cent chevaux dans la foule appelés,
De l'embarras qui croît ferment les défilés.

8. *Quæque trahi*, etc. Ad fabricam excitandam attrahi machinis, trochleisque saxa vides. — *Fune vides.* Machinis, vel plaustris. Ut Juvenal. Satir. III, vs. 255. Idem Bolæus, ead. sat. vs. 37 :

Là je trouve une croix de funeste présage ;
Et des couvreurs grimpés au haut d'une maison
En font pleuvoir l'ardoise et la tuile à foison.
Là sur une charrette une poutre branlante
Vient menacer au loin la foule qu'elle augmente.

10. *Negat lasso.* Idem dixit lib. II, epigr. V.

11. *Exitus hinc* Ald. Junt. Colin. Gryph. etc. *Exitus hic* Palmanni codex. — *Madentis.* Nimbo, luto, sudore diffluenti ob longum iter et arduum.

12. *Vix tanti*, etc. Vix suscipiendus sit labor tantus, etiam si certum esset te domi tuæ repertum iri. — *Vix tanti.* Vix suscipiendus esset tantus labor, etiamsi certus essem te domi futurum; quam ergo moleste feram, post tot labores domi non reperire te, judices velim.

13. *Semper inhumanos.* Conclusio gnomica : quo officiosior cliens, hoc inhumanior patronus. — *Officiosus.* Qui est officiosus, vulgo est homo forensibus officiis negotiisque deditus, quique adeo domi suæ raro est, qui summo mane forum adit. Sic Horatius, lib. I, epist. 7, vocat operam forensem et laborem « officiosam sedulitatem ». Et ibidem « redire ab officiis » ponit pro reverti a foro et dicendis causis. Paullus autem iste causidicus insignis erat, et valde negotiis intricatus. *Rader.*

14. *Rex, nisi.* Si cupis esse meus patronus seu dominus, dormi tantisper, donec salutatum te adveniam. His verbis innuit poeta Paullum summo mane exire, ut et ipse alios salutaret. Lib. II, epigr. XVIII.

XXIII.

AD BASSUM.*

Herbarum fueras indutus, Basse, colores,
Jura theatralis dum siluere loci.
Quæ postquam placidi censoris cura renasci
Jussit, et Oceanum certior audit eques,
Non nisi vel cocco madida, vel murice tincta
Veste nites, et te sic dare verba putas.

* Carpit Bassum, qui vestes colore non eximio tinctas induebat, dum omnes ordines promiscue sederent in theatris; qui autem restituta lege divisionis ordinum, ut eques videretur quamvis non censum haberet, lacernas purpureas et coccineas ostentabat. Ed.

1. *Herbarum fueras.* Vestes virides intelligit poeta : legem vero theatralem, qua equites a plebe in amphitheatro distincti sunt, revocavit Domitianus, quem benignum censorem vocat, epigr. VIII et XIV supr. Viridis color vestium puerilis et femineus, ut ex Juv. docet Lipsius, Elect. lib. I, cap. 13. Græcis χλωρὸς dicitur, latinis etiam galbeus et galbanus : inde galbani mores, id est, molles, feminei.

2. Ant. *de Rooy* conj. *dum siluere fori.* Sic infra lib. VII, epigr. LXIII : «Jura fori». An forte sub oculis habuit locum auctoris Elegiæ de Morte Drusi, 185 : «Jura silent, mutæque jacent sine vindice leges: Aspicitur toto purpura nulla foro.» —*Jura theatralis.* Lex lata ab Othone Roscio tribuno plebis : supr. epigr. VIII et XIV.

3. *Quæ postquam.* Postquam Domitianus Imper. assumpta censura revocavit hanc legem. — *Placidi censoris.* Domitianus enim octavo consulatu censuram sibi perpetuam decerni jusserat, ut scribit Suet. Unde judex morum a Juven. ironice appellatur. Dio scribit cæteros imperatores suis temporibus ab hoc magistratu abstinuisse. Causam addit, quia absque nomine τὸ ἔργον τε τιμητείας εἶχον. *Herald.*

4. *Oceanum.* Designatorem, de quo, lib. III, epigr. XCV, 10.

5. *Ostro madida* codex quidam apud Beverlandum. — *Cocco, murice.* Purpurea; piscis muricis sanguine, seu flore, quem ore habet moriensque expuit, tincta; vel cocco, quod est granum ex frutice vel gramine rubenti natum. Plin. XVI, 12.

6. *Veste nites.* Ut videaris verus eques. — *Sic dare verba putas.* Dare verba est dare nil nisi verba, quum aliquid alicui promittitur, illum decipere verbis. Usurpatur pro *de-*

Quadringentorum nullæ sunt, Basse, lacernæ;
Aut meus ante omnes Codrus haberet equum.

cipere sensu omnino patenti. Ed.

7. *Quadringentorum.* Quamvis vestibus purpureis sis indutus, illæ tamen non æstimantur quadringentis millibus sestertium, quæ censum equestrem constituebant. Lib. IV, epigr. LXVII.

8. *Cordus*, ed. vett. Ferrar. an. 1471; Ald. Junt. Colin. Gryph. etc. *Codrus* codex Pulmanni. Similis confusio est in codd. Juvenal. I, 2, ubi vide cl. Ruperti. — *Aut meus.* Licet enim pauperrimus, ut vidimus, lib. II, epigr. LVII, lacernam tamen coccineam posset sibi comparare. Leg. alii *Cordus*, ut edd. vett.

XXIV.

DE HERMETE.*

Hermes Martia sæculi voluptas;
Hermes omnibus eruditus armis;
Hermes et gladiator, et magister;
Hermes turba sui tremorque ludi;
Hermes, quem timet Helius, sed unum;
Hermes, cui cadit Advolans, sed uni;

* Variis præconiis Hermetem gladiatorem, in omni genere armorum principem laudat. Et vere ter maximum, ut Hermetem Trismegistum in philosophia, sic Hermetem hunc in ludo gladiatorio prædicat. *Rad.*

1. *Martia*, etc. Ævi hujus et Romæ Martiæ, deliciæ et gloria, propter eruditionem in omni genere armorum, ut mox.

2. *Armis.* Vid. quænam fuerint arma gladiatorum in postremis notis hujus epigr.

3. *Et gladiator.* Is nempe est qui in arena spectante populo pugnat. Magister vero gladiatorum Lanista dicitur, qui toti familiæ præest, illamque docet artem gladiatoriam.

4. *Tremorque ludi.* Quem arma gerentem reformidat omnis gladiatorum familia. Porro erant variæ gladiatorum familiæ, certis quibusdam distinctæ coloribus et insignibus, quæ studium populi accendebant. Vid. Juven. sat. XI fin. Ed.

5. *Ælius* in edd. vett. in aliis *Lælius.* Hæc nomina sæpe confusa a librariis. Vide Vinetum ad Sueton. Illustr. Gramm. cap. 2 extr. et init. cap. 3; Guilielm. Quæst. Plautin. p. 239; Interpp. ad Gell. X, 21, et Oudendorp. ad Frontin. IV, 5, 14. — *Quem timet Helius.* Gladiator proximus ab Hermete.

6. *Advolans.* Alter gladiator nobilis, qui *uni* succumbit Hermeti.

Hermes vincere, nec ferire doctus;
Hermes supposititius sibi ipsi;
Hermes divitiæ locariorum;
Hermes cura, laborque ludiarum;
Hermes belligera superbus hasta;
Hermes æquoreo minax tridente;
Hermes casside languida timendus;

7. *Hermes vincere se et ferire* Lipsius, epist. I, 5; *sed ferire* in vulgatis; *nec ferire*, codd. Pulmanni, Cagnerii et Junii, probante Dousa ad Petronium. — *Nec ferire.* Sic enim adversarium implicabat, ut sine ictu illum vinceret, vel qui victo adversario parcebat.

8. *Supposititius sibi ipsi.* Pugnando non defatigatus, sed perinde ac recens gladiatoribus novis congreditur, nec indiget ut sibi alius sufficiatur: vide Lips. Saturnal. Gladiatores enim supposititii erant, qui fessis et victis gladiatoribus sufficiebantur, qui cum victore contenderent, quos et *subdititios*, græci ἐφέδρους nominabant: substituebatur autem unus, alter, etiam tertius gladiator, sorte tamen, non ullius arbitrio. *Rader.*

9. Codd. Pulmanni et Beverlandi *jocariorum.* Vide Salm. ad Solinum, p. 234, et Cælium, lib. XIV, cap. 23. — *Divitiæ locariorum.* Pauperes qui loca commoda in spectaculis a se occupata, et subsellia divitibus tarde venientibus locarent, locarii dicebantur. Ed. — *Divitiæ locariorum.* Unde quæstum faciant qui loca populo in spectaculis designant locantque. Et jam *lucar* dictum, quod prius *locar*: æs nimirum ex locis sive sedibus theatralibus collectum.

10. *Laborque ludiarum.* Uxores vel amicæ gladiatorum ludiæ dicebantur, quæ omnes Hermetem amabant, eumque salvum anxie cupiebant. — *Ludiæ*, sunt etiam mulieres, quæ artem histrionicam exercent, quæ mimos et alias id genus fabulas, ac spectacula exhibent, in iisque faciunt quæstum.

11. *Superbus hasta.* Samnites ante pugnam vibrabant hastas, quos æmulabatur Hermes, atque ut plausum populi captaret, in prælusione hastam mirifice vibrabat.

12. *Æquoreo minax.* Retiarius nimirum, qui adversus Myrmillonem reti et tridente utebatur. Juvenalis sat. VIII: « Movet ecce tridentem Postquam vibrata pendentia retia dextra Nequicquam effudit. » Armaturam retiarii expressam vide apud Lipsium, lib. II, sat. cap. 8. Erant insignia duo genera gladiatorum, nempe Retiarius et Myrmillo. Retiarius gestabat rete ac tridentem; Myrmillo galeam cujus in apice piscis ex ære visebatur, et ensem recurvum. Conabatur Retiarius implicare reti caput Myrmillonis, et eum suo tridente confodere. Vid. Juvenal. sat. II, 143. Ed.

13. *Hermes casside.* Hunc versum explicat Lipsius, sat. lib. II, cap. 12. Martialem, inquit, de Andabata interpreter, ubi Hermetem gladiatorem attollit, et variis armis

Hermes gloria Martis universi :
Hermes omnia solus, et ter unus.

pugnacem facit : quid enim aliud ait languida illa cassis, quam hæc quæ tenebras et languidam caliginem inducit, qua nempe tegebantur Andabatæ, qui cæcorum more pugnabant? Sic Lipsius. — Andabatæ pugnabant ex equis, unde dicti ἀναβάται, id est, ascensores, et litera *d* in latina voce interjecta, Andabatæ et inde titubanti et incerto gradu huc illuc temere ibant, dum galea etiam nutaret ob vacillationem corporis. Forte Hermes per audacem jactantiam cassidem male firmabat. Ed. Sed forte intelligit poeta Hermetem fuisse etiam egregium Myrmillonem. In Myrmillonis galea pictus erat piscis; unde, quum Retiarius esset vibraturus retia, aiebat, « Non te peto, piscem peto. » Hunc autem versum ita explico, nempe Hermetem fuisse tremendum, licet galea ejus esset remissa et veluti neglecta, i. e. *languida*, quum ageret partes Myrmillonis. Ergo erat minax quum moveret hastam, quum esset Retiarius, et aliquando Myrmillo. Itaque solus obibat officia trium gladiatorum. Hinc liquet sensus ultimi versus.

15. *Omnia solus*, etc. Colligit quæ dixerat de Hermete; versibus 1, 4, 5, 7, 10, 11, 12, et potest allusisse ad Hermetem Trismegistum, cujus summam scientiam in philosophia, æquat hujus peritiæ in arena.

XXV.

DE CHÆRESTRATO.*

Quadringenta tibi non sunt, Chærestrate, surge;
Lectius ecce venit : sta, fuge, curre, late.

* Queritur poeta, equites quamvis equitum satu vero priscoque editos, ob egestatem tamen pelli gradu in spectaculis, nec a quoquam juvari; quum tamen divites tale sibi nomen comparare possent. Sed plus equum quam equitem amant. *Rader.*

1. *Quadringenta.* Census nempe equestris, de quo lib. XIV, epigr. LXVII, et epigr. VIII supra.

2. *Sta, fuge, surge, tace* codex Florent. — *Lectius ecce venit.* Designator, qui excitabat et ejiciebat equites censu carentes ex XIV gradibus, id est, equestri loco. Est ergo vox amici admonentis, ut sponte abeat, ne cum rubore postea, jubente Lectio, cogatur abire. — *Sta, fuge,* etc. Verba designatoris excitantis Chærestratum ex 14 gradibus, vel amici monentis, vel poetæ. *Sta.* Quæritur, num licuerit non equiti, in equestribus tamen stare, sic ut

Ecquis, io, revocat, discedentemque reducit?
 Ecquis, io, largas pandit amicus opes?
Quem chartis famæque damus, populisque loquendum?
 Quis Stygios non vult totus adire lacus?
Hoc, rogo, non melius, quam rubro pulpita nimbo
 Spargere, et effuso permaduisse croco?
Quam non sensuro dare quadringenta caballo,

gradum non occuparet? vide supra epigr. XIV. Sed credo intra gradus nec stare quidem licuisse, alioqui non adderet poeta, *fuge*, *curre*; et addit *late*, id est, inter populum, ne Lectius deprehensum inter equites, latentem protrahat. *Rader.*

3. *Ecquis.* Ecquis, inquit poeta, tam honoris et immortalis nominis amans, ut bonum virum Chærestratum liberalitate sua donatum, in equitis honore servatum malit, quam majores sumptus effundere in res inanes? — *Io.* Vox hæc varium habet usum, frequentissime gestientis est, ut *Io triumphe:* alias irridentis; alias dolentis. Hoc loco vocantis videtur, vel plausum captantis, quasi dicat: Quisnam cum laude et applausu omnium vult hunc Chærestratum servatum?

5. *Quem chartis famæque.* Eos enim a poetis immortali carmine celebratum iri dicit.

6. *Quis Stygios.* Quis omni ex parte perire non vult, sed liberalitate nomen suum immortalitati mandari cupit?

7. *Hoc, rogo.* Sensus est: Nonne præstaret pecunia famam emere, quam maximas impensas facere in hæc futilia? — *Rubro*, etc. Aspersiones odoratas croceas e tubis occultis instar roris tenuissimi, ejaculatas in amphitheatro. Epigr. III, lib. Spect. versu 8. Gloss. *Sparsio* κρόκος ὁ ῥαινόμενος. Sed de hac re Lipsius in amphitheatro. Ut autem *nimbum rubrum* dicit Martialis, sic Apuleius et *imbrem odoratum* dixit. Martialis Spectac. lib. « Et Cilices nimbis hic maduere suis. » Idem, lib. IX epigr. « Lubrica Corycio quamvis sint pulpita nimbo. » Ovid. vocat, « liquidum crocum; » Propert. « Solennes crocos »; Lucan. « pressuram croci ». Nec ex siphunculis tantum, sed ex statuis etiam liquor effusus. Ex theatris, amphitheatris, circis sparsiones tandem in triclinia translatæ. Auctor Suetonius in Ner. cap. 31; Plutarch. de Othone narrat idem. Quæ Plinius omnia apud Lips. Amphitheat. cap. 16. Marsilius aqua non vino dilutum ait crocum. — *Pulpita.* Hoc proprie de theatris dictum, in quibus scenæ et pulpita.

8. *Permaduisse mero* in codice Florent.

9. *Non sensuro*, etc. Statuas equorum atque aurigarum: lib. IV, epigr. LXVII. Ut enim ἆθλος est certamen; τὸ ἆθλον præmium certaminis: sic ad hoc exemplum, quum missus equorum sit certamen; et *missum* vel *missarium* de præmio missibus proposito dictum. A præmiis *milliarii* dicti agitatores, ut et equi *ducenarii* et *centenarii*, qui ducenta

Aureus ut Scorpi nasus ubique micet?
O frustra locuples, o dissimulator amici,
Hæc legis et laudas? quæ tibi fama perit?

et centum sestertia merebant. Ab eadem ratione *ducenarii* procuratores, a ducenis sestertiis. Sic non dncenta tantnm sestertia, sed quadringenta equis dabantur. Legitimum præmium quinque aurei. *Salmas.* — *Non sensuro.* Caballus enim fictus non sentit.

10. Bulengerus emendat *Æreus.* Idem de Circo, cap. 33, refert statnam equestrem ab ordine equestri Scorpo positam : « Non modo, inquit, victoribus bravia, præmia, coronæ, sed statuæ et titnli ac elogia victoriæ indicia decernebantnr. » Ærea scilicet Scorpi statua. Sed stant a vulgato omnes codd. Et tribuit alibi Noster Scorpo graves auri saccos. Nihil igitnr mirum, tam diviti statuas aureas. Inquit enim poeta : Confers aurum ad statuam equestrem Scorpi agitatoris, et negligis amicum nobilem. — *Aureus.* Lib. X, epigr. LXXIV : « Quum Scorpus una quindecim graves hora Ferventis auri victor afferat saccos. » Unde mirum videri non debet auream illi statuam positam fuisse : nasus per synecdochen sumitur pro tota statua. Est idem ille *Scorpus*, de quo dictnm lib. IV, epigr. LXVII, et lib. III, ep. L et LIII.

11. *O dissimulator amice*, Editt. Ald. Junt. Colin. Gryph. Junian. Delph. etc. — *O frustra locuples.* Qui divitiis uti nescis, meæque paupertatis notitiam dissimulas. Legimus nos et alii : *O dissimulator amici.* Vid. epigr. IV, vs. 89, et supra, epigr. XX.

12. *Hæc legis*, etc. Probe hæc et vere a me moneri fateris, et tamen famæ hujus et immortalitatis rationem inire non vis? Epigr. supra citato, vs. 9.

XXVI.

AD CODRUM.*

Quod Alpha dixi, Codre, penulatorum

* Fingit antehac offensum Codrum, eique reponendi convicii facit copiam. Nam, ut putat Raderus, hac mntna appellatione ambo pares erimus : sicut te ego primum mendicorum, ita me tu postremum divitum appellabis.

1. *Quod Alpha.* Irridet Codrum, quem, lib. II, epigr. LVII, dixerat alpha penulatornm, hoc est mendicorum primum. *Alpha* notum est quid valeat ex proverbio, *Beta* hoc loco non accipio pro secundo, nihil enim nervi haberet carmen,

Te nuper, aliqua quum jocarer in charta;
Si forte bilem movit hic tibi versus,
Dicas licebit Beta me togatorum.

sed pro uno ex vulgo togatorum, atque adeo postremo. Postremi enim divitum et primi mendicorum admodum affines sunt et cognati, sicut extrema æstas et primus autumnus, adulta hiems et primum ver. *Rader.* His non prorsus adstipulamur. Ed.

3. *Te nuper, aliqua dum* Beverlandi MS.

4. *Dicas licebit vita* in eodem MS.— *Dicas licebit.* Ut pares simus, jam me voca Beta togatorum, hoc est, secundum inter egenos qui togam ferebant. — Jocus est quæsitus a ratione numerandi per literas. Alii alium dant sensum : Te *Alpha* vocavi penulatorum, id est, mendicorum, qui penulam induebantur. At quum toga esset populi universi vestis, petit Poeta ut *Beta*, sive secundus hujus tantæ multitudinis, in qua plurimi certe insignes viri, nuncupetur, nec sibi locum indignum quærit. Hunc putamus esse germanum sensum. Ed.

XXVII.

IN FICTUM EQUITEM.*

Ingenium, studiumque tibi, moresque, genusque
Sunt equitis, fateor: cætera plebis habes.

* Inscriptio hujus epigrammatis in codice bibliothecæ Lugdunensis est, non *In fictum Equitem*, sed, *De non respondenti natalibus suis:* multo melior vulgata. Nec enim iste, quicumque est, inserebat se equestri ordini, unde non erat, sed quum equestri loco natus esset, vitabat tamen quatuordecim ordines propter deficientem censum: et id æquo animo ferebat. *Gronov.*

2. *Sunt equitis, fateor.* Hoc per ironiam concedit Martialis. Horatius eodem plane sensu, lib. I, epist. 1, 57: « Si quadringentis sex septem millia desunt, Est animus tibi, sunt mores et lingua fidesque, Plebs eris : » Δῆμος ἔσῃ: id est; quantumvis animi dotibus, morum integritate, eloquentia et fide excellas, tamen si sex vel septem millia sestertiorum de quadringentis millibus tibi desunt; si summam census equestris integram non habes, Plebeius eris; in XIV ordinibus non sedebis : sic voluit et sanxit lex Roscia. Ed. — *Cætera plebis habes.* Hoc est, non habes censum equestrem. Quapropter etsi vim ingenii habeas, quantum sufficit equiti, studium rerum non futilium, mores ingenuos, et insu-

Bis septena tibi non sunt subsellia tanti,
Ut sedeas viso pallidus Oceano.

per quidem natus sis patre equite, tamen designator inexorabilis te suscitabit quatuordecim gradibus.

3. *Bis septem tibi jam non* editio antiq. Ferrar. anni 1471; Ald. Junt. Colin. Gryph. Calderin. etc. *Bis septena tibi non sint* Beverlandi MS. et sic est in codice Palatino. Hoc distichon interrogatorie legit Farnabius, improbante Gronovio. — *Bis septena.* Non æstimas tanti quatuordecim subsellia, ut paupertatis conscius in iis sedere audeas viso Oceano designatore, de quo lib. III, epigr. xcv; et quatuordecim gradibus fuse dictum epigr. VIII et XIV supra — *Bis septena.* Male Farnabius interrogantem facit Martialem : Cur autem adeo delectaris sede equestri intra quatuordecim ordines, etc. Immo Martialis ultro laudat hunc suum, quod sede equestri abstineat, et quum habeat omnia, quæ decent equitem, præter censum, volens honore sedis careat, nec velit Oceanum Lectiumve timere; secus ac multi faciebant, non modo censu, sed et ingenio, moribusque et studiis et genere equestri destituti. Gruterus autem notat in posterioribus notis, Pal. habere *sint*, quod si recipimus, aliquo modo tolerari altera interpretatio potest. *Gronov.* — *Bis septena*, etc. Non igitur adeo delectaris sede equestri intra quatuordecim gradus, ut opus habeas timere designatorem. Vid. supr. epigr. VIII et XIV. — *Bis septem subsellia.* Male nonnulli *subsellia* hic accipiunt pro scamnis in cuneos et gradus illatis. Ergo *bis septem subsellia* appellat proprie quatuordecim ordines equitum, sive quatuordecim gradus; nam in gradibus subsellia componebantur, ut ait Vitruvius. Item quatuordecim simpliciter sine adjectione. *Herald.*

4. *Viso pallidus Oceano.* Pallidus metu ne Oceanus designator ipsum ejiciat quatuordecim subselliis, et cum plebe releget.

XXVIII.

AD AULUM, DE MAMERCO.*

Ut bene loquatur, sentiatque Mamercus,
Efficere nullis, Aule, moribus possis;

* *Ad Aulum* codex Pulmanni. *In Mamercum* edd. vett.

1. *Sentiatque.* A persona Mamerci cujusdam maledici occasionem captat laudandi nobiles Romanorum familias, quarum cuique propriam quandam virtutem tribuit Poeta.

2. *Aule.* Lib. IX, epigr. LXXII. — *Nullis;* ne integerrimis quidem et optimis : id est, licet moribus sis castissimis, de te tamen detrahet

Pietate fratres Curtios licet vincas,
Quiete Nervas, comitate Rusones,
Probitate Macros, æquitate Mauricos,
Oratione Regulos, jocis Paullos;
Rubiginosis cuncta dentibus rodit.
Hominem malignum forsan esse tu credas;
Ego esse miserum credo, cui placet nemo.

Mamercus : adeo invidiæ furore laborat, ut locum, quem mordeat, semper inveniat.

3. *Curios licet vincas*. ed. antiq. Ferrar. anni 1471; Ald. Junt. Colin. Gryph. Pulman. Lang. Junian. etc. *Curios licet vincat* codex Pulmanni. *Curtios* ex ingenio dedit Dousa, ne claudicet scazon, alioquin semper claudus. Fallitur ed. Delph. quum primam in *Curios* per ecstasin posse produci putet. Talis ecstasis nullibi apud poetas latinos reperienda est. — *Fratres Curtios*. Alii *Curios*, sed, ut modo dictum est, repugnat metro; nam syllaba prima semper est brevis. Juven. sat. II, 3 : « Qui Curios simulant; » judicet lector. — Curtios Montanos circa illa tempora fuisse pietate insignes constat ex Tacito et aliis. Nonnulli volunt respici ad M. Curtii celebre facinus qui armatus insiluit in hiatum terræ, quum dii monuissent non alio modo esse claudendum. Alter Curtius videretur qui se devovit hostibus mactandum, ut victoria penes Romanos esset. Qui quidem si non fratres sanguine, fratres saltem animi constantia et pietate in patriam. Ed.

4. *Drusones* pro *Rusones* edd. vett. Alii *Rufones*. — *Quiete Nervas*. Intelligi credo de Nerva, qui successit Domitiano. Namque is, teste Xiphilino, quietus et mitis. — *Drusones comitate*. De his nihil reperio. Ed. Addenda, quæ hic habet Gruterus in posterioribus notis. Mox pro *Marcos* lege *Macros*, fide MS. intelligit enim *Bæbium Macrum*, ad quem aliquot Plinii epistolæ exstant. *Gruterus*.

5. *Marcos* exhibent edd. vett. — *Mauricos*. Junium Mauricum ab æquitate laudat Plinius Sec., lib. IV, epist. 22, et lib. I, epist. 5.

6. *Faulos* pro *Paulos* Beverlandi MS. — *Oratione*. Eloquentia. — *Regulos*. Atil. Regulum insinuat, vel potius quem sæpe supra; vide lib. I, epigr. CXII, et lib. IV, epigr. XVI, vs. 4. — *Paullos*. Forte, ad quem lib. VII, epigr. LXXI; et lib. IX, epigr. LXXXVII, et sup. epigr. XXIII.

7. *Rubiginosis*, etc. Theoninis et lividis, id est, maledicentia. Ovid. de Invidia : « Dentes felle virent. »

8. *Hominem malignum*. Nam is vere malignus, qui supra describitur; nempe, qui nec bene sentire, nec bene loqui de quoquam potest; et qui omnia perperam interpretatur. Livor etiam et obtrectatio, malignitatis asseclæ sunt. *Herald.*

9. *Ego miserum*. Vere miser, cui nihil placet : cruciatur enim semper, et semper irascitur; amat nullum, omnes odit, omnibus invisus. — *Miserum*, etc. Sic lib. I, epigr. XLI; et infra, epigr. LXI, vs. 4.

XXIX.

AD GELLIAM.*

Si quando leporem mittis mihi, Gellia, dicis,
Formosus septem, Marce, diebus eris.
Si non derides, si verum, lux mea, narras,
Edisti nunquam, Gellia, tu leporem.

* Obliqua petit Gelliam malignitate, et urbane innuit immedicabilem ejus deformitatem. Ed.

— In hoc epigrammate nulla est lectionis varietas, nisi quod Junt. nostra in marg. habet vs. 4, *Gellia, tute parem.*

2. *Formosus septem*, etc. Ex opinione vulgi, cui persuasum pulchros eos in dies sequentes fore, qui leporinam edissent carnem. Plin. lib. XXVIII, cap. 79. Ejus verba: « Sumpto in cibis lepore, vulgus gratiam corpori in septem dies fieri arbitratur, frivolo quidem joco, cui tamen aliqua debeat subesse causa, in tanta persuasione »; causam ipse non affert. Non desunt, inquit Erasmus, qui hanc vulgi opinionem inde ortam suspicentur, quod homines *lepidos* et sermonis *leporem* latine dicamus, atque adeo lepus et lepor aliquo pacto inter se conveniant. Ed. — Et Lamprid. in Alex. Severo, explicat quis sit usus leporis mulieribus.

3. *Lux mea, narras*. Amica, deliciæ, suavium meum, φίλον seu ἱερὸν φῶς. Hom. Il. XVI, γλυκερὸν φάος. Propertio frequens.

4. *Edisti nunquam*, etc. Tu enim nunquam formosa videris: manduca igitur leporem quam citissime.

XXX.

AD VARRONEM.*

Varro, Sophocleo non inficiande cothurno,

* Varronem modestissime hortatur ad lectionem suorum epigrammatum in Saturnalibus.

1. *Varro*. Nec Menippæus, nec Atacinus hic Varro; sed ignotus posteris, notus tantum domi et suis, nisi quod a Martiale illustratus, vivit hodie aliena, non sua Musa redivivus. — *Sophocleo*. Laus Varronis, quem excellentem Tragicum appellat; nam princeps in eo genere Sophocles. — *Cothurno*.

Nec minus in Calabra suspiciende lyra;
Differ opus : nec te facundi scena Catulli
Detineat, cultis aut Elegia comis.
Sed lege fumoso non aspernanda Decembri
Carmina, mittuntur quæ tibi mense suo.
Commodius nisi forte tibi, potiusque videtur,
Saturnalitias perdere, Varro, nuces.

Vide supra, Epigr. v, 8 : « Grande *cothurnati* pone Maronis opus; » et lib. III, epigr. xx, 7; « At in *cothurnis* horridus *Sophocleis*. » Virgil. Ecl. VIII, 10; « Sola *Sophocleo* tua carmina digna *cothurno;* » de Asinio Pollione, suo patrono, tragœdiarum et historiarum scriptore altisono. Vide notas in Virgil. nostræ Edit. tom. I, pag. 180. Ed.

2. Ald. Junt. et Colin. *in calabra suscipiende lyra.* — *In Calabra.* Per Calabram lyram alii intelligunt versus lyricos, quorum princeps Horatius Venusinus, Calabriæ vicinus, ut ipse testatur II, Sat. 1 : « Lucanus, an Appulus anceps. » Alii vero intelligunt versus heroicos, quibus floruit Ennius Calaber, natus quippe Aletii, hodie *Lecci;* alii volunt Rudiis, in Calabria. Judicet lector.

3. *Nec te facundi scema Catulli* Beverlandi MS.—*Differ opus.* Operosa carmina per istas Saturnalitias ferias paulisper intermitte : leviora et jocosa lege. Ed.—*Scena.* Nomen scenæ dramati convenit. Est scena proprie umbraculum, seu ornamentum theatri; pro ipsa tragœdia sumitur. Ed. — *Scena Catulli.* Mimos forte intelligit a Catullo scriptos. Juven. Sat. viii, 186 ; « clamosum ageres ut phasma Catulli. » Hoc est, fabulam dictam phasma, id est, spectrum, a Catullo mimographo scriptam. Raderus interpretatur suavitatem versuum Catulli, et amœnitatem, quæ omnes etiam scenarum voluptates superet.

4. *Cultis aut elegia.* Stylum cultum requirit elegia. Hinc cultus Tibullus dicitur. — *Elegia.* Carmen vulgo lugubre, constans alternis vicibus hexametro et pentametro versu. De Catullo jam dictum, epigrammate 1, 8.

5. *Fumoso.* Calet enim hic mensis foco; et inde fumus. — *Non aspernanda..... Carmina*, etc. Mea hæc. — *Decembri.* Læto Saturnalibus et libertate Decembri; proinde jocis his meis apto.

6. *Mittuntur quæ tibi mense novo* in Beverl. — *Quæ tibi mense suo.* Hæc nempe epigrammata læto Decembri conveniunt, quo aguntur Saturnalia.

8. *Saturnalitias.* Nisi mavis de more ludere talis et perdere nuces. Sic maxime deprimit se Martialis, qui suorum versuum lectioni etiam præferendas nugas censere videtur; aut potius ipsos nugatores carpit.

XXXI.

DE LUDO PUERORUM CUM JUVENCIS.*

Aspice, quam placidis insultet turba juvencis :
Et sua quam facilis pondera taurus amet.
Cornibus hic pendet summis ; vagus ille per armos
Currit, et in toto ventilat arma bove.
At feritas immota riget : non esset arena

Λεῦσσ' ὡς ἀσπασίων ἐπὶ ταύρων παῖδες ἀθύρειν
Τολμῶσιν, χ' ὡς βοῦς ἄσμενα νωτοφορεῖ.
Τῶν κεράτων ὁ μὲν ἤρται ἀπήορος, ὃς δ' ἐπαληθεὶς
Τῶν νώτων, δι' ὅλου θηρίου ὁπλομαχεῖ.
Ἀγριότης ἀτὰρ ἠρέμ' ἔχει, κ' οὐ γήπεδον οὕτω

* Descriptio valde poetica puerorum juvencis insidentium, et per omnia horum membra temere et impavide discurrentium, paulo ante certamen animalium. Ed.

— *Parabola tauri* lemma est in cod. Florent.

1. *Placidis*, etc. Quam intrepide in spectaculis, pueri desultoria quadam arte discurrant inambulentque per terga boum ludibundi et velitantes. Vox *placidis* non potest nisi ad tauros referri. — *Turba*. Puerorum.

2. *Et sua*. Et hinc patet cicuratos fuisse. — *Pondera*, etc. Et quam patienter submittant se percurrentibus pueris boves. *Pondera*. Puerorum.

4. *Et in toto*. Hoc est, vibrat tela ex omnibus taurorum partibus. — *Ventilat*. Ventilare dicebantur gladiatores, quum ante pugnam snos quassabant gladios, et præludebant certamini. Ed.

5. *Ah feritas* in quibusdam. Ant. *de Rooy* conj. *Ut feritas immota riget !* cum admirationis nota, ut apud Terent. Eun. II, 2, 43 : « Ut falsus animi est ! » Adde Hor. II, Sat. viii, 62 ; Virg. Æn. II, 282 ; et Nostr. lib. XIV, epigr. cix. Sed particulam *at* haud ineleganter nonnunquam in admiratione adhibitam videmus. Ovid. Fast. II, 395, et Heins. Idem Ant. conj. etiam, *At cervix immota riget*, hoc est, intenta, erecta stat, ne devolvantur inhærentes. Ovid. Met. VIII, 284 ; Sen. Hercul. fur. 73. Denique, his non contentus, proposuit : *At cervix immota timet*. Cf. lib. I, epigr. vii, 23, et 105 ; et Ovid. Met. I, 652. — *At feritas*. Illi quippe tauri vel certe defatigati, vel potius erant cicures. —

Tutior, et poterant fallere plana magis.
Nec trepidant gestus; sed de discrimine palmæ
Securus puer est, sollicitumque pecus.

Πιστὸν ἂν ἦν, ἔδαφος δ' ἦν ἂν ἀπιςότερον.
Ἴχνια δ' οὐ σφάλλοντ'· ἀμέριμνοί γ' εἰσὶ βραβείου
Οἱ παῖδες· τοῦδ' αὖ θηρσὶ μέμηλε πέρι.

Feritas immota, etc. Tauri dudum feroces stant immoti, et pueris ubi vestigia sistant, unde batuant, præbent terga sua pavimentum firmum ac solidum magis quam *planam arenam*.

6. Gruterus legit : *et poterant;* quod exhibent etiam codd. Pulmanni, Thuan. et Florent. cum Juntina nostra in margine, *et possent* ed. antiq. Ferrar. an. 1471 ; Ald. Junt. Colin. Gryph. etc.

7. *Nec trepidant gestus* codd. Pulmanni, Thuan. et Florent. quasi diceret, pecus magis est sollicitum pro homine, quam homo de se ipso; pueri non timent, et timet pecus : pueri certi sunt de victoria, feræ timent, ne impediant victoriam. *Et nec discrimine parvo* — Beverl. MS. — *Nec trepidant gestus (gressus)*. Hoc est, Taurus incedens figit pedem sine ulla trepidatione. Pueri metus expertes insultant, insistuntque tauris, et certi sunt se palmam relaturos gestiendo, hærendo firme in taurorum tergo, nihilque trepidando. Ed.

8. *Sollicitumque pecus.* Hoc est, pueri de pugnæ exitu securi sunt; tauri vero solliciti, ne sui sessores palmæ præmium amittant. Ed.

XXXII.

AD FAUSTINUM, DE CRISPO.*

Quadrantem Crispus tabulis, Faustine, supremis
Non dedit uxori : cui dedit ergo? sibi.

* Hujus epigrammatis lectionem non variant libri calamo exarati, aut prælo excusi.

1. *Quadrantem Crispus.* Nihil uxori moriens reliquerat, nam omnia vivus decoxerat. — *Quadrantem.* Quartam assis partem. De libræ, seu assis partibus, vid. epigr. II, 54; et supr. epigr. XIX. — *Tabulis supremis.* Codicillis testamenti. Vid. epigr. IV, 58.

2. *Sibi.* Ventri suo et peni, ut

ait Sallust. Catil. Ipse enim vivus omnia decoxerat, nec quidquam moriens habuit, quod uxori relinqueret, fortasse præter æs alienum. De Hermocrate, qui moriens se sibi hæredem testamento scripsit, vid. epist. Lucilii, lib. II, Authol. cap. 50.

XXXIII.

IN CAUSIDICUM.*

CARPERE causidicus fertur mea Carmina : qui sit,
Nescio : si sciero, væ tibi, causidice.

* Imprecatur Noster causidico cuidam, qui lacerabat ipsius carmina, et ultionem poeticam minatur, id est, epigrammatum tela in maledicum, si pervenerit nomen ejus cognoscere.

— Neque in hoc epigrammate quidquam variant, aut exemplaria manuscripta, aut impressa.

1. *Carpere*. Proprie dicitur de herba, foliis arborum, quæ pecudes dente secant avido nec æquali, ita ut hæc gramina videantur quasi lacerata et discissa. Dicuntur etiam *carpere*, quum metunt digitis flores, fructus. Inde translatum est ad scripta et alia hujus modi, atque usurpatur eodem sensu ac maledicere, improbare, sed injuria, affectu quodam, id est, ira, animi præoccupatione, etc. moveri in judicio de auctore ejusque scriptis ferendo. ED. — *Qui sit, nescio*. Non tantummodo cupidus sum cognoscendi nomen ejus, sed scire velim *qui sit*, id est, qualis homo, a quibus moribus, an vitiis laborat, an ridiculus, etc. ut mihi inde eliciatur materia ad conficienda epigrammatum tela. ED.

2. *Væ tibi, causidice*. Disces noscere genus irritabile vatum. ED.

XXXIV.

EPITAPHIUM EROTII AD FRONTONEM PARENTEM.*

Hanc tibi, Fronto pater, genitrix Flaccilla puellam,
Oscula commendo, deliciasque meas;

Σοὶ, Φρόντων γενέτης, σοὶ, Φλακκίλλη γενέτειρα,
Παιδικὰ τάμὰ, κόρην τήνδε συνιςάμεθα.

* Utrique parenti jam defuncto commendat sexennem puellam Erotium, vernulam, immaturo fato exstinctam; ut insontem ejus animam apud Manes excipiant, et ne tellus corpusculo gravis sit. *Rader.* Male Raderus utrique parenti ait commendari Erotium. Immo mater superstes defunctam filiam commendat. Error ex pravo lemmate, quod in codice Leidensi tantum est, *Ad Frontonem*, et post primum distichon : *Epitaphium Erotionis* (sed faciendum est : *Epitaphium Erotii ad Frontonem patrem*) : deinde ex interpunctione inter *Flaccilla* et *puellam*, quæ tollenda est. Nam *genitrix Flaccilla commendo puellam, oscula deliciasque meas, tibi, pater Fronto;* est ergo genitrix Flaccilla, nam ipsa fingitur loquens. *Gron.* — Gronovius contendit corruptum esse hoc lemma, et primum versum sic explicandum, ut modo vidisti. Sed hic sensus vix congruit cum sequente versu : *Inter tam veteres*, etc. Erotium et Erotion dicitur, ut apud Terentium Glycerion, et Glycerium. Alii primum distichon dividunt a sequenti, sed male meo judicio; quod ipse cohærens verborum sensus demonstrat.

— *De Herotionte* inscribitur in edd. vett. *De Erotio* in aliis vett. alii addunt *puella*. *Ad Frontonem* in codd. Leid. et Thuan. *Epitaphium Erotii ad Frontonem patrem* malit Gronovius, quem nos secuti sumus. — Lex metri repugnat lect. *Erotioni*, v. 3, et analogia. Ultima enim recti brevis est, ut sequens confirmat distichon, quod non ita esset, si declinatione diceretur *Erotionis*, etc. — In versione Gallica quam nuper ediderunt Paphiis amorum typis impressam, qui se, non professores, sed milites *emeritos* dicunt, Raderi sensus iterum exhibitur, legiturque inscriptio; ....*ad Frontonem et Flaccillam parentes;* tanquam poeta utrumque alloqueretur. Judicet lector. Ed.

1. Ald. Junt. Colin. aliæ vett. *Flacilla* habent. — *Hanc tibi*, etc. Erotion puellam sexennem immaturo exstinctam fato, filiam vestram, o Fronto et Flaccilla, servi, dum viveretis, mei, vernulam et delicias meas vobis commendo, ut excipiatis animulam ejus, deductamque defendatis a larvis illis, monstris, terroribusque Stygiis, Cerberi trifauci, Eumenidibus, etc. *Rader.*

2. *Oscula mea.* Puellam mihi ca-

Paulula ne nigras horrescat Erotion umbras,
Oraque Tartarei prodigiosa canis.
Impletura fuit sextæ modo frigora brumæ,
Vixisset totidem ni minus illa dies.
Inter tam veteres ludat lasciva patronos,
Et nomen blæso garriat ore meum.

Οὔτ' Ἐρέβους τρέσσαι σκοτόεσσαν Ἐρώτιον ὄρφνὴν,
Οὔτε πέλωρα κυνὸς χάσματα Ταρταρέου.
Ἓξ μὲν χειμερινοὺς κύκλους ἔπλησεν ἂν, εἰ μὴ
Ζῆσεν ἐλασσοτέρως ἤμασι τοσσατίοις.
Κουρίζοι δ' ἐν τοῖς ἤδη πάτρωσι παλαιοῖς,
Οὔνομά τε τραυλῶς τοὐμὸν ἀεὶ λαλέοι.

rissimam : his vocibus blandiebantur amantes, vel desiderantes. Ed.

3. Hic novum Epigramma ordiur in cod. Thuan. cum hac inscriptione, *De Erotione :* in cod. Leid. cum hoc lemmate, *Epitaphium Erotionis :* in quibusdam vett. cum inscriptione, *Ad Eandem.* Scaligeri Versio græca utrumque conjungit. — *Pallida nec nigras* Ald. Colin. Gryph. aliæ vett. *Parvula nec nigras* codex Pulmanni. Lectionem *Pallida nec* damnat Scriverius, tanquam a mala manu profectam; et reponit *Paulula ne*, etc. At *Pallida* valet h. l. *consternata*, ut sæpius. Conf. Senec. Thyest. 563; Ovid. Trist. vs. 2, 1; Sidon. Carm. vs. 79, et Nostr. lib. VIII, epigr. LV. Adi et Wopkens. ad Paulin. in Misc. Obss. Nov. tom. VIII, pag. 857. — *Herotion* in edd. vett. — *Pallida*, etc. Ali *Parvula*; aliis, *paulula*. Nam exiguam fuisse Erotion, nullum est dubium : nondum enim erat sexennis. Vide Scriverium. — *Ne nigras.* Ut a Frontone patre apud inferos excepta non timeat monstra, larvasque stygias, et cæcam caliginem.

4. *Tartarei canis.* Cerberi trifauci latratu personantis. Ed.

5. *Impletura fuit*, etc. Quo minus sextum ætatis annum expleret, defuere illi sex dies.

7. *Lasciva patronos.* Hoc est, inter patrem et avos antiquos defensores ludere liceat in campis Elysiis. Potest etiam patrocinio uti majorum Martialis, jure vernulæ, ita ut non reformidet Cerberum et cætera inferorum terriculamenta, sed lusitet discurratque gestiens more puerorum. Ed.

8. *Blæso ore.* Balbutiunt enim infantes; quod nec injucundum, at in adultis vitium. Mira est gratia imprimis infantulorum, quum primum conantur nomina parentum nuncupare et propinquorum, quum formare primum verba discunt, vocesque quasi tertiant. Tunc vere ad humanitatem paulatim assurgere videntur. Ed.

Mollia nec rigidus cespes tegat ossa, nec illi,
Terra, gravis fueris : non fuit illa tibi.

Λείψανα δ' οὔτ' αὐτῆς σκληρὴ κόνις ἀμπέχοι, οὐδ' οἱ
(Οὐδὲ γὰρ ἦδ' ἦν σοι,) γαῖα, βαρεῖα γενοῦ.

9. *Mollia non rigidus* codex Pulmanni. — *Mollia nec rigidus*, etc. Fausta et solemnis bene precandi mortuis (quos amabant) formula *Sit tibi terra levis*, tumulisque inscripta S. T. T. L. ut scilicet facilis pateret animæ reditio et iter ad sepulcrum in parentalibus. Sepultos autem diris et incantationibus obnoxios hac pia precatione liberari, et minori mole terræ gravari credebant; quibus itaque male volebant, terram gravem imprecabantur: vide quæ ad ult. vers. Hippol. Senecæ adnotavit Farn. et Brisson. Formul. lib. I.

10. *Non fuit*, etc. Illa enim fuit parvula, nec tibi oneri, et discurrens huc illuc, semper loco movebatur, lib. VI, epigr. LII, vs. 5.

XXXV.

DE EUCLIDE.*

Dum sibi redire de Patrensibus fundis
Ducena clamat coccinatus Euclides,

* Gerebat se pro equite Euclides, quum servus esset; quem lepide deridet, dum proditum a clavi de sinu cadente dicit. *Rader.*

1. *Cum sibi redire de patruelibus.* Ald. Junt. Colin. Gryph. Junian. Lang. Delph. aliæ. *Dum sibi redire de Patrensibus* Beverlandi MS. Pro *redire* aliam exstare lectionem conjicio, quam reperire non possum: margini enim ed. Lang. adjectum invenio, al. *redire*. Quoad *Patrensibus*, ut in vett. aliis, sic legit Calderinus. — *Redire*, etc. Reditum sibi esse annuum ex fundis Patrensibus ducenta : sed isti fundi, an ex familia, an ex urbe Patra. — *De patrensibus (patruelibus)*. Hoc est, ex fundis relictis sibi a fratribus patruelibus ducenta sestertia percipere se dicebat Euclides. — Filii autem duorum fratrum *patrueles* appellantur, quia fratrum alter ipsis patruus est. Ed. — Legunt alii, et forte melius, *Patrensibus*. Patræ enim oppidum erat Achaiæ vetus, quo colonia ab Augusto deducta est, situm ad sinum Corinthiacum : hodie *Patras*.

2. *Ducenta* edd. vett. *Ducena* Beverlandi MS. — *Coccinatus Euclides.* Supra epigr. XXIV, vs. 5. — *Ducena.* Subaud. sestertia; nostræ monetæ francicos circiter 31,400.

Corinthioque plura de suburbano;
Longumque pulchra stemma repetit a Leda,
Et suscitanti Lectio reluctatur;
Equiti superbo, nobili, locupleti,
Cecidit repente magna de sinu clavis.
Nunquam, Fabulle, nequior fuit clavis.

— *Coccinatus.* Veste coccinea indutus epigr. XXIV sup.

3. *Corinthioque*, etc. Græcus enim Euclides e Corintho. — *Corinthioque.* Atque plura ex agro qui erat in suburbio Corinthi, quia Euclides Corinthius fingitur.

4. *Longumque pulchra.* Jactatque se ducere genus ab equitibus Castore et Polluce, filiis Ledæ e Jove. *Stemma repetit*, etc. Lib. II, epigr. XC, vs. 6; et epigr. IV, 32.

5. *Lectio reluctatur.* Designatori, cujus munus erat unicuique in theatro locum assignare, eum ex equestri loco excitanti reluctabatur iste græculus claviger.

6. *Equiti superbo*, etc. Ironice, huic Euclidi tam illustri, potenti et magnifico.

7. *De sinu clavis.* Clavis erat insigne quasi servorum; gestabant servi claves, et hoc munus illorum. *Lipsius.* — *De sinu clavis.* Quæ prodidit Euclidem, ostenditque vel servum, qui gestabat claves ædium, vel saltem egenum, qui famulum non haberet, sed suæ domus clavem ipse gestare cogeretur. Lipsius id notavit, an forte vel a cubiculis domino, vel ab ostio, unde ostiarii apud Petronium : « in aditu ipso stabat ostiarius prasinatus, cerasino cingulo cinctus. » *Rader.*

8. *Nequior fuit clavis.* Quæ prodidit fortunas domini sui, ostenditque Euclidem *vel* ipsum esse servum, cui curæ aliena clavis, *vel* pauperem saltem, cui nemo famulus, qui ipsius custodiret claves.

XXXVI.

AD FAUSTINUM.*

Laudatus nostro quidam, Faustine, libello
Dissimulat, quasi nil debeat : imposuit.

* Nullam lectionis varietatem exhibent exemplaria in hoc epigrammate.

1. *Laudatus.* Suis versibus Romanos celebrabat Martialis, ut ab illis munus aliquod acciperet; hic vero, de quo loquitur, finxit se nescire dandum esse Poetæ præmium, atque ita spem ejus defraudavit.

2. *Imposuit.* Gallice, *Il m'en a im-*

posé. Nihil tamen erat promissum muneris ab homine laudato: sed hoc voc. vult intelligi quoddam fieri tacite pactum inter laudatorem et laudatum, ut ille quodammodo se obliget justo præmio laudes, e quibus immortale nomen ipsi contigit auctoris eximii beneficio, pensare. Vid. epigr. IV, et LXXXIX, vs. 10, 11. Ed.

XXXVII.

DE EROTIO PUELLA.*

Puella senibus dulcior mihi cycnis,
Agna Galesi mollior Phalantini,
Concha Lucrini delicatior stagni;
Cui nec lapillos præferas Erythræos,

* *De Herotionte puella* Ald. Junt. Colin. Gryph. etc. *De Herotione puella* Beverlandi MS.

— Luget Erotion puellam, de qua supra, epigr. XXXV, et eam ab elegantia, pulchritudine, suavitate commendat. Deinde vertit stylum in Pætum, qui Martialem velut fractum et mollem reprehendebat, quod vernulæ mortem tantopere deploraret, quum sibimet mortua uxore ipse tamen constaret, et fortiter casum suum ferret. Cui Martialis salse respondet, mortem uxoris videri posse quidem expetiisse, quia inde locupletatus. *Rader.*

1. *Puella.* De qua jam dictum epigr. XXXV, supr. Senes cycni eximio pollent candore, et suavissime, ut multis placet, ante mortem cantant: licet id negent sanioris judicii auctores. Quasi innuere vellet Erotion candidiorem fuisse cycno, suaviusque cantasse, et agna Tarentina molliorem.

2. *Phalanini* edd. vett. *Phalanthini* cod. Palmanni. — *Agna Galesi.* Galesus est agri Tarentini fluvius, ubi multæ oves, quarum lana est nobilissima. Lib. XI, epigr. XLIII. Duce Phalanto restauratum et habitatum Tarentum. Ergo bene legitur, *Phalantini*; non, *Phalanini.* Erant *mollia* Tarentinarum pecudum vellera, quia pellibus integebantur ad teneritudinem conservandam, ut notat Porphyrion ad Horat. Carm. II, 6. Sic μαλακὰ πρόβατα dicuntur Polybio. Apud Megarenses quoque oves pellibus contectæ. Favorinus: « Itemque quidam Tarentinas oves dicunt a Terens, quod est Sabinorum lingua. »

3. *Lucrini stagni.* Lacus ille est in Campania prope Baias. — Non quod ostrea Lucrini gulonibus expetebatur, sed quia « Lævior assiduo detritis æquore conchis. » Vid. epigr. I, 54.

4. *Lapillos præferas.* Pretiosos nempe, hoc est, gemmas natas in mari Rubro. At Farnabius ostendit confundi perperam mare Rubrum et Erythræum.

Nec modo politum pecudis Indicæ dentem,
Nivesque primas, liliumque non tactum :
Quæ crine vicit Bætici gregis vellus,
Rhenique nodos, aureamque nitelam;
Fragravit ore, quod rosarium Pæsti,

5. Beverlandi MS. *pecoris Indici.*

7. *Quæ crine vincit.* Ferrar. an. 1471, Ald. Junt. Colin. Gryph. Junian. Plant. Lang. Delph. aliæ. *Quæ crine vicit* codex Pulmanni. *vicit* facillime migrarit in *vicit*, i. e. *vincit;* et versa vice. — *Bætici gregis.* Oves Bæticæ nativo colore rutilabant. Vide lib. XIV, epigr. CXXXIII, et epigr. XI, vs. 43. Bætis fluvius in Hispania, hodie *Guadaquilvir*, Andalusiam irrigat.

8. *Rhenique nodos.* Germanorum : qui Rheni accolæ, flavos crines, seu rufos obliquabant et in nodum cogebant. Lib. Spect. epigr. III, vs. 9. — *Aureamque nitellam* edd. vett. codex Vaticanus habet *aureamque mitellam ;* et sic conj. Calderinus : « Aureæ mitellæ meminit Optatus, 82, 83, quem locum male corrigit Casaubonus : Fiebant istæ mitellæ (mitræ) ex panno et lana aurea. » Isid. Etym. Male Salmasius *nitelam* legit, quum nitela, eo teste, idem sit ac sciurus, quod sequitur : quam idem male a nitendo deducit prima producta, ad Solin. p. 316. Hinc Theocrito Πέρσαι αἰολόμιτραι. In Copa corripitur prima in *mitella.* Sed tamen dixere æque *mitrella* et *mittella.* « Est *nitella*, κάλλυντρον, Gloss. H. Steph. Sed aliud id; namque nitela est dentifricium, ut ex Apuleio constat. » *Beverland.* In edd. antiquiss. quibusdam *nidelam* legit Cagnerius in aliis reperit, *micellam*, i. e. parvam micam, quæ a Plinio sumitur pro lapillis in littore obliquo auri vel argenti specie ad solem nitentibus. — *Aureamque nitelam.* Rutilos ac rufos puellæ crines comparat Bætico velleri, Germanorum capillis, et nitelæ pilo. Bæticas lanas, rufas sive rutilas fuisse notissimum est. *Nitela* quoque rutilum habet pilum, et præcipue Sciurus, ut propterea *nitelam* de Sciuro accipere potius sit; nam etsi *mus agrestis* etiam rubens sit et rutilus, non tamen ut cum sciuro sit comparandus. Et *nitela* in Glossis est *Sciurus ;* nam δενδροβάτης proprie dicitur. Hinc color *nitelinus* apud Plin. lib. XVI, cap. 37, de rubeo, seu rutilo. Ita ut non mirum sit, crines ad plenum rufos et rutilos *mitelæ* comparasse Martialem, et *auream* vocasse. *Salmas.* Vel, *nitellam*, ut alii volunt *Aureamque nitelam.* Micas pulveris auri repertas in arenis, scobem et ramenta aurea, quibus conspersam comam illuminaverunt.

9. *Rosarium Pæsti.* Rosæ Pæsti oppidi in Lucania, hodie *Pesti*, suavissimum emittebant odorem. Lucania vero hodie dicitur, *Principauté citérieure* in regno Neapolitano. Rosarium est locus rosis consitus. Pæstana autem rosaria rosas bis in annum proferebant, mensibus maio et septembri. Vid. supra ad epigr. XII, 31.

Quod Atticarum prima mella cerarum,
Quod succinorum rapta de manu gleba;
Cui comparatus indecens erat pavo,
Inamabilis sciurus, et frequens phœnix :
Adhuc recenti tepet Erotion busto,
Quam pessimorum lex avara fatorum
Sexta peregit hyeme, nec tamen tota,
Nostros amores, gaudiumque, lususque.
Et esse tristem me meus vetat Pætus :
Pectusque pulsans, pariter et comam velleus;

10. *Quod Atticarum prima*, etc. Prima dicit, velut illibata, integrumque odorem retinentia. Vide lib. XIII, epigr. CIV; mel Hymettium agitur.

11. *Succinorum*, etc. Electrum manu tritum suave olet. Lib. II, epigr. LXIV; Diosc. lib. I, cap. 93. — *Gleba*. Succinum esse fossile, et in duobus locis Scythiæ erui dixit Philemon. Plinius tamen ait ex opinione temporis vulgatissima, defluere succinum ex populis arboribus, et humi cito concrescere et durescere. Nunc invenitur succinum prope quosdam fluvios et præcipue Vistulam. Nesciunt unde formetur, sed constat fluctibus in litore ejici. Ed.

12. Codex Pulmanni *pavus* sive *panus*. — *Indecens pavo*. Quasi dicat, Erotion elegantior pavone, tantoque pulchrior, ut turpis præ illa pavo putari posset.

13. *Inamabilis sciurus*. Quo tamen nihil amabilius, et hodie pueris in deliciis. A σκιὰ et οὐρὰ, quod cauda corpus inumbret, imo tegat. *Rad.* — *Phœnix*. Quæ rara avis, et ut quidam volunt, unica, hac tamen Erotiou in genere suo rarior.

14. *Recenti*, etc. Recens elata est et cremata, epigrammate XXXIV sup. Rogus lignorum strues ad cremandum cadaver; pyra eadem est accensa; bustum, quando igne consumpta est. Ed.

15. Codex Pulmanni et Beverlandi MS. *lex amara*. — *Avara*. Quæ illi tam parce, tam maligue annos ad vitam agendam annumerari decrevit. Ed.

16. « Pro *peregit* reponendum videri queat, *peremit;* nam sic omnino lib. X, epigr. LXI : « Hic festinata requiescit Erotion umbra, Crimine quam fati sexta peremit hiems. » Sed *peragere* etiam pro *perimere*, Valer. Flac. lib. I : « Fert gravis invito victorem Nestora tergo Monychus, ardenti peragit Clytus Actora quercu. » Sic διαπράττειν Græcis. *Heraldus*. Vide epigr. XXXIV supra. — *Sexta peregit hieme*, etc. *Nec tamen tota*, dicit; quia sex dies defuerunt, sicut ipse supra dixit epigr. XXXIV.

19. *Pectusque pulsat* Codex Pulmanni. *Pectusque pulsem* Beverlandi MS. *et coma vellem* codex Vaticanus : « Et ita omnino legendum; nempe, inquit, Pætus vetat ut pul-

Deflere non te vernulæ pudet mortem?
Ego conjugem, inquit, extuli, et tamen vivo,
Notam, superbam, nobilem, locupletem.
Quid esse nostro fortius potest Pæto?
Ducenties accepit, et tamen vivit.

sem pectus, etc. » *Beverlandus.* Sed omninu errat hic Beverlandus, judicio cl. Wernsdorfii. « An versus hic ad Pætum referendus, qui ex indignatiune pectus pulsaret, et comam velleret? non puto. Ad Poetam ergu? at non bene procedit oratio : *Non te pudet pectus pulsans et comam vellens?* Diceudum fuerat, nisi me omuia fallunt, *Non te pudet pectus pulsantem et comam vellentem?* Ἀνακόλουθον itaque statue; vel mecum lege : *Pectusque pulsas, pariter et comam vellis? Deflere non te vernulæ pudet mortem?* Quasi e persona Pæti diceutis : Tu pectus pulsas? etc. quod proprium erat defuuctos lugentium. Vide supra, lib. II, epigr. XI (et iufra lib. X, epigr. L); et Kirchmanu. de Funerib. lib. II, capp. 11, 12; J. Nicolai de Luc. Gr. cap. 12, quibus adde Tacit. Annal. I, 23. » *Ant. de Roor.* — *Pectusque pulsans*, etc. Qui afflictis lugeudi mos erat, in funeribus præcipue. — Tam ægru animo casum filii auditum, vel fictum sustinuit Solon, ut sibi caput cæderet, et alia faceret quæ ab afflictis soleut, iuquit Plutarch. iu ipsius Vita. Pœtus comam vellebat et pectus plangebat, spectante Martiale, ut ostenderet se graviter casu premi, et conjugem lugere claram, et potentem, atque nihilominus modum facere tandem luctui, fortique animu ferre necessitatem fati, et vivere; proinde faceret idem. De his siguis et argumentis luctus uberrime Heraldus ad epigramm. lib. II, 11.

20. *Deflere*, etc. Verba Pæti, Martiali luctus mudum suadentis, suu exemplu.

23. *Quid esse nostro*, etc. Respondet poeta irouice collaudans Pæti furtitudinem, imo exprobrans illi fictum dulorem, sive potius gaudium, cui e conjugis murte obtigerit dos tam ampla.

24. *Ducenties accepit.* Ducenties ceutena millia sestertia, id est, gallicæ monetæ 3,140,000 francicos. Ed. — Hic epigrammatis aculeus. Male vero cum Pæto agitur : qui quum tautis calamitatibus vexetur, mirum qui possit vivere, nam ducenties sestertium murte uxoris accepit. O fœda calamitas et abominanda! εἰρωνεία. *Herald.* Rigaltius dicit ideo eum furtissimum esse, quia duceuties accepit, et tamen vivat : quasi scil. CC. plagas accepisset, sive CC. ictus sustiuuisset. — *Et tamen vivit.* Regerit facete in Pætum hæc sua verba.

XXXVIII.

IN CALLLIODORUM.*

Calliodorus habet censum, quis nescit? equestrem,
Sexte: sed et fratrem Calliodorus habet.
Quadringenta secat, qui dicit σῦκα μέριζε·

* Plenum salis et leporis epigramma. Calliodorus eum fratre censum equestrem possidebat, eoque se equitem jactabat. Martialis primum negat Calliodorum esse equitem partitis bonis: deinde docet ridicule, quo pacto possit uterque esse eques; nempe ut vel duo uni insideant equo, sive subsellio in spectaculis; vel Castorem et Pollucem imitentur, et per vices, ut illi immortales, ita isti equites sint, hodie Calliodorus, postridie frater. *Rad.*

1. *Censum equestrem.* Sestertia 400. Vid. epigr. 1, 85.

3. *Quadraginta seca* legendum censet Janus Rutgers. Var. Lect. lib. VI, cap. 11. Rescribendum putat Petitus in Miscellaneis, *Quadragintă secat, qui dicit* σὺ κ' ἐμέ ῥ' ἵζε, etc. Beverlandi MS σῦκεν ἐφ' Ἑρμῇ. Proverbium quum aliquid in via reperissent: pro eo dicebant κοινὸς ὁ Ἑρμῆς. Suid. Vide Phurnutum, p. 23. Ineptam Petiti conjecturam pronuntiat idem Beverlandus. — *Quadringenta secăt.* Sed frater (inquit Poeta) cogit te dividere quadringenta, sibique ducenta poscit. — *Secat, qui dicit*, etc. *Seca*, legendum censet J. Rutgersius, lib. VI, cap. 11, Var. Lect. Et frater ille tuus qui hæreditatem ad assem usque, et minima quæque ut et ficos dividi ex æquo poscit, aufert tibi medium censum. Rescribendum putat, Petitus: « Quadringenta secat, qui dicit σὺ κ' ἐμὲ ῥ' ἵζε, » etc. Calliodori pater censum habuerat equestrem; superstites autem reliquit duos filios, hunc Calliodorum, et alterum minorem. Quum autem illi esset tantum equestria census, nec amplius quidquam haberet in bonis; necessario fiebat, ut Calliodorus equestrem censum non haberet; nam Calliodori minor frater e quadringentis illis, quæ pater in bonis reliquerat, repetebat sive legitimam, quæ ab intestato defertur; sive datum legatum ex testamento. Itaque quadringenta illa equestris census, quem *equi* nomine significat Poeta, secabat. Secabat autem, quia dicebat fratri, σὺ κ' ἐμὲ ῥ' ἵζε, *tu fac me quoque sedere*, equo scilicet, id est, da mihi meam de bonis paternis partem. At uno equo sedere duo non possunt; hoc est, neuter totam hæreditatem paternam potest vindicare, et censum equestrem habere. *Petitus.* — *Qui dicit.* Qui habet jus petendi alteram hæreditatis partem, frater nempe.

Uno credis equo posse sedere duos?
Quid cum fratre tibi, quid cum Polluce molesto?
Non esset Pollux si tibi, Castor eras.
Unus quum sitis; duo, Calliodore, sedetis.
Surge : solœcismum, Calliodore, facis.
Aut imitare genus Ledæ; aut cum fratre sedere
Non potes : alternis, Calliodore, sede.

— Σῦκα μέριζε. Adagium est in eos, qui quum parvam adierint hæreditatem, eam tamen ipsam coguntur in plures partiri cohæredes, ita ut videantur *ficos dividere;* vel σῦκα μέριζε, id est, divide mecum totam sortem hæreditatis æqua ratione, ad usque assem, hoc est, minima, maxima; ita ut σῦκα minima bonorum signent, nihilque non esse dividendum.

4. *Uno credis.* Calliodorus una cum fratre censum equestrem habebat : Ergo, inquit Poeta, si ex censu communi estis equites, equo pariter communi sedere debetis, et communi subsellio, quod ridiculum est.

5. *Polluce molesto.* Fratre (ut ille Castoris) qui officit tuo honori, dimidiatus eques.

6. *Non esset Pollux.* Pollux et Castor filii Ledæ ex Jove, quorum ille pugil, hic vero eques, unde in nominibus facetus est Poetæ lusus. Pollux enim pugil, Castor eques; frater ille tuus quasi pugil tibi reluctatur, ne possis esse eques.— Pollux partitus est immortalitatem cum fratre Castore, veluti partiris quadringenta sestertia cum fratre; et tibi nocet, ne integro fruaris, frater, ut Castor alterna immortalitate gaudebat. Ed.

7. *Unius cum sitis* Junt. ann. 1512, et Colio. ann. 1528. — *Unus quum sitis ; duo (Unus, quum sitis duo.)* Neque enim licet dicere, Unus sedetis; et tamen deberet dici. Hoc est : Unum tantum deberetis occupare subsellium, quum unum habeatis censum equestrem. Apage ergo, o Calliodore, facis solœcismum. Posset aliter interpungi, *Unus quum sitis;* hoc est, eques.

8. *Solœcismum*, etc. Nec enim fas dicere, *unus sedetis.*

9. *Genus Ledæ*, etc. E quibus Castor immortalitatem suam cum fratre partitus est, ut alternis vicibus morerentur et reviviscerent. Ita vos per vices estote equites, nisi alterum dicat oportere mori et ad inferos descendere, ut superstes sit eques.

XXXIX.

IN CARINUM.*

Supremas tibi tricies in anno
Signanti tabulas, Carine, misi
Hyblæis madidas thymis placentas.
Defeci : miserere jam, Carine.
Signa rarius, aut semel fac illud,
Mentitur tua quod subinde tussis.
Excussi loculosque sacculumque.
Crœso divitior licet fuissem,
Iro pauperior forem, Carine,
Si conchen toties meam comesses.

* Fingit Martialis, se diu frustra muneribus captasse hæreditatem Carini tussientis. Optat enim illi exitialem tussim, quia non amplius habet quod donet. Improbas captantium et captatorum artes carpit sine invidia, dum se ipsum captatorem et Carinum captatum simulat. *Rader.*

1. *Supremas*, etc. Sæpius mutanti tabulas testamenti, ut illicias captatores quos captes. Luciani dialog. Petron.

2. *Misi.* Poeta se captatorem fingit, quo cautius improbas hæredipetarum artes carpat.

3. *Hyblæis madidas.* Melle Siculo imbutas. Hybla mons Siciliæ, ubi thymus vel thymum frutex nobilis, unde flores melli conficiendo aptissimos decerpunt apes.

4. *Defeci.* Exhaustus sum, non suppetit quod ultra mittam. — *Miserere.* Quasi diceret : Tu tandem morere.

5. *Signa rarius*, etc. Vel noli spem nostram eludere toties mutando testamentum ; vel semel morere, et sic præsta fidem tussi tuæ mendaci. Vide lib. XII, epigr. LVI.

6. *Mentitur tua.* Sæpius enim interitum tuum pollicita spem nostram defraudavit.

7. *Sacculumque.* Gloss. *saccellus*, βαλάντιον.

8. *Crœso.* Lydiæ rex fuit ditissimus, cujus notior est historia ex Herodoto.

9. *Iro pauperior.* Fuit Irus homo pauperrimus, de quo Homerus, Od. 18.

10. *Si conchem* in edd. vett. ; in quibusdam aliis, *Si concham.* Cætera, nulla est varietas in libris impressis, aut manuscriptis. — *Si conchen.* Conchis fabæ genus, sive

edulium ex faba. Juven. Sat. III: « Cujus conche tumes? » Sensus est: Si quoties signas testamentum, toties conchen tantum, id est, ferculum ex oleribus vilissimum, non vero mellitas placentas misissem, ad extremam tamen paupertatem essem redactus.

XL.

AD ARTEMIDORUM.*

Pinxisti Venerem; colis, Artemidore, Minervam;
Et miraris, opus displicuisse tuum?

* Austerioris philosophiæ cliens et severioris disciplinæ studiosus, non belle, non cum gratia et venere aggrederis Veneris jocos et Musas hasce leviores. Quin Gratiis sacra facis, o Xenocrates? Vide lib. I, epigr. CIII. Vel irata Venere pinxisti Venerem, et miraris Veneri tuæ deesse venerem. Cur irata? quia anteponis illi Minervam, quam colis, quam tibi etiam habes iratam, Veneris pictor. Jocus est in pictorem rudem.

— In hoc epigrammate exhibendo nullo modo variant, aut scripti, aut impressi.

XLI.

IN DIDYMUM.*

Spadone quum sis eviratior fluxo,
Et concubino mollior Celæneo,

* In fastuosum superbumque spadonem Didymum scribit, quem ut dubium equitem affirmat, itaque maritum, qui honoratus erat, negat. *Rader.*

— *In Dindimum* lemma est in edd. vett. *In Didymum* in aliis. Pulmannus conj. *Ddymum*, de quo lib. XII, epigr. LXXV.

1. *Spadone*, etc. Gallum Cybeles sacerdotem credo intelligi, propter Atyn in versu seq. — *Fluxo*. Molli. Eviratis fluxæ sunt carnes.

2. *Concubino Celæneo*. Aty puero Cybele adamato, a qua offensa in furorem actus, sibi testes exsecuit. *Celænæ* autem Phrygiæ, unde et Cybele, urbs, et tumulus Asiæ, juxta quam Gallus fluvius. Ovid. lib. IV Fastorum.

Quem sectus ululat matris entheæ Gallus,
Theatra loqueris, et gradus, et edicta,
Trabeasque, et Idus, fibulasque, censusque;
Et pumicata pauperes manu monstras.
Sedere in equitum liceat an tibi scamnis,
Videbo, Didyme : non licet maritorum.

3. *Sectus Gallus.* Castratus Cybeles sacerdos. — *Ululat.* In sacris ululatus requiritur. — *Matris entheæ.* Cybeles numine suo afflantis, et sacerdotes in furorem vertentis.

4. *Theatra loqueris.* Jus in theatro spectandi, quasi ad te spectent illa equestria insignia, sedes et honores. — *Gradus.* Quatuordecim gradus. — *Edicta.* Decreta Domitiani. Vid. supr. epigr. VIII : « Edictum domini deique nostri, Quo subsellia certiora. »

5. *Trabeasque, et Idus.* Equites Romani trabeati, seu induti vestes trabibus pannorum albis et purpureis intertextas transvehebantur idibus juliis. Valer. Max. lib. XI, cap. 11. Vid. Bayfius, de re vestiaria, cap. 10. Coronabantur et oleæ ramis in ea transvectione, ut docet Dionys. Halic. lib. VI. Antiq. Rom. Quare *idibus juliis?* Quod eo die equites, Castore et Polluce visis in prælio pro re Romana stantibus, Latinos vicerint. — *Fibulasque.* Non adstrigmenta illa et custodias pudoris, de quibus lib. VII, epigr. LXXXI, et lib. XIV, epigr. CCXV, sed fibulas illas in nobilitatis insigne equitibus indultas, et Tribunis aureas in trabea vel chlamyde gestatas. Liv. Plutarch. Pancirol. et alii. — *Censusque.* Equestres ; lib. IV, epigr. LXVII, vs. 1.

6. *Pumicata*, etc. Pumice lævigata, quæ delicatorum erat mollities. Nam eo mollitiei, non dicam elegantiæ, devoluti erant, ut non solum manus, sed et alias corporis partes, pumice sibi lævigarent : expono ergo *pumicatam manum*, teneram, lævem, mollem, delicatam, quales sunt nobilium feminarum et puerorum. Plin. lib. XXXVI, et lib. II, cap. 11 ; Juven. Sat. VI et VIII ; Sidon. Apoll. lib. I, epist. 7, etc. — *Pauperes monstras.* Per contemptum.

7. *Sedere.... an liceat.* Utrum permiserint tibi sedere designatores Oceanus et Lectius quatuordecim in equitum subselliis.

8. *Videbo Didyme* in Junt. ann. 1512 ; quamvis in lemmate habeat *Dindimum*. — *Videbo.* An sis verus eques, si nempe designatores siverint sedere te in quatuordecim subselliis. — *Non licet.* Sedere in scamnis maritorum, quia spado es, vel effœminatus ut spado. Ordinem vero maritorum olim in theatro locis honestis constituerat Augustus. Suetonius in Augusto, cap. 44 ; Tacit. Annal. III ; A. Gell. lib. II, cap. 15.

XLII.

AMICIS QUOD DATUR, NON PERIRE.*

Callidus effracta nummos fur auferet arca;
Prosternet patrios impia flamma Lares.
Debitor usuram pariter sortemque negabit;
Non reddet sterilis semina jacta seges.
Dispensatorem fallax spoliabit amica;
Mercibus exstructas obruet unda rates.
Extra fortunam est, quidquid donatur amicis;
Quas dederis, solas semper habebis opes.

Χρήματ' ἀρεῦ κλέπτης, τοὺς φωριαμοὺς ἐπανοίξας.
Αἶψα κατασμύξει φλὸξ πατρικὸν μέγαρον,
Χρήστης καὶ τὸ δάνος καὶ τὸν τόκον οὐκ ἀποδώσει·
Σπέρμα καταβληθὲν βῶλος ἄκαρπος ὀλεῖ·
Οἰκονόμον δολίαι ἀποσυλήσουσιν ἑταῖραι·
Κῦμα διαῤῥαίσει φορτοφόρους ἀκάτους.
Πᾶν, ὃ φίλοις χαρίσαιο, τύχῃ ἀναφαίρετόν ἐστιν·
Ὧν μεταδῷς, μούνων κύριος αἰὲν ἔσῃ.

* *Amicis*. etc. (*Amicis esse donandum.*) Inscribunt alii : *Amicis quod datur non perire.*

— *Amicis esse donandum* inscriptio est in Ald. Junt. Colin. Gryph. Pulm. Junian. Lang. Delph. etc.

1. *Callidus effracta*, etc. Laudat hoc epigrammate munificentiam, et eas opes perpetuo servari affirmat, quæ amicis dantur, quum omnes aliæ divitiæ incertis fortunæ casibus eripi possint.

3. *Sortem*. Summam integram, pro qua usuræ penduntur a debitore, *le capital.*

5. *Dispensatorem*. Dispensator est servus, qui familiæ rationes dispensat, peculiique administrationem habet, et herilem pecuniam expendit. Quasi dicat : Sæpe dispensator donat pecuniam domini amicæ, amatorem circumvenienti, pretium nequitiæ. *Raderus.*

7. *Extra fortunam*, etc. Extra fortunæ aleam, nullatenus fortunæ obnoxiom. M. Antonius apud Rabirium poetam, « Hoc habeo quodcumque dedi », etc. Senecæ lib. VI, de Benef. cap. 3. Notum et illud Alexandri, interrogati ubi suos reconderet thesauros : *Apud amicos*, inquit. *Plutarch.*

8. *Quas dederis*. Memores amici accepta beneficia reponunt.

XLIII.

DE THAIDE ET LECANIA.*

Thais habet nigros, niveos Lecania, dentes.
Quæ ratio est? emptos hæc habet, illa suos.

* In hoc epigrammate nullam lectionis varietatem produnt exemplaria, aut scripta, aut excusa.

2. *Emptos hæc habet.* Nimirum Lecania. Inde patet dentes adscititios albos Romanis innotuisse.

XLIV.

IN DENTONEM.

Quid factum est, rogo, quid repente factum?
Ad cœnam mihi, Dento, quod vocanti,
Quis credat? quater ausus es negare.
Sed nec respicis, et fugis sequentem;
Quem thermis modo quærere, et theatris,
Et conclavibus omnibus solebas.
Sic est : captus es unctiore cœna,
Et major rapuit canem culina

1. *Quid factum.* Facete irridet istum Dentonem; quater ad cœnam vocatus recusaverat, qui alias per totam urbem seqni Poetam soleret. Jocum etiam quærit Martialis a nomine Dentonis, quod videtur ex dentibos deduci. Vide lib. XI, epigr. XIV. Canem porro illum vocat, quod culinam unctiorem odoratus alliceretur.

4. *Sequentem.* Me sequentem ut invitem te.

5. *Thermis, theatris.* Vid. lib, II, epigr. XIV; lib. Spect. epigr. II. — *Quærere*, ut a me invitareris.

5. *Conclavibus*, etc. Cœnationibus, cellis.

7. *Unctiore mensa* Gruterus legendum censet, ex tribus codd. et sic codex Pulmanni. Sæpius *mensa* et *cœna* permutantur. Vid. ad lib. I, epigr. CIV.—*Unctiore mensa* alii; forte recto sensu ciborum illuvie.

8. *Canem culina.* Cœnipetam Dentonem, instar canis odorantem lautiorem officinam.

Jam te : sed cito cognitum et relictum
Quum fastidierit popina dives,
Antiquæ venies ad ossa cœnæ.

9. *Sed cito*, etc. Sed agnitus fastiditusque divitibus, quorum gratiam nullis artibus potes aucupari, redibis ad tenuem mensam meam: tum hinc quoque abigeris; et fies tandem canis ille Æsopicus. *Rader.*

XLV.

IN BASSAM.

Dicis formosam, dicis te, Bassa, puellam.
Istud quæ non est, dicere Bassa solet.

1. *Bassa*. De qua jam dictum lib. I, epigr. xci. — *Dicis formosam.* Negare soles et contrarium dicere: (ut Galla, lib. II, epigr. xxv) hic sane præter mentem tuam non es quod dicis, formosa et puella, sed anicula et τριβάς. Vide supra Nostrum, loco citato.

2. *Istud quod non est* ed. antiquiss. Ferrar. an 1471. Ald. Junt. Colin. Gryph. Pulm. Junian. Lang. Delph. Par. an. 1754, etc. *Istud quod non est*. Gruterus et Scriverius ex codicibus manuscriptis suis hauserunt meliorem lectionem: *Istud, quæ non est, dicere Bassa solet*; probantibus VV. DD, quos sequi nunc mihi placuit.

XLVI.

AD DIADUMENUM.

Basia dum nolo, nisi quæ luctantia carpsi,
Et placet ira mihi plus tua, quam facies;

1. *Nisi quæ luctantia carpis* Pulmanni codex. — *Basia luctantia.* Multis locis expressit Noster eamdem lascivam sententiam. Ed.

Ut te sæpe rogem, cædo, Diadumene, sæpe;
Consequor hoc, ut me nec timeas, nec ames.

3. *Cedo o Diadumene.* Janus Rutgersius legit : vid. Var. Notas. — *Cædo* (*cedo*) Alii *cædo*. Lib. III, epigr. LXV de Diadumeno diximus. — *Cædo, Diadumene, sæpe.* Ita J. Gruterus, non ut alii *cedo*, hac mente : Ut mihi amorem, tibi iram commoveam, verberibus sæpe rem ago. Inde consequor, ut me nec timeas, nec ames. Multum sane depravatus erat Martialis, cui, ad excitandam nefandam libidinem verbera, flagra essent necessaria, et cui esset delectatio audire questus et clamores miselli servi, ad hos usus destinati, quasi amor nasceretur ex odio, et nihil nisi violenti motus animi possent ex corpore forte libidinibus effœto scintillam elicere.

XLVII.

DE PHILONE.*

NUNQUAM se cœnasse domi Philo jurat : et hoc est;
Non cœnat, quoties nemo vocavit eum.

* Pro lemmate Beverlandi MS. habet : *De Philone Foriscœna.* Sic *domicœna;* et *cupidicenus* in Gloss. Τρεχέδειπνος.

1. *Nusquam se cœnasse* Beverlandi MS. —*Nunquam se.* Alii *Nusquam.* Aliam Philo, aliam poeta causam affert, cur nullum Philoni domicœnium. Philo perpetuus conviva vult videri, quasi Pamphilus alter sit, omnibusque gratus atque optatus, Gnathoque Terentianus. Philo, inquit Poeta, non cœnat quidem domi, quum non habeat unde cœnet. Sed Philo contendit se quotidie ab aliquo nobili viro invitatum; eam esse causam, cur nunquam domi cœnet. Sidonius illustrat hunc locum Martialis, epist. III, 13 : « Sed nec est prædicabilis viri in totum silenda frugalitas : jejunat, quoties non vocatur; hoc solum comedens domi, si quid e raptis inter alaparum procellas obsoniis præmisit. » Plura Savaro ad hunc locum. *Rader.*

XLVIII.

DE ENCOLPO.*

Quid non cogit amor? secuit nolente capillos
Encolpus domino, nec prohibente tamen.
Permisit, flevitque Pudens : sic cessit habenis
Audaci questus de Phaethonte pater.
Talis raptus Hylas, talis deprensus Achilles

Καὶ τί ἔρως οὐκ ἔπεισε; κόμην ἀέκοντος ἄνακτος
Κείρατο Ἔγκολπος, μηδ' ἐρύκοντος ὅμως.
Εἶξε Πόδης, καὶ ἔκλαυσ'· οὕτω κατάφωρος Ἀχιλλεὺς
Ξανθὴν, ἀχθομένης μητρὸς, ἔθρισσε κόμην.
Τοῖος Ὕλας ἥρπακτο· τά θ' ἡνία τοῖος ἀφῆκε,

* Vide lib. I, epigr. xxxii. Illic voverat Encolpus, Auli Pudentis centurionis amasius, crines suos Phœbo, ut primum dominus suus, ad primipilatum (quæ proxima erat dignitas) eveheretur : nunc quum creatus esset primipilaris, puer damnatus voti, tondet crines Aulo non prohibente, sed tamen dolente.

1. *Quid*, etc. Imitatio Virgiliana : « Quid non mortalia pectora cogis. »

2. Beverlandi MS. *non prohibente*. — *Nec prohibente tamen*. Quia ex voto; propter dominum, primipilarem assequutum dignitatem. Vide lib. I, epigr. xxxii, unde huic lux.

3. *Sic cessit*. Sic invito animo Phœbus olim permisit Phaethontem suum currum moderari. Nota hæc fabula ex Ovidio.

5. *Talis raptus Hylas*. Tres afferunt interpretationes, sed omnes falsas. Tam formosus, inquit, tam delicatam comam posuit Hylas raptus. Etenim quum maritum hujus Nymphæ, quæ illum rapuit, agere deberet, æquum erat eum exsuere faciem pueri, assumere viri, id est, tonderi. Hoc Gronovius ita explicat. Sic Theodamas arma adversus Herculem movens, filium Hylam domi manere voluit; sed petenti puero concessit ut una proficisceretur, atque ita ab Hercule raptus est. Vel, sic Hylas Herculi offensus ob patrem occisum, amore tamen Herculis victus se illi comitem dedit. Vel, sic impetrata et extorta invito Herculi venia eundi aquatum, periit Hylas a Nymphis raptus. Lib. III, epigr. xix. — *Talis deprensus Achilles*. Sic Achilles ubi virgineo habitu apud Lycomedem latuit matris suasu, deprensus ab Ulysse, depositis comis ex ephebis excessit, et

Deposuit gaudens, matre dolente, comas.
Sed tu nec propera, brevibus nec crede capillis;
Tardaque pro tanto munere, barba, veni.

Μεμφόμενος τόλμην, τῷ Φαέθοντι πατήρ.
Ἀλλὰ σὺ πιςεύων κουρᾷ μὴ ἐπείγεο, πώγων·
Ἐλθ' εὐεργεσίης δ' ὄψιμος ἀντὶ τόσης.

lætus, nolente licet matre Thetide, quæ noverat filinm periturum ad Trojam, tamen profectus est.

7. *Sed tu ne propera, brevibus ne cede capillis* in Beverlandi MS. et cod. Pulmanni; i. e. succede, ut sit seusus: Semper tu, Encolpe, sis brevis et similis capillis tuis brevibus, diuque puer, Vel sic: O barba tarda veni et ne cede; sed si venias, sis similis brevibus capillis. — *Tu nec propera*, O barba. — *Crede*. Nec crede Encolpum propterea grandem esse et virum factum, quod absciderit crines primos, quos alere solebant delicati pueri ad annum XVII. — *Capillis*. Detousæ comæ in honorem domini sui.

8. *Tardaque*, etc. Ita lib. I, epigr. XXXII, vs. 8.

XLIX.

AD LABIENUM.*

VIDISSEM modo forte quum sedentem
Solum te, Labiene; tres putavi:
Calvæ me numerus tuæ fefellit.

* Irridet Labienum ob calvitiem; et quod capilli tribus locis distinctis in calvaria separentur nuda verticis area, jocose comparat triplici Geryoni, et jubet cavere a porticu Philippi, ubi statua Herculis, ne letho forte det novum Geryona. ED. — Fuit calva non certis tantum invisa hominibns, sed invisa gentibus. Defendit calvos Synesius, et ipse calvus. Legatur Junii liber de Coma, cap. ult. *Rader.*

2. *Solum te, Laviane* Beverlandi MS. — *Tres putavi*. Tempora Labieni erant capillata, medium vero et summum caput erat glabrum; atque its tria fuisse capita facete dicit: duo ad ntraque tempora, alterum in medio. Lib. X, epigr. LXXXIII.

3. *Calvæ me numerus*, etc. Quæ a fronte et utroque tempore capillata, et medio capite glabra, visa est mihi terna. Vid. libro eodem et epigrammate vs. 10.

Sunt illinc tibi, sunt et hinc capilli,
Quales nec puerum decere possint.
Nudum est in medio caput, nec ullus
In longa pilus area notatur.
Hic error tibi profuit Decembri,
Tunc, quum prandia misit Imperator;
Cum panariolis tribus redisti.
Talem Geryonem fuisse credo.

4. *Capilli.* Promissi forte et cirrati, quales alunt pueri.

5. *Quales vel puerum* eodd. Thuan. et Florent.—*Quales nec.* Etiamsi ad ornandum pueri caput paucissimi requirantur. Duplex hic est interpretatio. Alii volunt, ita breves et raros esse capillos in temporibus Labieni, ut infantium neque sint breviores et rariores. Verum quum Martialis voce *puerum* nec *infantem* usus sit, putem potius, Labienum esse mollem et delicatum, qui aleret et cincinnaret comæ reliquias more puerorum elegantium. Ed.

7. *Area notatur.* Summa calva. Sic Petron. aream dicit eleganter spatium capitis depilatum : « Nunc umbra nudata sua jam tempora mœrent; Areaque attritis ridet adusta pilis. » *Aream* vocat quia area domnum trita est et levigata.

8. *Decembri.* Hoc est, Saturnalibus, quibus ultro citroque dona mittebantur.

9. *Tunc quum*, etc. Ubi ex numero calvæ tuæ pro tribus numeratus accepisti tria panaria (sive panes illi, sive corbes viminei pane referti fuerint) quæ in Saturnalitiis, vel ut refert Suetonius cap. 4, in Septimontiali sacro, Domitianus senatui equitique distribuit.

10. *Cum panariolis.* Sueton. in Domit. de hac largitione. « Panaria sparsa », etc. et in Caligula: « Sparsit et missilia variarum rerum, et panaria cum obsonio viritim divisit ». Id autem est, mea quidem sententia, quod Persius appellat *artocreas*, sat. VI : « ....Oleum, artocreasque popello Largior; an prohibes?... » Visceratio sola carne constabat : verum panis postremis temporibus additus, et idcirco viscerationem interpretantur ἀρτόκρεας. Cum visceratione epulum quandoque dabant οἱ μεγαλοπρεπεῖς. Suetonius in Jul. Cæs. « Adjecit epulum ac viscerationem, et post Hispaniensem victoriam, duo prandia. » Et alibi de eodem Cæsare : « Munus populo, epulumque pronunciavit in filiæ memoriam, quod ante eum nemo. » Sane in funeribus populus aliqua largitione ab hominibus popularibus exceptus. *Herald.* Vid. Stat. lib. I, Silv. ult. de panariolis et aliis donis Imperatorum romanorum.

11. *Talem Geryonem*, etc. Tricipitem, namque illum tricorporem fingunt poetæ, quem Hercules in Hispania interfecit, abactis in Italiam bubus, de quo infra, epigr. LXV, vs. 12.

Vites, censeo, porticum Philippi,
Si te viderit Hercules, peristi.

12. *Porticum Philippi.* Porticum et ædes Herculis atque Musarum Martius Philippus Augusti vitricus restauravit, et in iis imaginem Herculis. Porticum Philippi adjunctam templo Herculis et Musarum in regione Urbis nona intelligit, de qua Eumenius rhetor oratione de scholis instituendis hæc: «Ædem Herculis et Musarum in circo Flaminius Fulvius Nobilior ex pecunia censoria fecit, quod acceperat, quum esset in Græcia imperator, Herculem Musagetem, id est, ducem Musarum; nam Musarum quies Herculis eget defensione, virtus Herculis voce Musarum.» Suetonius in August. cap. 29: «Multaque a multis exstructa sunt, sicut a Martio Philippo ædes Herculis et Musarum.» Vid. Eunius; Plutarch. Problem. rom. 59; Liv. lib. XXXVIII; Macrob. Saturnal. lib. I, cap. 12. Ovid. Fast. «clari monumenta Philippi Aspicis.» *Rader.* — Exstant, nummi quibus et Musæ, et Hercules Musarum dux sunt expressi. Ed.

13. *Si te viderit Hercules.* Est enim ille ἀλεξίκακος, et monstrorum profligator. — *Peristi.* Ex calva, te tricorporem Geryonem creditum invadet. Geryon autem est ab Hesiodo τρικέφαλος dictus, ab aliis τρικάρηνος.

L.

IN CHAROPINUM.

Cœno domi quoties, nisi te, Charopine, vocavi,
Protinus ingentes sunt inimicitiæ;
Meque petis stricto medium transfigere ferro,
Si nostrum sine te scis caluisse focum.
Nec semel ergo mihi furtum fecisse licebit?

1. *Cœno domi quoties*, etc. Charopinum importunum cœnipetam notat. Sensus et ordo verborum est: Quoties domi cœno, te non invitato, irasceris non secus ac juratus hostis. *Raderus.*

3. *Meque paras stricto* codex Pulmanni. *Meque velis stricto* codex Thuan. *Meque putes stricto* cod. Florentinus. — *Stricto medium*, etc. Gulæ ejus iratæ rabiem amplificat poeta.

4. *Si nostrum.* Hoc est, mihi violentus irasceris, si scis me domi cœnasse, te non vocato.

5. *Nec semel*, etc. Non licebit mihi vel semel domi absque te clam cœnare? — *Furtum facere*, est: Celare tuam gulam, et resupinantem nasum, qui cœnam meam usque odorat.

Improbius nihil est hac, Charopine, gula.
Desine jam nostram, precor, observare culinam,
Atque aliquando meus det tibi verba coquus.

8. *Det tibi verba coquus* codex Pulmanni et Beverlandi MS. — *Coquus*. Lateat, fallat te. Al. *focus*. — *Det tibi verba*. Te decipiat : *dare verba* est aliquem fallere, quasi nihil illi præter verba dare. Dicat tibi me ab alio invitatum, cœnare foris, licet domi cœnem.

LI.

AD RUFUM.*

Hic, qui libellis prægravem gerit lævam,
Notariorum quem premit chorus levis,
Qui codicillis hinc et inde prolatis,

* *Ad Ruffum* inscriptio est in edd. vett. et sic vs. 6. *Ruffe*.

— Carpit insolentem cujusdam indocti illaudatique causidici arrogantiam, qui non salutet, nec salutanti respondeat, quod in ἀλαζόνα convenit. Vel videtur potius illius causidici inscitiam, et in dicendo infantiam velle notare; qui quo magis se pro causidico et erudito viro venditet, hoc minus sciat, ut qui ne salutantes quidem possit officiose salutare.

1. *Hic qui libellis pergravem* in edd. antiquiss. cum Ald. Junt. Colin. aliis. De permutatione *per* et *præ* vide nos ad Tibull. I, x, 68; II, v, 74; III, 1, 11; IV, 1, 175; Duker. ad Flor. II, xii, 14; Drakenb. ad Liv. IV, xxvii, 5; VI, v, 4; Obss. Misc. tom. VIII, p. 327; Heins. ad Ovid. Heroid. XVII, 107, Fast. IV, 940. — *Libellis prægravem*. Libellos vel supplices vel accusatorios palam ferebat in via hic causidicus, ut negotiorum suorum multitudinem populo ostentaret. De notario vide lib. XIV, epigr. CCVIII.

2. *Levis (lævis)*. Male *levis* propter legem carminis. — *Notariorum*, etc. Puerorum amanuensium, qui ejus, tanquam pluribus districti negotiis, dictata scribant. *Notariorum*. Cingebatur etiam et quasi stipabatur pluribus notariis, tanquam multa dictare soleret, et diversis negotiis distringeretur. Glossæ : *Notarius*, σημειογράφος : recte. *Notare*, ἐπισημειοῦσθαι, σημειογραφεῖν, ταχυγραφεῖν. Harum notarum repertor Mecænas perhibetur. Dio, lib. IV. Notarii enim sunt ταχυγράφοι Græcis.

3. *Qui codicillis*. Hoc est, qui attente et sublato supercilio aures præbet codicillis. Sunt autem codicilli, parvi quidam et breves codices, in quibus Veteres supremas suas voluntates scribebant, haud

Epistolisque commodat gravem vultum,
Similis Catoni, Tullioque, Brutoque;
Exprimere, Rufe, fidiculæ licet cogant,
Ave latinum, χαῖρε non potest græcum.
Si fingere me istud putas, salutemus.

adhibitis iis solennitatibus, quæ in testamentis requirebantur. Porro codices erant tabulæ ligneæ, unde codicilli dicti, in quibus scribebant Veteres multa et diversa.

4. *Gravem vultum*. Graphice fatuum ardelionis depingit : attendit enim legentes sublato supercilio, caperata fronte, totoque vultu ad severitatem composito; velut rerum omnium solus arbiter, judex, patronus. *Rader*.

5. *Catoni*. Viro gravissimo et maximæ auctoritatis. — *Tullioque*. Patrono attentissimo. — *Brutoque*. Literis assidue affixo; percussorem Cæsaris intelligo.

6. *Fidiculæ*. Adeo inurbanus est, ut nec tormentis cruciatus possit adduci ad reddendam salutem, vel græce, vel latine. Raderus aliter : Hoc est, inquit; adeo imperitus est hic causidicus, ut *ave* latinum quidem proferre possit, græcum vero nequeat χαῖρε. Eligat lector. *Fidiculæ* quæ in tormentis numerantur, inquit Turnebus, lib. IV, cap. 3, mihi videntur lascivia quadam joci nomen invenisse, quod ut in fidibus nervi, item quoque multis hinc et inde funibus homines distendebantur; sed et illa machina funes multos velut nervos habebat. Suet. Tiber. 62; et Calig. 33. Ed.

7. *Ave latinum*, χόμρε in Junt. an. 1512, quod verbum nibili est. Vacuum relinquitur spatium in Colin. an. 1528.— *Ave latinum*, χαῖρε. Sibi mutuo respondent *avere* et χαίρειν Nam et *avere* proprie in salutationibus matutinis (Martial. lib. I, epigr. LVI et XCIX et alibi sæpe) et generalius alias; sic et χαίρειν : *salvere* tamen crebro in salutatione matutina; *valere* vero in salutatione vespertina. *Herald*.

8. *Si fingere istud me* codex Pulmanni. — *Salutemus*. Specimen facturi et periculum urbanitatis istius hominis.

LII.

IN POSTHUMUM.*

Quæ mihi præstiteris memini, semperque tenebo.
Cur igitur taceo? Posthume, tu loqueris.

* *In Postumum, de munere* Beverlandi MS.

2. *Tu loqueris*. Lege Senecam, de Benefic. lib. II, cap. 10 et 11,

Incipio quoties alicui tua dona referre,
　　Protinus exclamat; Dixerat ipse mihi.
Non belle quædam faciunt duo : sufficit unus
　　Huic operi : si vis, ut loquar, ipse tace.
Crede mihi, quamvis ingentia, Posthume, dona
　　Auctoris pereunt garrulitate sui.

et lib. VII, cap. 22. Dantem oportet oblivisci, inquit Poeta, meminisse vero solum accipientem. Sententia Chilonis Laconis est, unius e septem Sapientibus Græciæ, apud Ausonium : «Tu, inquit, bene si quid facias, non meminisse fas est. Quæ benefacta accipias, perpetuo memento.» *Rader.*

4. *Ipse mihi.* Posthumus.

7. *Postume, dones* in Ald. Junt. Colin. Gryph. Pulmann. Junian. Plantin. Lang. Delph. etc.; *donas* in aliis. Lectionem nostram dedit Gruterus ex cod. Palatino; quod nunc confirmant codd. Thuan. et Florent.

8. *Pereunt.* Beneficia enim a se collata commemoranti nulla amplius gratia debetur.

LIII.

AD BASSUM.

Colchida quid scribis, quid scribis, amice, Thyesten?

1. *Colchida.* Colchis, hodie *Mengrellia*, patria Medeæ, pro qua sumitur : ejus vero historia, sicut et Thyestæ, satis nota, lib. III, epigr. XLV, et Andromaches uxoris Hectoris ex Seneca et Euripide, Niobes in saxum conversæ ex Ovid. Met. VI. — *Colchida quid scribis*, etc. Cur sumis tibi tragœdiarum argumenta omnia tuis carminibus negata? scilicet Medeæ per æthera volantis, Thyestæ contumaeis, Niobes in saxum versæ, Andromaches Trojæ flammis superstitis. Hæc fata non manent tuas chartas. Quin potius sumis materiam tuis scriptis dignam : Deucaliona aut Phaethonta, quorum hic flammis periit, ille aquis, qui exitus tuis chartis convenit. Sic Leonidas Anthol. 2 : Γράψας Δευκαλίωνα, Μενέστρατε, καὶ Φαέθοντα, etc. Sic alias de suis jocatur noster poeta, lib. I, epigr. VI; et lib. III, epigr. XCIX. Deucalion fuit tempore Diluvii, et illum ponit pro Diluvio : Phaethon flammis periit, pro quibus hoc loco usurpatur. Fabulæ notæ sunt ex Ovid. Met. Simile est epigramma in Anthol. lib. modo citat. Εἰς ζωγράφους.

Quid tibi vel Nioben, Basse, vel Andromachen?
Materia est, mihi crede, tuis aptissima chartis
Deucalion; vel, si non placet hic, Phaethon.

2. *Quo tibi vel Nioben, Basse, vel Andromedem?* in cod. Florent. *Quo tibi vel Niobe, Basse, vel Andromache?* in cod. Palat. et aliis. *Quid tibi vel Nioben, Basse, vel Andromachen?* in quodam codice apud Caguerium. *Quid tibi vel Niobe, Basse, vel Andromache?* in editione antiq. Ferrar. anni 1471; Ald. Junt. Colin. Gryph. Pulmann. Junian. Plant. Lang. Delph. Farnab. aliis. *Quo tibi vel Nioben, Basse, vel Andromachen?* Gruterus; quem sequuti sunt Scriverius et Schrev. Hoc loco tandem edd. Bipontini textum Schreveliauum non receperunt, data lectione codicis Cagnerii. — *Quid tibi vel Niobe*, etc. Quid tibi materia est Niobe? Alii legunt *Nioben* et subintelligunt, *scriptio est*, scil. quid Nioben *scribis?* ut Plaut. Aulul. « Quid tibi meam tactio est? » Quid meam *tangis?* Sed Gruter. mavult elicere sensum ex Horat. « Quo mihi fortunas, si non conceditur uti? » quum alii legunt *fortuna*. J. Gruterum sequutus est Scriv. *Quo tibi vel Niobe*, nec sine auctoritate cod. Palat. et al. Vide Gronov. ad Senecæ Nat. Quæst. I, 16.

3. *Materia est.* Argutissime poetæ malo dictat materiam carminis, vel Deucalionem, vel Phaethontem: qua monet carmina Bassi digna esse, vel aquis, vel flammis.

LIV.

DE RHETORE APOLLONIO.*

Extemporalis factus est meus Rhetor;
Calpurnium non scripsit, et salutavit.

* Apollonius qui modo (epigr. XXII supr.) *scripsit et edidicit*, nunc tantum profecit, ut unum aliquem etiam duri nominis possit salutare, nec tamen scripserit. Iron. *De rhetore Apollonio.* Scribe, *Apollodoto*, ut supra, pag. 33. — Hujus epigr. lectionem non variant codices manuscripti, aut libri impressi.

1. *Extemporalis.* Poeta irridet Apollonium rhetorem, de quo sup. epigr. XXII, qui adeo infelicis erat memoriæ, ut nomina eorum, quos erat salutaturus, scriberet, ut ea memoriter edisceret: jam vero is tantum exercitatione profectum fecerat, ut ex tempore aliquem nominare posset, etsi nomen ejus antea non scripserat. Extemporalis dicitur qui dicit, aut facit ex tempore, non paratus; quod Gall. vocant, *impromptu*, *improvisateur*. Ed.

LV.

DE AQUILA PORTANTE JOVEM.*

Dic mihi, quem portes, volucrum regina? Tonantem.
Nulla manu quare fulmina gestat? Amat.
Quo calet igne Deus? Pueri. Cur mitis aperto
Respicis ore Jovem? De Ganymede loquor.

* *De Aquila*, etc. Inscribunt alii: *Cum Aquila portante Jovem Dialogismus.* — *De Aquila* inscribitur in edd. vett. Cætera, nullam lectionis varietatem produnt exemplaria, aut scripta, aut impressa.

1. *Dic mihi.* Per se patet hoc epigramma: Aquila enim Jovem portans a Poeta interrogata respondet. — *Dic mihi*, etc. Vide Alciati emblema de aquila Jovem gestante et ibidem Minoem.

3. *Pueri..... De Ganymede loquor.* Ganymedes quem in Jovis gratiam rapui. Ganymedes, puer eximiæ pulchritudinis, regis Trojani filius, quem rapuit aquila in monte Ida, et quem sibi fecit pocillatorem Jupiter, Hebe dejecta; unde Junonis iræ in Trojam. Ed.

LVI.

AD LUPUM.*

Cui tradas, Lupe, filium magistro,
Quæris sollicitus diu, rogasque.
Omnes Grammaticosque Rhetorasque

* Martialis hoc epigrammate docet, non esse locum in Urbe bonis artibus. Citharœdos, choraulas, præcones, et hoc genus hominum regnare, ditescereque, Ciceronem et Maronem prope exsulare.

2. *Quæris solicitus, diuque tentas;* edd. antiquiss. Ferrar. Ald. Junt. Colin. Gryph. Junian. Delph. etc. Lectionem nostram primus reposuit Gruterus, accedentibus Scriv. Farnab. Schrevel. *Barbou*, etc. hanc firmant codd. Florent. et Pulman. — *Diu; rogasque (diuque tentas.)* Nos: *Quæris solicitus diu, rogasque.* Scribitur *solicitus* atque *sollicitus.*

3. *Omnes grammaticos.* Hoc Lupo consilium affert per ironiam, quod tunc Romæ non esset locus honestis artibus.—*Omnes*, etc. «Quando

Devites, moneo : nihil sit illi
Cum libris Ciceronis, aut Maronis ;
Famæ Tutilium suæ relinquat.
Si versus facit, abdices Poetam.
Artes discere vult pecuniosas?
Fac, discat, citharœdus, aut choraules.
Si duri puer ingenî videtur,
Præconem facias, vel architectum.

artibus honestis Nullus in Urbe locus », etc. Juven. Sat. III, 21.

6. *Rutilium* in edd. vett. pro *Tutilium*. Alii legunt *Lucilium*, quod exhibet codex Pulmanni. — *Tutilium*, etc. Non *Rutilium*, ut vulgo, ne cespitet versus, peccantibus duabus primis syllabis. Videtur is esse quem laudat Cicero I de Oratore, et in Bruto; de quo Valer. Maxim. lib. II, cap. 3, et Suetou. in Augusto, cap. 89.— *Suæ famæ*. Quam maximam habuit, et morum et doctrinæ gloria inter coævos inclytus.

7. *Si versus facit.* Si amat versus facere, prohibe, ac ni desinat, abdica, exhæreda. Hujus vocis *abdicare* sensus latuit omnes interpretes. Abdicare autem est pellere domo filium, bonis, quod tamen revocari potest in codicillis testamenti, dum exhæredatio nullam spem relinquit. Abdicabant patres filios magnorum delictorum nocentes, ut sæpius; erat gravissima pœna, quam multis in locis declamatt. ubi de hac re sæpe agitur, Quintilian. vocat « ultimum fulmen patriæ potestatis ». Hac formula utebantur : *Discede domo mea*. ED.

9. *Fac hiscat* legit Jan. Guilielm. Verisimil. lib. III, cap. 19, improbante Farnabio. Verba tamen *hiscere*, *hiare*, usurpantur eleganter in re musica. Prop. « Tantum operis nervis hiscere posse meis » ; et alias, « Visus marmorea carmen hiare lyra ». Qui lyram pulsant, os diducunt, quasi vocem numeris lyræque vellent sociare. ED. — *Choraulas* Ald. Junt. et Colin. *choraulos* in aliis. — *Fac discat, citharœdus*. Græcus dicendi modus : hoc est, discat fieri citharœdus. Choraules is est qui tibiam in choro inflat : citharœdi vero et choraulæ ars tunc summo fuit in pretio. Sic Poeta acute carpit mores sui temporis. Vide Josiam Mercerum ad lib. I, epist. 19, Aristæneti; et Nostrum, lib. III, epigr. IV.

10. *Si duri puer*, etc. Architectus sane ingenio valere debet; multis semper laudibus fuit celebrata architectura. Sed hoc invidiose dicit Martialis, quod plus architectis et præconibus, quam viris doctis et poetis faverent Romani.

11. *Præconem facias.* Præconum enim ars tunc temporis ad invidiam usque fructuosa ; VI, epigr. VIII. — *Architectum*. Præter privatorum enim in ædificiis hac tempestate luxum, Domitianus templa et alia publica instauravit; IX, epigr. IV.

LVII.

AD CINNAM.

Quum voco te dominum, noli tibi, Cinna, placere;
Sæpe etiam servum sic resaluto meum.

1. Codex Pulmanni, *noli tibi, Cinna, placere*: in edd. vett. *nolo tibi*. — *Noli tibi*. Alii *nolo*, minus bene. Cinnam dominum assentatorie vocabat Poeta, quum aliquid ab eo impetrare vellet; sic et servum appellabat, vel quum ipsi blandiretur, vel quum illum irrideret.

2. *Sic resaluto tuum* Beverlandi Codex manuscriptus; et ita legit Petrus Scriverius.

LVIII.

AD POSTHUMUM.*

Cras te victurum, cras dicis, Posthume semper.
Dic mihi cras istud, Posthume, quando venit?
Quam longe cras istud? ubi est? aut unde petendum?
Numquid apud Parthos Armeniosque latet?
Jam cras istud habet Priami vel Nestoris annos.
Cras istud quanti, dic mihi, possit emi?

* Epicurea παραίνεσις, commodis præsentibus fruendum hodie, καὶ μηδὲν ἀναβαλλόμενοι.

1. *Cras te victurum*. De præsentibus fruendis; lib. I, epigr. xvi, et lib. II, xc; Anthol. cap. 47. — *Cras dicis*, etc. Et cras hoc comperendinat juvenis ignavus, apud Pers. Sat. V, vs. 66. Ludit Poeta in frequenti repetitione istius *cras*.

3. *Quam longe cras istud ubi est* Junt. *Quam longe est cras* legit Scriverius.

4. *Apud Parthos*. Parthia Asiæ regio, quam hodie vocant alii *Arach*, alii *Chorasan*. Armenia duplex: Major, hodie *Turcomania*; Minor, hodie, secundum aliquos, *Anaduole*; secundum alios, *Pegian*.

5. *Jam cras istud*. Moram vitæ hilari interponens annos Nestoris vel Priami assequutus es, quorum ætas et historia omnibus nota est.

6. *Cras istud quanti*, etc. Cras hoc tuum quod præteriit non potest redimi: futurum quantuli?

Cras vives : hodie jam vivere, Posthume, serum est.
  Ille sapit, quisquis, Posthume, vixit heri.

facili sane pretio, immo nullo, quia sponte venit, si velis uti. Sed vide Senecæ epist. XII.

7. *Posthume, tardum est* codex Florentinus. — *Hodie jam vivere*, etc. Lib. I, epigr. XVI. *Vivere* est genio indulgere.

8. *Vixit heri.* Nam præteritum solum certum est, ac nostrum; præsens nostris manibus elabitur. Ed.

LIX.

AD STELLAM.

Quod non argentum, quod non tibi misimus aurum,
  Hoc facimus causa, Stella diserte, tua.
Quisquis magna dedit, voluit sibi magna remitti;
  Fictilibus nostris exoneratus eris.

1. *Quod non tibi mittimus aurum* Pulmanni codex. — *Quod non.* Hoc est : Ad te mitto parva munera, ut facile, si volueris, par pari referas : odit enim Poeta, ut ipse dicit epigr. XVIII, hoc libro, « Dolosas munerum et malas artes. » Vide lib. IV, epigr. LVI. — *Argentum, aurum.* Vasa argentea et aurea. *Misimus.* In Saturnalibus, lib. II, epigr. XLVI, vs. 1.

4. *Exoneratus.* Liberatus eris onere ad me munera remittendi, quum nostra vasa fictilia parvi sint momenti : vel, exigua etiam sine sumptu poteris remittere.

LX.

AD DETRACTOREM.*

Allatres licet usque nos et usque,
Et gannitibus improbis lacessas;

* Mordet mordentem canem, eique negat immortalitatem nominis, quam a Poeta carpendo volebat exprimere.

2. *Gannitibus*, etc. Conviciis tuis et maledictis; gannire canum est; ut alii, vulpium. Proprie ergo dixit *gannitibus*, quia antea dixit

Certum est hanc tibi pernegare famam,
Olim quam petis in meis libellis,
Qualiscumque legaris ut per orbem.
Nam te cur aliquis sciat fuisse?
Ignotus pereas, miser, necesse est.
Non deerunt tamen hac in urbe forsan
Unus, vel duo, tresve, quatuorve,
Pellem rodere qui velint caninam.
Nos hac a scabie tenemus ungues.

allatres. Gloss. *gannit*, σκύζει. Impense, bene, quia utrumque canum. *Herald.*

3. *Certum est mi tibi* Juntina nostra in margine. *Certum est hanc mihi* Calderinus. — *Certum est*, etc. Non vivet, non notum erit posteritati nomen tuum in carminibus meis, vel infami nota inustum.

5. *Per urbem* Juntina nostra in marg. — *Qualiscumque*. Tu petis in meis carminibus famam qualemcumque bonam aut malam, dummodo nomen eat ad posteros: ego te silebo, exquisito ultionis genere. Seneca, de Ira, lib. II: « Ultionis contumeliosissimum genus est, non esse visum dignum ex quo peteretur ultio. » Ed.

6. *Nam te cur aliquis*, etc. Sic Bolæus noster :

Et qui saurait sans moi que Cotin a prêché? Ed.

7. *Miser, necesse est.* Quia invidus. Lib. I, epigramm. XLI; et sup. epigr. XXIX, vs. 9.

10. *Pellem rodere*, etc. Qui maledicos velint maledictis insectari. Allusum vult Erasmus ad proverb. *Canis caninam non est.* Varro, lib. VI, L. L. Vide lib. XIII, epigr. II, vs. 3. Horat. epod. 6: « Quid immerentes hospites vexas, canis ignavus adversum lupos. » Ed.

11. *Nos hac*, etc. Ego ab hac libidine et contagio maledicendi me contineo, scabie ejus nolo me contaminare, nolo pruritum ejus scabendo levare.

LXI.

IN MARIANUM.*

Crispulus iste quis est, uxori semper adhæret

* Elegantissimum epigramma, quo nonnullorum stupiditas traducitur, qui formosulos juvenes uxoribus suis adhærere patiebantur sub officii domestici prætextu. Respexit hoc epigramma B. Hieron. pluribus locis, lib. I, adversus Jovinian. *Herald.*

1. *Crispulus*. Crispatus crines, et delicatus.

Qui, Mariane, tuæ? crispulus iste quis est?
Nescio quid dominæ teneram qui garrit in aurem,
Et sellam cubito dexteriore premit?
Per cujus digitos currit levis annulus omnes;
Crura gerit nullo qui violata pilo?
Nil mihi respondes? uxoris res agit, inquis,
Iste meæ : sane certus et asper homo est,
Procuratorem vultu qui præferat ipso;
Acrior hoc Chius non erat Aufidius.
O quam dignus eras alapis, Mariane, Latini!
Te successurum credo ego Panniculo.

2. *Crispulus.* Poeta irridet Marianum qui inepte crederet, quemdam crispulum, hoc est, mollem et capillis crispis juvenem, uxoris suæ esse procuratorem.

4. *Sellam cubito*, etc. Incumbit, innititur sellæ uxoris tuæ.

5. *Per cujus digitos*, etc. Cujus unusquisque digitus annulo suo nitet. Ed.

6. *Crura gerit*, etc. Cui crura depilata. Lib. II, epigr. XXIX, v. 7.

7. *Uxoris*, etc. Est procurator, qui uxoris negotia obit.

8. *Sane cæcus* Beverlandi MS. — *Sane certus*, etc. Martialis respond. Is tibi sane propter diligentiam, attentionem, formam et vultum videtur esse procurator acer; ego autem perspicio illum esse mœchum, quo non Aufidius insignior : de quo Auf. Juven. Sat. IX, vs. 25. Possunt et hæc Mariano collaudanti crispulum hunc, et præferenti ejus diligentiam attentioni Aufidii Lusci, qui e decuria scribarum factus est prætor, tribui et continuari, usque ad hæc verba, *O quam dignus eras*, etc.

9. « Scribendum est ex codd. *qui præferat æquo*. Vulgo, *qui præferat ipso* : quod substituerunt illi, qui non tam æquitatem in procuratore requiri putabant, quam ut acriter nitatur pro eo, cujus negotium gerit. Sed *vultu æquo* est respondenti, referenti, æquali. Sic æquitatem membrorum Augusti, pro æqualitate seu symmetria, laudat Suetonius. » Ita scribit Gronovius ad Stat. p. 397.

10. *Non erit Aufidius.* Ald. Junt. Colin. — *Non erat Aufidius.* Mœchus notissimus ex Juven. Sat. IX, 25. Sensus est : Aufidius Chius non esset procurator gravior nec certior hoc crispulo.

11. *O quam dignus*, etc. O digne qui in spectaculis theatralibus risum moveas alaparum contumeliis exceptus, non secus ac Panniculus mimus a Latino, mœchi sui partes agente, cæsus; vide lib. II, epigr. LXXII. — *Alapis.* De alapis ac salapittis, quibus stupidi et de uxoribus suis parum solliciti objurgabantur in mimis, vide Heraldum ad Arnob. lib. VII.

Res uxoris agit? res nullas crispulus iste:
Res non uxoris, res agit iste tuas.

13. *Res ullas*, codex Pulmanni, nempe deleta erat lineola, quam vocali imposuerat librarius. — *Res uxoris agit?* Cum indignatione repetens hoc Poeta. — *Res nullas crispulus iste.* Nulla negotia, nullas in foro uxoris tuæ partes agit iste procurator crispulus; namque istiusmodi homines nihil aliud curant, nisi se comere, otiari, ardeliones se gerere : immo tuum locum et vices supplet in thalamis iste mœchus.

14. *Res agit ipse tuas*, in quibusdam. — *Res agit iste tuas.* Mœcbus quippe mariti partes sustinet.

LXII.

AD HOSPITES.

Jure tuo nostris maneas licet, hospes, in hortis,
Si potes in nudo ponere membra solo,
Aut si portatur tecum tibi magna supellex;
Nam mea jam digitum sustulit hospitibus.
Nulla tegit fractos nec inanis culcita lectos :

1. *Jure tuo nostris*, etc. Hortum se hospitibus offerre dicit ; si hospites sumptum et supellectilem offerant.

2. *Si potes in nudo.* Mihi enim neque sellæ, neque lecti sunt.

4. *Lectum sustulit*, Beverlandi MS. et sic adjectum erat in margine codicis Pulmanni. Vid. Erasmus in Adag. *Tolle digitum.* — *Nam mea.* Hoc est : Mea supellex consumpta est frequenti hospitio. Metaphora est petita a gladiatoribus, qui, quum essent victi, digitum tollebant in signum victoriæ adversario concessæ. Vide lib. Spect. epigr. xxix. *Mea supellex sustulit digitum hospitibus*, hoc est, victa est atque attrita ab hospitibus. Vel forte hæc metaphora petitur a licitationibus, in quibus, teste Festo in verbo *Manceps*, digito sublato emptorem se aliquis profitebatur. Et sensus erit : Mea supellex empta est ab aliis hospitibus, id est, alii hospites supellectilem meam tanquam a se emptam consumpserunt. Cic. in Verrem, I : « Junius patruus tollit digitum. » Horat. Sat. II, 8 : « Indice monstraret digito. » Vid. Briss. Formul. lib. VI, qui idem affirmat. Eligat lector.

5. *Nulla tegit farctos* in quibusdam. — *Fractos... culcita.* Culcitæ tomento fartæ erant : et dicit Poeta non modo se male fartam, sed omnino nullam habere, quam lecto injiciat. At de culcita, plura vide,

Putris et abrupta fascia reste jacet.
Sit tamen hospitium nobis commune duobus :
Emi hortos ; plus est : instrue tu ; minus est.

in epigr. CXIX, et CLXII, libri XIV. Male, qui legunt, *culcitra*. Ed.

6. *Putris et abrupta.* Fasciæ lecti seu institæ humi demissæ sunt, ruptis nempe funibus quibus fulciebantur. — *Fascia.* Explicant funes reticulatos, quibus insternuntur culcitæ, etc. Sed nec probe distinguunt a reste de qua Noster. Mallem igitur explicare *fasciam* quoddam latum stramenti genus, quod restes primum fulciunt. Ed.

7. *Sit tamen*, etc. Sed communes sint ambobus nobis horti : tu eos adorna supellectile, siquidem ego illos emi, quod majus est. Ed.

LXIII.

AD PONTICUM.*

Quid sentis, inquis, de nostris, Marce, libellis?
Sic me sollicitus, Pontice, sæpe rogas.
Admiror, stupeo : nihil est perfectius illis,
Ipse tuo cedit Regulus ingenio.
Hoc sentis? inquis ; faciat tibi sic bene Cæsar,
Sic Capitolinus Jupiter. Immo tibi.

* In hoc epigrammate exhibendo nullam lectionis varietatem produnt libri manuscripti, aut typis impressi.

1. *Quid sentis.* Ponticum deridet, cujus versus nonnunquam laudabat, ut ipsi blandiretur, licet pessimos judicaret.

3. *Admiror*, etc. Respondet Martialis.

4. *Regulus.* Causidicus celebris, de quo lib. I, epigr. XIII et CXII ; IV, XVI.

5. *Faciat tibi sic.* Particula *sic* sæpe usurpatur in precationibus. Ponticus precatur, ut sic Jupiter bene faciat Martiali, uti de ejus scriptis ipse bene senserat. Vid. Brisson. Form. I.

6. *Immo tibi.* Sic faciant, o Pontice, Domitianus et Jupiter bene, ut ego bene sentio de tuis libellis, id est, faciant male, neque enim vere et ex animo probavi, sed ut tuæ subservirem φιλαυτίᾳ, ut qui male sanus, palpum malis, quam judicium rectum. Vide lib. VIII, epigr. LXXVI. — Simplicius explicarem : Tibi potius dent superi sapere, ac modeste de tuis carminibus sentire, tenuitatem tuam et inscitiam agnoscere. Ed.

LXIV.

AD SUOS MINISTROS.*

SEXTANTES, Calliste, duos infunde Falerni;
Tu super æstivas, Alcime, solve nives.
Pinguescat nimio madidus mihi crinis amomo,
Lassenturque rosis tempora sutilibus.

* Invitat se ipsum ad genialem vitam, quod omnibus moriendum, etiam Cæsaribus.

1. *Sextantes duos*, etc. Triens quatuor cyathos, sextans duos continet cyathos, et est sexta pars sextarii: vid. lib. I, epigr. xxviii; et Tabul. Numer. ad fin. I Vol. En. — *Calliste*. Minister Poetæ.

2. *Alcine, funde nives*, ed. antiq. Ferrar. anni 1471. Ald. Junt. Colin. Gryph. Pulman. Junian. Lang. Delph. etc. *Alcime, solve nives* cod. Florentinus; et sic Gruterus. — *Tu super solve (funde)*. Hoc est: Aquam gelidam e nivibus expressam funde. Alii enim et Gruterus legunt *solve nives*. — *Æstivas nives*. Aquam nivatam seu gelidam e nivibus expressam, qua vina generosissima diluebant; lib. XIV, epigr. cxvii; vel decoctam et vitris demissam in nives, ut refrigeretur. Hoc Neronis inventum. Autiquæ hæ deliciæ. Seneca, epist. 79: « O infelicem ægrum! Quare? Quia non vino nivem dilnit: quia non rigorem potionis suæ, quam capaci scypho miscuit, renovat fracta insuper glacie. » Sed et meram nivem bibebant. Uude Martial. XIV, cxvii: « Non potare nivem, sed aquam potare rigentem De nive, commenta est ingeniosa sitis. » Ex utraque consuetudine, ut opinor, Plin. lib. XIX, cap. 4: « Et ipsa naturæ elementa vi pecuniæ discreta sunt. Hi nives, illi glaciem potant, pœnasque montium in voluptatem gulæ vertunt. Servatur algor æstibus, excogitaturque ut alienis mensibus nix algeat. » Nix autem venalis erat ad hunc usum. Cæterum aqua nivata utebantur etiam ad lavationem, οἱ ἄσωτοι καὶ διάτρυπτοι τῶν πλουσίων. Quomodo autem servaretur nix ista, docet Plutarch. lib. VI, Symph. probl. 6. *Herald.*

3. *Pinguescat nimio*, etc. Unguentis delibuti, et floribus coronati couvivabantur veteres. — *Pinguescat nimio*. Sic λιπαροὺς πλοκάμους dixerunt Græci. *Nimio* autem, id est, multo. Gloss. *Nimis*, ἄγαν, πάνυ, σφόδρα. Plaut. in Amphitr. « Legiones educunt suas nimis pulchris armis præditas. » — *Amomo*. Unguento inde facto, quum valetudinis, tum voluptatis causa. Amomum in Armenia nascitur.

4. *Rosis sutilibus*. Coronas e rosarum foliis consuebant. — *Sutilibus*. Plectilibus, quæ e ramulis innectebantur plectebanturque, un-

Jam vicina jubent nos vivere Mausolea;
Quum doceant, ipsos posse perire Deos.

de et dictæ, ut *serta* a serendo; *sutiles* ergo, quæ e floribus, mero inprimis rosarum folio consuebantur. Florum itaque fasciculis coronisque capita revincti, in conviviis potare soliti erant: primum quidem hederaceis et ex apio; mox myrteis, quippe quæ adstringunt, et vini exhalationes arcent; tum e rosis, quæ et gravitatem capitis sedant, et potione æstuantes refrigerant. Corona insuper, plenitudinis et libertatis symbolum, festis conviviisque competit, ut et capiti quod rationalis animæ sedes. *Farn.*

5. *Jam vicina.* Gruterus mavult, e MSS. *Tam vicina*, etc. Et recte. Pro eo quod solebant conviviis inferre sceleton vel oscillum, ut eo conspectu admonerent præsentes, caperent voluptates, antequam isti similes fierent, quod brevi futurum erat. Martialis mentionem facit sepulcri Cæsarei, quod propinquum erat et proximum ei loco, in quo potabat. *Gronov.* — *Vicina jubent nos.* In valle Murtia erat sepulcrum Augusti: vel, propiora, quam illud Cariæ Mausoleum. — *Vivere.* Vita uti, genialiter vivere; lib. I, epigr. XVI, vs. 4. — *Mausolea.* Sepulcra Augusti, Imperatorum atque cognatorum, ab Augusto exstructa ad similitudinem Mausolei Artemisiæ. Lib. Spect. epigr. I, vs. 5. Vide lib. II, epigr. LIX, v. 2.

6. *Ipsos Deos.* Cæsares intellige, quos tanquam deos colebat populus.

LXV.

AD CÆSAREM.*

Astra, polumque dedit, quamvis obstante noverca,
Alcidæ, Nemeæ terror, et Arcas aper;

Ἀλκείδῃ, καίτοι τῆς μητρυιῆς ἀέκητι,
Θὴρ Νεμέης, χλοῦνίς τ' Ἀρκὰς ἔδωκε πόλον,

* Refertur hoc epigramma ad Carpophorum bestiarium, quod admodum affine lib. Spect. ep. XXVII. Sed laudem totam tribuit Domitiano. Et tamen non ab ipso Domitiano confectas has feras ex hoc versu potest colligi: « Reddatur si pugna triplex pastoris Iberi, Est tibi qui possit vincere Geryonem. »

1. *Obstante noverca.* Junone, quæ oderat Alcmenam Amphitryonis uxorem, Jovis pellicem, et Herculis matrem. Huic tamen leo Nemeæus, etc. cælum dederunt.

2. *Nemeæ terror.* In Nemeæa sylva Argolidis leo, in Arcadia ve-

Et castigatum Libycæ ceroma palæstræ;
Et gravis in Siculo pulvere fusus Eryx;
Sylvarumque tremor, tacita qui fraude solebat
Ducere nec rectas Cacus in antra boves.

Καὶ τὸ παλαιςρίτου Λίϐυος κήρωμα κολασθὲν,
Χ' ὡ Σικελοῖσι ταθεὶς ἐν ςαδίοισιν Ἔρυξ·
Δεῖμά τε τῶν ξυλόχων, ὅςις κρυφίαις ἀπάταισι
Κᾶκος ὀπισθοπόρους εἰς σπέος εἷλκε βόας.

ro aper Mænalius interfectus est ab Hercule. Vide libr. Spectaculorum epigr. XXVII.

3. *Libyæ ceroma* in edd. vett. *Siculæ ceroma* eodex Vaticanus. — *Et castigatum ceroma*, etc. *Castigatum ceroma*, est destrietum: qui enim luctabantur, stringebant invicem. Manilius: « In varias destringunt membra palæstras. » Et frustra dubitat Ramiresius, utrum stringo lucta corpus; an stringo palæstræ pulvere intellexerit. Ita stringendo *castigabant ceroma*, id ust destringebant. Eo Virgil. exerceri palæstras dicit, *oleo labente*, hoc est, *castigato ceromate*. Hoc enim proprie est *castigare*, stringere, vincire: noo loro cædere, aut cesto, ut putat vir summus ad Persium; sed loro cingere. Quod Martialis *castigare ceroma* dixit, id alibi appellavit *ceroma terere*; et lib. III, perdere oleum. Vide latius et accuratius ea de re disserentem cl. vir. Gronovium in lib. II, Sylv. VI, pag. 146. — *Et castigatum Libycæ*. Et Antæi Libyci iusolentia in provocandis ad palæstram hospitibus, ab Hercule castigata morte. « Incredibile est, inquit Brodæus, taotum potuisse succombere portentum, cujus corpus sexaginta cubitorum fuisse refert Plut. io Sert. » — *Ceroma*. Quod bic ponitur pro ipso Antæo eeromate innucto. Ceroma ergo fiebat ex oleo, pulvere, et eera commixtum, quo ungebantur athletæ. — *Libycæ palæstræ*. Libyci certamiois; nam sumitur hic pro ipsa lucta et certamine, quod in Libya commissum est. Vide lib. III, epigr. LVII, vs. 25.

4. *Fusus Eryx*. Veneris filius cæstuum certamine in Sicilia victus est ab Hercule, qui ab Hispania redibat. Eryx erat immani corporis mole et fortitudine: provocaverat Alcidem ad certamen. ED.

6. *Ducere non rectas* codex Florentinus, probante Faroabio. *Ducere neglectas* alii legunt; at malim, *nec rectas*, aversas, per caudam tractas. Virg. Æn. VIII, 210. — *Cacus* Vulcani filius erat, insigois fur et latro, eoque viatoribus timebatur, quia boves in antrum suum aversos trabebat, ne quærentibus factum deprehenderetur, quum vestigia foras ducerent, noo intro. Hoc modo boves Hereuli rapuerat, a quo depreheosus, in Aventini monte interfectus est. Propert. IV, El. 10; Ov. l. Fast. 542; et Liv. I, 7.

Ista tuæ, Cæsar, quota pars spectatur arenæ?
  Dat majora novus prælia mane dies.
Quot graviora cadunt Nemeæo pondera monstro?
  Quot tua Mænalios collocat hasta sues?
Reddatur si pugna triplex pastoris Iberi;

Τοῦτο τεοῦ, Καῖσαρ, πόσον μέρος ἐςὶ θεάτρου;
  Μειζοτέρας ἠὼς πρωῒ δίδωσι μάχας.
Κρέσσονα πόσσα δέδουπε πελώρια τοῦ Νεμέηθεν;
  Πόσσους Μαιναλίους σὸν δόρυ μάρψε σύας;
Τριπλόος εἰ δὲ βοτῆρος ἐνίςατο ἆθλος Ἴϐηρος,

7. *Ista tuæ, Cæsar*, etc. Hæc vel ista omnia Herculis facta collata cum Cæsaris spectaculis in Amphitheatro, quota pars sunt? quasi diceret minima.

8. *Majora.* Dicit ergo Poeta Romæ in Amphitheatro majores bestias, monstraque uno die, et quidem dimidiato et matutino confici, quam Hercules tota vita confecit. — *Novus dies.* Matutinum spectaculum, quo bestiarii cum bestiis depugnabant : post meridiem, qui supererant, inter se. Seneca, epist. VII : « Mane leonibus et ursis homines, meridie spectatoribus suis objiciuntur. Interfectores interfecturis jubentur objici, et victorem in aliam detinent cædem. »

9. *Graviora pondera.* Id est, immanes, belluæ majori mole quam leo ipse Nemeæus ab Hercule devictus. Ed.

10. *Collocat hasta.* Lib. Spectac. epigr. xv, dixit Poeta : « longo porrexit vulnere pardum. » Ex hoc versu, et duobus sequentibus, colligunt interpretes hoc epigramma referri ad Carpophorum, de quo lib. Spect. epigr. xxvii, et Domitiano tribuit quidquid venator ejus Carpophorus facit. — *Collocat hasta sues.* Interficit. Metaph. sumpta ab antiquo collocandi cadaveris more : de quo multa Lips. lib. I, Elect. cap. 6. Sic προτίθεσθαι Græcis. Et non solum pro collocare in vestibulo ædium : verum et in loco publico, ut pro Rostris Romæ, ubi et laudatio peragebatur. *Herald.* — *Mænalios sues.* Apros Mænalio, vel Erymanthæo, ab Hercule interfecto, similes. De Mænalo Arcadiæ urbe et monte, vid. lib. Spect. epigr. xxv.

11. *Pastoris Iberi.* Geryonis tricorporis, Hispanorum regis, cujus interfecti Hercules abegit boves. Vide mythologos. Sed res ita se habet : Geryon tres habuit filios Geryones, quos Hercules Libycus, quum in subjectos Hispanos tyrannidem exercerent, comparato exercitu, ex provocatione unus omnes, tres solus confecit. Unde nata est fabula, Geryonem tricipitem ab Hercule victum. *Rader.*

Est tibi, qui possit vincere Geryonem.
Sæpe licet Graiæ numeretur bellua Lernæ,
Improba Niliacis quid facit Hydra feris?
Pro meritis cælum tantis, Auguste, dederunt
Alcidæ cito Dî; sed tibi sero dabunt.

Σοὶ καὶ ὁ νικήσων Γηρυονῆα πάρα.
Καὶ δὴ ἀριθμείσθω πυκνῶς Λερνηΐς ἔχιδνα,
Πρὸς Νείλου τί ποιεῖ κνώδαλα θοῦρις Ὕδρη;
Ἀντὶ τόσων ἔργων, ὤκιστα θεῶν ἰότητι,
Οὐρανὸς Ἀλκείδην δέκτο· σὲ δ' ὀψὲ μένει.

12. *Qui possit*, etc. Carpophorus, seu quis alius. Vid. ad lib. Spect. epigr. XXVII.

13. *Bellua Lernæ*. Lerna est Achaiæ locus, et palus in qua erat hydra novis capitibus in locum abscissorum renascentibus perniciosa, quam tamen domuit Hercules. Lib. Spect. epigr. eodem.

14. *Quod facit ira feris* codex Vaticanus. — *Niliacis feris*. Crocodilos intellige, qui in spectaculis exhibiti interficiebantur, cum quibus ipsam hydram conferendam esse negat Poeta. Marcus Scaurus in ædilitate primus has feras præbuit exhibendas; Plinius, lib. VIII, cap. 26. Deinde Augustus, ut Domitius refert; et demum Domitianus. Crocodilum, lib. XXII, eleganter et graphice describit Marcellinus his verbis : « Inter aquatiles autem bestias crocodilus per eos tractus abundat, exitialis quadrupes, malum assuetum elementis ambobus, lingua carens, maxillam superiorem commovens solam, ordine dentium pectinato, perniciosis morsibus, quidquid tetigerit pertinaciter tenens, ova edens fœtus anserini similia; utque armatus est unguibus, si haberet etiam pollices, ad evertendas quoque naves sufficeret magnis viribus. » *Rader*.

15. *Pro meritis*, etc. Conclusio ex adulatione et comparatione gestorum ab Hercule et Domitiano. Ex quibus par præmium, vel majus sit Domitiano exspectandum. Dii Herculi ob ærumnas et labores cito dederunt cælum : *tibi* sero dabunt, tam sero, ut nec adhuc dederint, nec daturi sint unquam. *Raderus*.

16. *Sed tibi sero*. Majora sunt tua gesta Herculis factis, atque dignior es cælo, quo tamen tarde donaberis, ut diu rempublicam administres et votis populi romani satisfiat. Epigr. VIII, 39.

LXVI.

IN PONTILIANUM.*

Sæpe salutatus, nunquam prior ipse salutas;
Sic erit æternum, Pontiliane, vale.

* Quum adeo sis inhumanus, ut nec salutes, nec resalutes (vid. ep. LI supr.), quoniam tibi non placet *salve* illud vel *ave* in congressu solenne; tibi inhumano et quasi mortuo dicemus usque *Vale*, vel *Æternum vale:* qui mos Veteribus fuit salutandi mortuos, qui resalutare non poterant. Vid. lib. IX, epigr. VIII; et Lucianus : ὑπὲρ τοῦ ἐν τῇ προσαγορεύσει πταίσματος.

2. *Sic eris æternum* codex Vaticanus. *Diceris æternum* codex Thuaneus. *Sic erit ; æternum, Pontiliane, vale* malit Heraldus, ut apud Virg. Æn. XI : « Salve, mi maxime Palla, Æternumque vale. » — *Sic erit æternum.* Tunc enim salutaberis, neque resalutare poteris. Placet ut legatur, *Æternum Pontiliane vale*, conjunctim, ut sint verba salutantis Pontilianum, jam μηδὲν ὄντα. Vid. Brisson. Formul. lib. VIII, pag. 747, ubi multa exempla. Nota res, et verbi ac φράσεως proprietas. Inde autem nata, quia existimabant miselli illi τοὺς μακαρίτας, se in æternum amittere. *Herald.*— *Pontiliane.* Quem Poeta ut inurbanum et agrestem hominem carpit, qui neminem unquam ipse prior salutaret.

LXVII.

DE HIRUNDINE.*

Hibernos peterent solito quum more recessus

Νισσομένου χειμῶνος, ὅτ' Ἀτθίδες εἰς σφέτερ' ἤθεα

* Sub tecto et tegulis, ubi nidificant hirundines, Martialis habitabat, avesque contubernales habebat hirundines; ex quibus unam cum reliquis non avolasse in autumno notarat, eamque a reversis altero vere laniatam. Et brevi fabulam Procnes exponit. *Rader.*

1. *Hybernos peterent;* etc. Quum hirundines, appetente jam hieme, a nobis avolarent in Africam (teste Plinio), unde vere nos visunt.

Atthides, in nidis una remansit avis.
Deprendere nefas ad tempora verna reversæ,
Et profugam volucres diripuere suæ.
Sero dedit pœnas : discerpi noxia mater
Debuerat ; sed tunc, quum laceravit Itym.

Νεῦντο, νεοττεύουσ' ὄρνις ἔμεινε μία.
Τοῦ μὲν ἄγους ᾔσθοντο παλίσσυτα εἴαρος ὥρῃ
Ὄρνεα· τὴν δ' αὐτῶν ἔσπασαν αὐτόμολον.
Ὄψια τιννύσθη· μήτηρ γὰρ ὄφειλεν ἀλιτρὴ
Τοῦτο παθεῖν, ὅτ' Ἴτυν υἷα διεσπάσατο.

2. *Atthides.* Hirundines, a Procne Pandionis Atticæ regis filia in hirundinem eonversa. Ovid. Met. VI. — *In nidis una.* Hoc, ut ludit Raderus, in contubernalibus suis hirundinibus animadverterat Martialis. — Solitæ avolare omnes, ut plurium est sententia. Augustinus Riphus, cum multis aliis in cavis arbornm biberuare eatervatim tradit. Sed Gaspar. Heldelinus in Ciconiæ eneomio scribit, quod jure mirere : « Comperi, inquit, latere hirundines hieme in nido suo, tanquam mortuas : proinde non puto avolare eas. Totam hiemem habent secum recentia ova. Reviviscunt autem : quare judico mirabile quoddam opus esse, ae imaginem resurrectionis nostrorum corporum. » Hæc Heldelinus ex anonymo auctore. *Gesner.* — Naturæ quidam recentiores investigatores, commenta non minus stupenda excuderunt : scilicet hirundines bibernare in nostris fluviis et fluminibus, eas hic inventas esse, quamdam catenam formantes, hac eoagmentatione, ut rostrum posterioris in anum prioris defigeretur, et sic multæ cohærerent. Ed.

3. *Nefas ad tempora*, ete. Mansisse, contra morem et naturam hanc hirundinem deprehendere cæteræ vere reversæ. — *Nefas* vocat, quod ista hirundo ab aliarum more desciverit, nec cum reliquis avolarit.

4. Codex Thuan. *deripuere suam.* Cætera nulla varietas. — *Suæ.* Ejusdem generis aves, cognatæ inter se : *profugam*, desertricem agminis, quod ut in re militari capitale est, ita fuit huic hirundini, quum discerperetur. *Raderus.*

5. *Sero dedit pœnas*, etc. Alludit ad fabulam Procnes, quam dicit tum discerpendam fuisse, ubi ipsa suum filium Itym discerpebat; simulque ludit in verbis *discerpi* et *lacerare.* Vid. fab. 6, Metam. Ovid. et apud mythologos.

LXVIII.

AD LESBIAM.*

Arctoa de gente comam tibi, Lesbia, misi;
Ut scires, quanto sit tua flava magis.

* Aureus color capillorum Germanicorum, καὶ πάντων σχεδὸν τῶν πρὸς ἄρκτον οἰκούντων. Juv. Sat. XIII, 164: « Cærula quis stupuit Germani lumina, flavam Cæsariem? » Emptæ antem hæ comæ a plerisqne mulieribus capillorum colorem mentientibus. *Herald.*

— In hoc epigrammate nihil variant exemplaria, aut manuscripta, aut prelo excusa.

1. *Arctoa de gente.* Ex Germania, quæ est snb Arcto ad Septemtrionem: Germani vero flavam comam alunt; at Romæ nigram alebant matronæ, flavam meretrices. Sic Poeta Lesbiæ impudicitiam ostendit, quæ flavos crines affectaret. Juvenalis de Messalina, Sat. VI, 121: « Et nigrum flavo crinem abscondente galero Intravit calidum veteri centone lupanar. »

2. *Ut scires*, etc. Ut videas quam impudenter fucum facias meretricium, cui placet caliendrum, seu coma empta et factitia, quæ vel Germanorum crines nativos flavo colore superet. Videtur hujus epigr. argumentum desumptum ex Ovid. lib. I, Amor. eleg. 14: « Nunc tibi captivos mittit Germania crines », etc.

LXIX.

IN M. ANTONIUM.*

Antoni, Phario nil objecture Pothino,

* Ingens et æternum æterni Ciceronis elogium; et simul exsecratur scelus Antonii.

— Antonius, instituto triumviratu, multos cives proscripsit, id est, neci destinavit, eorum nominibus in tabula publice proposita scriptis, et addito pretio, quod percussori numeraretur. Ed.

1. *Photino* in edd. vett. — *Antoni.* Nota est Antonii triumviri historia, qui multos cives Romanos proscriptione durante interfici jussit, scelus tamen minus alios omnes interficiens, quam unum Ciceronem opprimens admisit: Pothinus Ægyptius Pompeium Magnum jussu Ptolemæi occidit. —

Et levius tabula, quam Cicerone, nocens;
Quid gladium demens Romana stringis in ora?
Hoc admisisset nec Catilina nefas.
Impius infando miles corrumpitur auro;
Et tantis opibus vox tacet una tibi.
Quid prosunt sacræ pretiosa silentia linguæ?
Incipient omnes pro Cicerone loqui.

Phario. Ægyptio. Notant autem historiæ omnes, pessimum istum Eunuchum Pothinum, qui magno illi Pompeio perniciem molitus est, justas tandem sceleris sui pœnas luisse. Vide lib. III, epigr. LXV et LII, unde hunc fax. — *Nil objecture.* Nihil habes quod illi exprobres.

2. *Levius tabula*, etc. Minus tota proscriptorum tabula nocens, quam uno Cicerone.

3. *Romana stringis.* Ultimam vocalem vocis præcedentis brevem produxit propter duas consonantes sequentis dictionis. Sic Virgilius: « Date tela, scandite muros. » — *Romana in ora.* Hoc est, in Ciceronem. Unde lib. III, epigr. LXV, de eodem Cicerone: « Hoc tibi, Roma, caput, quom loquereris, erat. »

4. *Nec Catilina nefas.* Si revixisset iste, cui tamen major odii causa Ciceronis, quam tibi. Catilina, Cicerone consulatum gerente, in Rempublicam conjuravit; quam conjurationem exstinxit consul, strangulatis in carcere principibus consciis. Ipse Catilina commisso contra senatus copias prælio interfectus est. Ed.

5. *Impius infando.* Popilius Lænas, percussor Ciceronis, qui illum capitis reum defenderat.

6. *Tantis opibus.* 250000 drachmis Atticis corruptus est Popilius; Appian. lib. IV. Tanto ergo pretio emisti silentium, recisa Ciceronis lingua. — *Una vox.* Ciceronis, qui te Philippicis tantopere exagitavit. Ed.

7. *Quid prosunt.* Quasi dicat, frustra laborasti in emendo hoc tam pretioso silentio; quod tamen haud prodest, nam ut sequitur: *Incipient omnes pro Cicerone loqui.*

8. *Incipient omnes*, etc. Omnes jam in crudele hoc tuum facinus invehentur. Sic lib. II, epigramm. LXXXIII. Raderus legendom censet, *Incipiunt.* Tacendum non est Antonii Casanovæ epigramma in Antonium ad imitationem epigramm. Martialis LXV libri III, et hujus, scriptum de M. Tullio Cicerone: « Proscribi nisi ab hoc Cicero, et nisi perenti ab illo Posset: par facinus hic jubet, ille facit. Carnificem invenit tam sævum Antonius: ipse Vix ulla posset sævior esse manu. Illum non vellet sese servasse patronus; Illum non vellet se genuisse pater. » *Rader.*

LXX.

DE SYRISCO, AD MAXIMUM.*

Infusum sibi nuper a patrono
Plenum, Maxime, centies Syriscus
In sellariolis vagus popinis
Circa balnea quatuor peregit.
O quanta est gula, centies comesse!
Quanto major adhuc, nec accubare!

* Syriscum libertum ganeonem et conturbatorem illustrem, inter paucos dies decoxisse ait centies centena millia HS, id est, 1,570,000 francorum. *Syriscus* autem est nomen fictum et servile; Syri enim plerique servi a poetis introducuntur.

— *De Syrisco* inscriptio est in edd. vett. Cætera nihil variant libri, aut scripti, aut impressi.

1. *Infusum*, etc. Donatum a patrono post manumissionem.

2. *Plenum*, etc. Justum, integrum centies. Lib. IV, epigramm. xxxvii, vs. 4.

3. *Sellariolis*, etc. Ganeis et tabernis, ubi non honeste accumbebant, sed ventri indulgebant sedentes. De sellaria item vide quæ Torrentius ad XLIII cap. Sueton. Tib. Sic *sellariam* appellavit cellam suam, et sedem arcanarum libidinum Tiberius; Suetön. in Tib. Tacitus, Annalium lib. V: « Tunc primum ignota ante vocabula reperta sunt *sellariarum, spintriarum*. » « Sellaria autem, inquit Torrentius, sellæ ipsæ ad libidinem excogitatæ. » Sic apud Plinium, lib. XXXIV, cap. 8: « Sellaria domus aureæ Neronis. » Hinc illustrandus Juvenal. Sat. x, 92; « Tutor haberi Principis, angusta Caprearum in rupe sedentis Cum grege Chaldæo. » Nota *sedentis*, propter sellariam. H. — *Vagus popinis*. Quo honesti homines, imo et paulo honestiora mancipia raro intrabant; præcipue Athenis. Sed nunc apud nos. O mores!

4. *Quatuor*. Neronis, Grilli, Titi, Agrippæ. — *Peregit*. Consumpsit, decoxit.

5. *Comesse*. Comessationibus absumpsisse.

6. *Quanto major*, etc. Atqui id non justis conviviis et cœnis, sed jentaculis, prandiolis, repotiis, etc. in quibus non accubuit. Quasi dicat, quantum consumpsisset, si accubuisset, id est, si convivium justum, aliquot convivis de more invitatis, apparasset!

LXXI.

AD FAUSTINUM.*

Humida qua gelidas submittit Trebula valles,
Et viridis, Cancri mensibus, alget ager,
Rura Cleonæo nunquam temerata Leone,
Et domus Æolio semper amica Noto,
Te, Faustine, vocant : longas his exige messes
Collibus : hibernum jam tibi Tibur erit.

* Invitat Faustinum æstu fervente in Trebulanum agrum, ipso Tibure frigidiorem.

1. *Trebula*. Vicus, Strabonis testimonio, aut oppidum in Sabinis æstate frigidissimum : nunc *Monteleone*. — *Submittit valles*. Dionys. Halicarn. lib. I : « Ab eadem urbe (Reate) sex stadiis distat Trebula, sita in modico tumulo. » Mutuscas fuisse putant de quibus Virgil. « Oliviferæ Mutuscæ. » Totam regionem Sabinorum, olivarum et vitium feracem Strabo tradit. Nihil hic de Trebia, qui amnis est Placentinus, romana clade nobilis, cogita : procul enim Trebula a Trebia. Plinius, lib. III, Trebulinos Balinienses cognominatos ait.

2. *Cancri mensibus*. Mense scilicet Julio, quo Cancer signum cæleste fervet; et mense Augusto, quo Leo ardet. Cleonæus dictus, quia prope Cleonas, oppidum Peloponnesi, Leonem inter astra deinde relatum interfecit Hercules. Lib. IV, epigr. LVII.

3. *Rura*, amœna rura Trebulæ te invitant. — *Cleonæo nunquam*, etc. Rura Trebulana nunquam adusta sunt calore solis; Augusto mense, quo Leo æstuat, semper frigida sunt, etiam summa æstate.

4. *Domus Æolio*, etc. Villa Austro exposita. Venti in Æoli ditione esse perhibentur. Notus autem proprie ab Æolia, *fœta furentibus austris*, Italiam afflat; atque a meridie spirat, ventus humidus, unde recte supra poeta, *humidam Trebulam* vocavit.

5. *Te, Faustine, vocat* Ald. Junt. Colin. Gryph. Pulman. Junian. etc. — *Longas his*, etc. Æstatem longam, dies æstivos.

6. *Hibernum*. Hoc est, Trebulanus ager adeo frigidus est, ut æstate non jam frigido Tibure, sed Trebulæ mansurus sis. Vide lib. IV, epigr. LVII, LX et LXII.

LXXII.

AD RUFUM, DE ORIGINE BACCHI.*

Qui potuit Bacchi matrem dixisse Tonantem,
Ille potest Semelen dicere, Rufe, patrem.

* Jocus ex nomine Bacchi sumptus : Græcis enim διμήτωρ, seu *bimater* dictus; quasi duas habuerit matres : Jovem ex cujus femore natum aiunt, et Semelen Cadmi filiam, ex qua denuo flammata, velut igne prodiit. Qui in monstroso Bacchi διμήτορος καὶ διθύρου Jovis scilicet femore perfecti et renati partu, monstroso ludit ingenio, Jovem Bacchi matrem vocans, cur non æque ἀτόπως et Semelen appellat patrem Bacchi? verum non tam rationem et analogiam hic vel ignoravit vel non examinavit Martialis, quam jocum affectavit. Vide Mureti var. lection. XIX, cap. 1.

— *De origine Bacchi* lemma est in Ald. Junt. Colin. Gryph. Pulman. Junian. Lang. aliis.

2. *Hic potuit Semelen* Beverl. MS. — *Potest Semelen*, etc. Nam ut Jupiter vir et tamen mater, ita Semele licet fœmina potest dici pater, aut si hoc absurdum, erit et illud.

LXXIII.

AD THEODORUM.*

Non donem tibi cur meos libellos
Oranti toties, et exigenti,
Miraris, Theodore? magna causa est;
Dones tu mihi ne tuos libellos.

* Hic nullam lectionis varietatem exhibent exemplaria calamo exarata, aut typis impressa.

—Excusat quod non Theodoro oranti mittat libros suos; se metuere ne hic mittat suos verisimiliter inficetos. Consonat huic l. VII, epigr. 11 ad Pontilianum : « Cur non mitto meos tibi, Pontiliane, libellos, Ne mihi tu mittas, Pontiliane, tuos. » Ita Catullus ad Licinium Calvum, quum sibi queritur missos malos poetas. Vid. lib. II, epigr. xiv. Ed.

LXXIV.

DE POMPEIO ET FILIIS.*

Pompeios juvenes Asia atque Europa, sed ipsum
Terra tegit Libyes; si tamen ulla tegit.
Quid mirum toto si spargitur orbe? jacere
Uno non poterat tanta ruina loco.

* Hujus Epigrammatis lectionem non variant exemplaria, aut manuscripta, aut typis excusa.

1. *Pompeios*, etc. Cneius Pompeii Magni filius interiit in Europa, victus a Cæsare ad Mundam in Hispania: Sextus periit a militibus Antonianis interceptus Mileti in Asia. — *Sed ipsum*, etc. Pompeius Magnus occisus, ut lib. III, epigr. LXV, vs. 1, in Libya seu Africa, ad Pelusium Nili ostium sepultus est. Strabo, lib. XVI, in monte Cassio sepultum refert.

2. *Si tamen ulla tegit.* Neque enim constat an sepultus fuerit. « Jacet ingens litore truncus », dixit Virgilius de Priamo, sed respexit Pompeium, Æn. II, 557: et illud, « Marmoreo in tumulo Licinus jacet, at Cato parvo, Pompeius nullo. Quis putat esse deos? »

3. *Toto si spargitur orbe.* Per tres orbis partes quæ notæ, nondum inventa America. De his autem tribus partibus Pompeius triumphabat: « Et quasi non posset tellus tot ferre sepulcra, Divisit cineres »: Petronius antea, de Crasso, Pompeio, et Jul. Cæsare.

4. *Uno loco.* Unus locus, una provincia, pars etiam mundi tota non capax erat tantæ ruinæ. Nobile Pompeii et filiorum elogium hyperbolice quidem, tamen digne concinnatum. En.

LXXV.

AD QUINTUM.

Quæ legis causa nupsit tibi Lælia, Quinte,

1. *Legis causa nupsit*, etc. Quæ lege et jure nupsit: sed ludit Poeta quum a notatione *legis* et *legitimæ*, tum ab homonymia τοῦ *legitimam*; quasi dicat, adultera Lælia nupsit Quinto mœcho: ideoque metu legis Juliæ in adulteros latæ et a Domitiano revocatæ. Vide lib. VI,

Uxorem potes hanc dicere legitimam?

epigr. VII; legendum et 88 Ausonii. Uxor legitima erat νόμιμος, quæ secundum leges in manum mariti convenerat κατὰ νόμιμον σύνοδον, ut loquitur Philo alicubi; et opponitur παλλακῇ et concubinæ. Hic ergo *uxor legitima*, quæ Juliæ legis metu nupsit; uxor nempe secundum leges tunc vigentes. *Herald.*

2. *Uxorem potes hanc ducere* Beverlandi MS. Cætera nulla est varietas. — *Uxorem legitimam.* Sic factam ex lege Julia : hæc autem lex adulterum, ni vellet graves luere pœnas, adulteræ nubere cogebat. De Domit. qui hanc legem modo revocaverat Juv. Sat. II, 30 : « qui tunc leges revocabat amaras. » Ed.

LXXVI.

AD CINNAM.*

Profecit poto Mithridates sæpe veneno,
Toxica ne possent sæva nocere sibi.
Tu quoque cavisti cœnando tam male semper,
Ne posses unquam, Cinna, perire fame.

Τοξικὰ μὲν προλαβὼν Μιθριδάτης πολλὰ πέπωκε,
Τοῦ μὴ βλάπτεσθαι φαρμακόεντι ποτῷ·
Τῷ δέ σε λιμώττειν αἰεὶ, προφύλαγμα τόδ' εὗρες,
Ὥςε θανεῖν λιμῷ μηδὲν ἔχειν σὲ δέος.

* Jocus in Cinnam pauperem, a comparatione Mithridatis, veneno assueti, et Cinnæ, fami.

1. *Profecit loto* ex codice Florentino citat Beverlandus. — *Profecit poto*, etc. Plinius, Histor. Nat. lib. XXV, cap. 2, sic rem effingit : « Uni ei (Mithridati) excogitatum quotidie venenum bibere, præsumptis remediis, ut consuetudine ipsa innoxium fieret. Primo inventa genera antidoti, ex quibus unum etiam nomen ejus retinet. Illius inventum autumant sanguinem anatum Ponticarum miscere antidotis, quoniam veneno viverent. » De eo agit etiam Aulus Gellius lib. XVII, cap. 16.

2. *Toxica ne possent.* Venena, quasi taxica; taxus (gallice, *if*) arbor nocens, cujus umbra exitialis esse dicitur. Plinius, XVI, 10. Ed.

3. *Tu quoque cavisti.* Tam intime fami ferendæ assuevisti, tam fortiter illam sustinere didicisti, ut nihil jam in te valerte. Ed.

LXXVII.

AD MARULLUM.*

Narratur belle quidam dixisse, Marulle,
Qui te ferre oleum dixit in auriculam.

* *Ad Pedarifiam* inscribitur in codice Florentino.

2. *Qui te ferre olens* Beverlandi MS. « Lege *tolens* vel potius *toles*, quod nihil aliud est quam faucium inflammatio et tumor. Ut enim illi qui *toles* habent in faucibus, non possunt loqui, ita nec audire qui eas habent *in auricula*. Itaque ait illum nolle audire, sed semper loqui. » *Beverl.* « Ingeniosa satis hæc conjectura Beverlandi; sed vereor ne *toles* h. l. adversum sit metro. » *Wernsdorf.* Alii legunt, *auricula*. — *Qui te ferre.* Assentatores enim, dum potentioribus blandiuntur, in eorum aures oleum infundere videntur. Alii aliter explicant hoc adagium, et legunt, *in auricula*, ut sit sensus : Marullum rigida et supina aure fuisse, id est, omnia aversantem et fastidientem aliorum dicta. Sic lib. VI, epigramm. XLII : « Non attendis, et aure me supina Jamdudum quasi negligenter audis. » Metaphora ducta a gestu eorum, quibus aliquid in aurem infusum est; et, ne effluat, aurem supinant. Qui loqui non posset, apud antiquos dicebatur oleum ore gestare : ita qui nihil audit, videtur oleum ferre in auricula : vel poeta hic habitum capitis in Marullo irridet ac notat, ut qui perinde incedat et caput in dextrum aut sinistrum humerum inclinet, ac si oleum in illa ferret, ac sollicitus esset, ne effunderet, sicut hi quos incurvicervicum pecus nominat Pacuvius. *Raderus.*

LXXVIII.

AD TURANIUM.*

Si tristi domicœnio laboras,

* Turanii nomen verum est, ad quem epistola Martialis initio lib. IX, *Ave, mi Turani*, etc. Singularis fuit Poetæ amicus, quem et fratrem appellat. De alio Turanio Plinius, XXXVII, 13; et Suet. Vespas. 4. — *Ad Toranium* inscriptio est in edd. vett.

1. *Si tristi*, etc. Ne tristis et solus domi cœnes, poteris apud me

Turani, potes esurire mecum.
Non deerunt tibi, si soles προπίνειν,
Viles Cappadocæ, gravesque porri.
Divisis cybium latebit ovis;
Ponetur digitis tenendus unctis

cœnare, frugali et parabili mensa contentus. Ad ejusmodi cœnam invitat Persicum Juvenalis, Sat. XI; et Septitium Plinius, lib. I, epist. 15. — *Tristi*, etc. Non quod Turanius pauper; sed quod domi sine familiarium affatu et usu, tristius quam inter sodales cœnaturus esset.

2. *Esurire mecum.* Hoc est, contentus esse frugali mensa.

3. *Non dederint si soles propinqui* Beverlandi MS. *si soles propinqui* habet etiam codex Heraldi. *Non deerunt tibi sessiles propinquæ* legendum censet Merula ex vett. libris. — *Si soles* προπίνειν. Apponentur tibi in libationem, promulsidem, antecœnium, gustationem seu gustum, de quo lib. X, epigr. XXXI, vs. 4; lib. XI, epigr. XXXII, vs. 4, et epigr. LIII, vs. 11. Προπίνειν ergo est prægustare ante cœnam. Vox πρόπομα dicitur de gustu, qua voce etiam *esca* significatur. Verbum enim *propino* apud Latinos non de potione tantum, sed de cibo etiam usurpatum reperio. Jul. Capitolin. in M. Antonio, « Venenatam partem fratri edendam propinans ». Terent. Eunuch. « Hunc ego vobis comedendum et deridendum propino. » Et translate aliquem ridendum aliis propinare dicunt. Placet Radero quod Bisciola notavit; credit enim Martialem voluisse dicere : « Non deerunt tibi, si voles προπίνειν, viles Capp. » etc. Nam, inquit, *propinare*, non de cibo dicitur, sed de potu. Præterea quis vidit unquam herbas propinari, et in principio cœnæ? Quasi dicat : Non defutura illi genera ciborum, quæ si vellet bibere Turanius, desiderium possent excitare bibendi : hodieque quum ad bibendum invitamus, id facimus, olivis, porris, etc. Merula vero legendum censet, *Sessiles propinquæ*, id est, lactucæ vulgares in urbanis hortis usque obviæ, de quibus lib. III, epigr. XLVII. Plinius, lib. XIX, cap. 7, facit mentionem Cappadocarum. « Diligentiores, *inquit*, plura genera (lactucarum) faciunt, purpureas, crispas, Cappadocas, Græcas. »

4. *Viles Cappadocæ.* I. e. lactucæ Cappadocæ; lib. XIII, epigr. XIV. — *Graves porri.* Odorene? an graves stomacho, capiti, oculis?

5. *Et dives Sycibium* in cod. Florent. *Divisis cibium* Ald. Junt. Colin. al. — *Divisis cybium latebit ovis.* Piscis e Pelamidum genere concisi in frusta, ovis ruptis frixa et tecta. Plinius, lib. XXXII, cap. 21, et Athenæus, lib. III, cap. 52.

6. *Ponetur digitis tenendus ustis* ed. antiq. Ferrar. anni 1471. Ald. Junt. Colin. Gryph. Gruter. etc. *unctis* debetur Lipsio, Epist. Quæst. I, 5. Cf. Pers. Sat. VI, 70; Flor. II, Sat. III, 125; et Juvenal. Sat. V, 87. Ant. *de Rooy* tentabat *udis*, ab humore sc. qui succidis caulibus

Nigra cauliculus virens patella,
Algentem modo qui reliquit hortum;
Et pultem niveam premens botellus,
Et pallens faba cum rubente lardo.
Mensæ munera si voles secundæ,
Marcentes tibi porrigentur uvæ,
Et nomen pyra quæ ferunt Syrorum;
Et quas docta Neapolis creavit,
Lento castaneæ vapore tostæ;
Vinum tu facies bonum bibendo.

tenendo exprimitur. Quod epitheton et summo jure Burmannus vindicavit Nasoni Art. Am. I, 662, ubi *uncta* parum feliciter ex nonnullis codd. defendit Heinsius. — *Unctis*. Propter oleum cauliculis superfundi solitum. Lips. V, Epist. Quæst. lib. I. Gruterus retinet *ustis*, propter ἀντίθεσιν τοῦ *algentis horti*, quod sequitur.

7. *Nigra coliculus* in edd. vett.— *Cauliculus*. Coliculus, seu cauliculus, a caulibus dictus: brassicæ est interior pars, resecta a caule; ita ut thyrsus ipse sit brassica, caulis, coliculus. Vide lib. XIII, epigramm. XVII. Sæpe brassica et cauliculi pro eodem sumuntur. *Rader.* — *Nigra patella* est fumosa, vel parum nitida. Ed.

8. *Algentem hortum*. Molliores sunt cauliculi hyeme; forsan per Saturnalia hæc Martialis.

9. *Et pultem*. De pultibus scribit Apicius, lib. V, cap. I. Nivea dicitur, hoc est, ex farina tritici candida.—*Pultem niveam*, etc. Pulti ex alicæ farina impositus botellus. Apicius. Erat et χορδὴ αἱματιάτις. Athenæus, lib. III, cap. 36. — *Niveam*. Nempe ex alica sectam: alicæ autem farina candidissima. Lib. II, cap. 5, sic botellum describit Apicius: «Botellum sic facies ex ovi vitellis coctis, nucleis pineis concisis, quibus cepam, et porrum concisum, thusque crudum admiscebis, cum pipere modico, atque ita intestinum farcies; adjectoque liquamine, et vino decoquas.» — *Botellus* ergo genus farciminis fuit, sine carnibus tamen. Alii sanguine fartum fuisse. Apud nos, *boudin*.

10. *Rubente lardo*. Rubet laridum vetus et fumosum.

11. *Mensæ secundæ*. In secundis mensis bellaria et fructus apponebantur. Ed.

12. *Marcentes*, etc. Maturæ, vel duracinæ. Vid. lib. I, epigr. XLIV. Brodæus vult aliis dici, *tempore corruptas*; quibusdam, *liquore plenas*.

13. *Et nomen pira* in edd. vett. — *Nomen pyra*, etc. Pyra Syra, ex Syria allata.

14. *Docta Neapolis creavit*. Studiis literarum et gymnasiis celebris. Neapolitanæ autem castaneæ laudatæ, quæ et torrentur et elixantur.

15. Codex Bodleianus et Beverlandi MS. *coctæ*.

16. *Vinum tu facies*, etc. Vinum

Post hæc omnia forte si movebit
Bacchus, quam solet, esuritionem,
Succurrent tibi nobiles olivæ,
Piceni modo quas tulere rami,
Et fervens cicer, et tepens lupinus.
Parva est cœnula, quis potest negare?
Sed finges nihil, audiesve fictum,
Et vultu placidus tuo recumbes;
Nec crassum dominus leget volumen;
Nec de Gadibus improbis puellæ
Vibrabunt sine fine prurientes

qualecunque sapiet tibi non ante sitim bibenti; vel, Liberalius bibendo videberis approbare vinum meum qualecumque.

17. *Post hæc omnia*, etc. Quod si vinum tibi moverit appetitum novum, naturali calore accenso; vel etiam vomitu. Hoc autem ante vel in cœna factitabant Veteres ad purgandum stomachum et provocandum appetitum. Juven. VI, vs. 428. Athen. lib. XV, cap. 1; et Seneca, epist. 95: « Vomunt ut edant, edunt ut vomant. » Mox: « Et vinum omne vomitu remetiuntur »

18. Beverlandi MS. *quam solet exhauritionem*.

20. *Piceni*. Ager Picenus est in Umbria, Italiæ parte, olivis frequens, hodie *la Marca d'Ancona*. De olivis Picenis dictum, lib. I, epigr. XLIV.

21. *Fervens cicer*, etc. Ab igne coctum, nam frigebatur: vel, naturæ fervidæ; comburit enim, urinam movet, etc. Athenæus, lib. II, cap. 14. — *Tepens lupinus*. Aqua maceratus tepenti.

22. *Parva est cœnula*. Sed jucunda, qualis esse solet inter amicos, in qua, quidquid in buccam venerit, quisque garriet sine ullo delatorum timore.

23. *Sed finges*. Verum cœnæ tenuitatem compensabit libertas et sinceritas, ubi non erit opus simulatione et dissimulatione, ut in mensis divitum. Vel non fictis narrationibus et molestis condientur epulæ, ut apud divites ubi convivæ omnia faciunt ad gratiam, ad veritatem fere nihil.

24. *Vultu tuo*. Hoc est, non composito in alterius gratiam.

25. *Nec crassum domini leges* codex Florentinus. — *Nec crassum dominus leget volumen*. Nec ego molestus tibi ero, longo volumine legendo inter mensam; ut lib. XI, epigr. LIII, vs. 19. Οὐ μελοποιὸς ἐρεῖ κατακείμενος. Anthol. lib. II, cap. 47.

26. *De Gadibus*. De quibus lib. I, epigr. XLII; unde puellæ saltatriculæ levitate et lascivia famosæ Romam ducebantur. Lib. II, epigr. XLII; et Juvenal. Sat. XI, vs. 162.

Lascivos docili tremore lumbos.
Sed, quod non grave sit, nec inficetum,
Parvi tibia condyli sonabit.
Hæc est cœnula. Claudiam sequeris;
Quam nobis cupis esse te priorem.

29. *Sed quod nec grave sit, nec infacetum;* Beverlandi MS.

30. *Condylis* in eodem. — *Tibia condyli.* Condylus tibicen fuisse videtur. Alii putant loqui Poetam de tibia quæ parvum haberet foramen instar condyli, qui proprie nodus est in digitis incurvis exstans. Prior sensus mihi videtur melior; et ipse suspicatus est Gruterus Condylum esse nomen hominis. Ed.

31. 32. *Claudiam sequeris Quam nobis cupis esse turpiorem* in edd. antiq. cum Ald. Junt. Colin. Gryph. etc. *Claudiam sequeris? Quam nullis cupis esse turpiorem* legunt alii. *Hæc est cœnula: credo jam sequeris, Jam nobis cupis esse te priorem;* vel *Claudiam sequeris Quæ nobis cupit esse te priorem* legendum censet Heraldus. *Claudiam si queris* Beverlandi MS. *esse tu priorem* codex Pulmanni. — *Claudiam.* Hoc est, aderit et Claudia a te amata, quam libenter sequeris, et omnium primam adesse cupis. Catullus, qui ejusdem sectæ, Carm. XIII; «cœnabis, inquit, sed non sine candida puella.» Epicurei enim omnes in voluptatem cœnæ adhibent puellam. Ed. Vulgata lectio: *Quam nobis cupis esse turpiorem;* ne illius amore capiamur, ut nempe solus ea potiaris. «Et nisi cœna prior potiorque puella», Horat. epist. I, 5. — *Claudiam sequeris.* Aderit et Claudia, deliciæ tuæ, quam scio te libenter sequuturum: immo cupies te priorem nobis esse propter cam, quam vel nobis magis adesse velis. Commodius ergo scriberetur: «Jam nobis cupis esse te priorem.» Claudiam uxorem Pudentis alii intelligunt. Heraldus multa nimis mutat, quam ut aliquid extundat probandum. Claudiam rejicit; et ad cœnam appositam, cui voles prior nobis accumbere, omnia refert. Ed.

LXXIX.

IN ZOILUM.*

Undecies una surrexti, Zoile, cœna;

* Zoilum vestium ostentatorem exagitat. Zoilus, ut ostenderet plures esse sibi vestes ejusmodi, fingebat se sudare, et quasi depositurus madidam sudore synthesin, aliam sumebat. Vis non sudare, ait Martialis? ne muta syntheses; unaque contentus esto, quali ego utor; non sudabis, aut sudare te simulabis: immo algebis.

1. *Undecies una surrexit* ed. antiq. Ferrar. Ald. Junt. Colin. etc. Le-

Et mutata tibi est synthesis undecies;
Sudor inhæreret madida ne veste retentus,
Et laxam tenuis læderet aura cutem.
Quare ego non sudo, qui tecum, Zoile, cœno?
Frigus enim magnum synthesis una facit.

ctio nostra debetur Turnebo, lib. XXIII, cap. 18. — *Undecies*. Zoilum hunc, de quo jam lib. II, epigramm. XVI, carpit, qui alia de causa synthesin non mutabat, nisi ut suarum vestium copiam ostentaret. Synthesis vestis est, qua domi utebantur Romani in cœna, atque foris Saturnalium tempore. Mutandæ vestis causa, quum te sudore perfusum fingeres.

2. *Et mutata tibi Synthesis* edd. vett. — *Synthesis*, in vestiario composita; vel quæ simul induitur, sed raro et festis diebus; II, XLVI, 4. Sabellicus brevem vestem et expeditam ait Sueton. Ner. c. 51. Ed.

4. *Laxam tenuis*, etc. Ex sudore porosam; vel *laxam*, distentam et turgentem: corpus sc. tuum præpingue et obesum. *Rader*.

6. *Frigus enim*, etc. Solus sudas, alii frigent; quippe unus multas habes syntheses, quas ostentare cupis, nos unam et detritam. Lib. II, epigr. XVI, vs. 6.

LXXX.

AD SEVERUM.*

Non totam mihi, si vacabis, horam,
Dones, et licet imputes, Severe,
Dum nostras legis exigisque nugas.
Durum est perdere ferias. Rogamus,

* Librum Severo censendum mittit, quem immortalem futurum dicit, a Severi et Secundi castigatione prodeuntem. Ordo verborum est: Severe, si vacabis (malim *vacabit*), non totam horam mihi dones et imputes legendo libello.

1. Farnabius malit, *vacabit*. Cætera, non variant codd. aut libri impressi.

2. *Et licet imputes*. Hoc est, Per me licet ut me semihoræ mihi concessæ debitorem facias. Hanc horam tantum beneficium habebo, ut liceat mihi imputes et in meis rationibus numerem, quasi rem magnam tibi deberem.

3. *Exigisque nugas*. Ad examen et trutinam judicii castigas.

4. *Durum est*, etc. Objectio ex persona Severi. Non est æquum me otia mea perdere nugis tuis impensa. — *Rogamus*. Respondet Severo Poeta.

Jacturam patiaris hanc, ferasque.
Quod si legeris ipse cum diserto
(Sed numquid sumus improbi?) Secundo,
Plus multo tibi debiturus hic est,
Quam debet domino suo libellus.
Nam securus erit, nec inquieta
Lassi marmora Sisyphi videbit;
Quem censoria cum meo Severo
Docti lima momorderit Secundi.

5. *Jacturam patiaris.* Quasi dicat: Perdes tu quidem ferias; sed rogo perde nostra causa leve momentum otii tui.

7. *Improbi.* Qui tibi adjungimus comitem æque gravibus, ac tu, districtum negotiis. *Improbi.* Impudentes, quod hoc abs te petamus. — *Secundo.* Libertus hic Lucensis ille? de quo lib. I, epigr. 11, vs. 7. An Plinius junior qui Nostro amicus (ut testatur ipse Plin. lib. III, epist. ult.) qui et Secundus cognominatus est, et quem disertum vocat Martialis, libro X, epigrammate XIX.

8. *Plus multo*, etc. Plus tibi castigatori, quam mihi auctori. Vide quanti faciat poeta limam, et castigationes doctorum.

10. *Nec inquieta.* Nota Sisyphi fabula, qui in Inferis ingens saxum sine ulla quiete movet. Sensus est: Meus libellus non adibit Inferos. Dicebant Veteres poemata adire Inferos, et interire, quum non legerentur. Sic lib. X, epigr. 11: «Marmora inquieta» dixit.

13. *Lima.* Egregia metaphora. Lima habet suos dentes, unde dicitur mordere ferrum, quum illud polit. Sic eruditi viri emendando versus impolitos mordent, seu poliunt. Censoria dicitur, quia censores corrigebant mores civium et notabant. Ed.

LXXXI.

AD ÆMILIANUM.

Semper eris pauper, si pauper es, Æmiliane.
Dantur opes nulli nunc, nisi divitibus.

1. *Semper eris.* Mores sui temporis carpit Poeta, quo soli divites rem faciebant. Idem queritur Juvenalis sat. III, quum de Codro paupere et Artorio divite agit. Vid. et sat. I; ac notissima proverbia.

2. *Dantur opes nullis* Ald. Junt. Colin. Gryph. et aliæ vett.

LXXXII.

IN GAURUM.*

Quid promittebas mihi millia, Gaure, ducenta;
Si dare non poteras millia, Gaure, decem?
An potes, et non vis? rogo, non est turpius istud?
I, tibi dispereas, Gaure: pusillus homo es.

* Avarum carpit Gaurum, qui quum poetæ ducenta millia HS. in fœnus promisisset, petenti nec decem millia credere voluit.

1. *Quid.* « In denegando queis pudor est paululum : post ubi tempus est promissa jam perfici, etc. » Charinns apud Terent. — *Promittebas*, etc. Mutuo, fœnore, vel gratis. — *Millia ducenta;* circiter, 31,400 francicorum : Tab. Num. fin. I Vol.

2. *Si dare non poteras.* Vel fœnori, vel gratis.

3. *Ante potes et non* Schrevel. ed. an. 1670, operarum lapsn. *An potes, et non vis, rogo? Non est turpius istud Si tibi : Dispereas, Gaure, pusillus homo es* correxit Lipsius Epist. Quæst. 1, 5; quæ lectio non minus intricata est, judicio Heraldi, qui proposuit : *An potes, et non vis? Rogo non est turpius istud Sic tibi? Dispeream, Gaure*, etc. Ant. *de Rooy* conj. *At potes, et non vis : rogo*, etc. ut sit prolepsis. At dices fortasse, te posse quidem; sed non velle. Cf. Cic. Fam. lib. VII, epist. XXIII. *Si tibi desperas* cod. Pulmanni : *Si tibi* etiam in Beverlandi MS. Lectio nostra debetur Scaligero. *Homo est* Beverlandi MS. — *An potes*, Si poteras, inquit poeta, et nolebas, cur es pollicitus? nonne hoc est turpius, quam si mihi petenti, statim a principio negasses; aut nihil petenti, nihil pollicitus esses. Quæ noluisti mihi dare, ea tibi habeas, male iis utaris, quæ nec bene tibi vertant. Ita emendavit Scriverius de consilio Scaligeri; quum antea legeretur *disperas*.

4. *I, tibi disperdas (dispereas).* Hæc lectio mihi videtur perobscura : omnium optime, meo judicio, legit Heraldus : *An potes, et non vis? rogo non est turpius istud Sic tibi? Dispeream, Gaure, pusillus homo es.* Nos prætulimus. *I, tibi dispereas.* Male pereas. *Tibi* abundat hoc loco, ut sæpe alias. Imprecatio solemnis, ut lib. I, epigr. XL, « Dispeream si non hic Decianus erit » ; et lib. II, epigr. LXIX, « Si non mentiris, Classice, dispeream ». — Potest explicari etiam *disperdas*, scilicet, disperde tuam rem avare, male consume. Sensus esse totius hujus epigrammatis videtur : Pro tua pecunia quam promiseras, tuum nomen immortalitati consecravissem; pusillus ergo homo es, qui tale munus respuisti. Ed.

LXXXIII.

AD DINDYMUM.

INSEQUERIS, fugio; fugis, insequor; hæc mihi mens est:
Velle tuum nolo, Dindyme, nolle volo.

1. *Insequeris, fugio; fugis, et sequor* in codice Thuaneo. *Insequeris,* etc. Disparia nobis studia, voluntates diversæ. Sic lib. XII, epigr. XLVII. Vide et epigramma XLVII supra. Hellenismus est.

LXXXIV.

AD GALLAM.*

JAM tristis nucibus puer relictis
Clamoso revocatur a magistro;
Et blando male proditus fritillo,
Arcana modo raptus e popina,

* Queritur nil sibi xeniorum a Galla missum Saturnalibus, se tantumdem Gallæ remissurum Martialibus.

1. *Nucibus relictis.* Nucibus ludere solebant pueri Romani Saturnalium tempore, mense scilicet Decembri, quo vacabant a studio. Quinque vero erant legitimi Saturnalium dies (lib. VII, epigr. LIII, et lib. IV, epigr. LXXXIV.) quibus finitis ad studium revocabantur. Plin. epist. VIII, 7.

2. *Revocatur.* In scholam scilicet. Namque Saturnalibus ferventibus, cessabant scholæ: exactis, aperiebantur.

3. *Et blando male perditus* in edd. vett. *Et blando male protinus* Beverlandi MS.—*Et blando.* Saturnalium tempore concessum erat juvenibus virisque alea ludere; Martial. lib. XIII: «Nec timet Ædilem moto spectare fritillo.» Saturnalibus enim forum aleatorium calefaciebant. At præteritis Saturnalibus si ludentes deprehenderentur ab Ædili, magistratu nempe cui id curæ erat, puniebantur. Fritillus, pyrgus sive turricula est, ex qua mittebantur tesseræ in tabulam lusoriam. — *Proditus.* A rotati concussique fritilli sono proditus Ædili ganeas inquirenti. — *Fritillo.* Lib. IV, epigr. XIV, vs. 8.

4. *Arcana modo,* etc. Palam lu-

Ædilem rogat udus aleator.
Saturnalia transiere tota,
Nec munuscula parva, nec minora
Misisti mihi, Galla, quæ solebas.
Sane sic abeat meus December.

dere post Saturnalia nefas erat.'— *E popina*. Ubi lurcones, ganeones et aleatores ab Ædilibus vestigabantur. Seneca, de Vit. Beat. cap. 8.

5. *Ædilem rogat*. Ut sibi parcat, nec in jus trahat. — *Udus aleator*, vino madens, aut vapore popinæ.

6. *Saturnalia transiere*. Quibus nempe solebant amici ad sese invicem munera mittere. Ep. IV, 89.

7. « Pro *munuscula parva* puto reponendum *munuscula parca*, quia *minora* sequitur, ne bis idem dicat. » Ita Heinsius ad Ovid. p. 354.

8. Beverlandi MS. et cod. Pulman. *quam solebas;* et sic Heinsius infra.

9. « *Sane* pro *At ne* nunc legitur: qui nævus totum ferme Epigrammati acumen interverterat. Restituamus lepidissimum Carmen, antequam manum de hac tabula tollimus, Gallam Martialis Nasonianis Heroisin addendo: *Saturnalia transiere tota; Nec munuscula parca, nec minora Misisti mihi, Galla, quam solebas. At, ne sic abeat meus December, Scis certe puto, vestra jam*, etc. Omnia jam optime se habent. Prioribus versibus tangit Gallæ avaritiam, quæ quum solens parva semper miserit munuscula, nunc mittat nulla. Perperam legebatur, *quæ solebas*. Deinde *Sane* pro *At ne* frigidissime profecto. Allusit ad formulam minantium, «Non sic abibit.» Ne, inquit, impune feras indonata mihi hæc transiisse Saturnalia, at proximis Kalendis Martiis istam ego illiberalitatem tuam pari parcimonia probe ulciscar. » Ita scribit idem Heinsius ad Ovidii Heroid. epist. XXI, 213. « *Sane* eleganter concedenti inservit. Injurius certe in Martialem fuit Heinsius, qui hoc ei eripere sit conatus, proque eo reponere *At ne*. Vide Burman. ad Ovid. l. c. et Nostrum infra lib. VI, epigr. XXXII. » *Ant. de Rooy*.—*Meus December*. Quo mense Saturnalia virorum celebrabantur; Kalendis vero Martiis Saturnalia fœminarum. Suet. in Vespasiano: «Sicut Saturnalibus dabat viris apophoreta, ita et Kalendis Martii fœminis.» Macrobius, lib. I, cap. 12: «Et servis (mense Martio) cœnas apponebant matronæ: ut domini Saturnalibus.» Juvenalis, sat. IX, 53: «Munera fœmineis tractat secreta Kalendis.» Vid. Hor. III, od. 8. His Kalendis celebrabant natalem Veneris. Docet amandi magister ne eo tempore puellarum captentur amicitiæ, quia solent tunc temporis plurima pro jure suo flagitare. Art. Am. I, 403: «Nec teneras tutum est semper captare puellas; Sæpe dato melius tempore fiet idem: Sive dies suberit natalis, sive calendæ, Quas Venerem Marti continuasse juvat.» Addit postea: «Magna superstitio tibi sit natalis amicæ, Quaque aliquid dandum est, illa sit atra dies.»

Scis certe, puto, vestra jam venire
Saturnalia, Martias Kalendas:
Tunc reddam tibi, Galla, quod dedisti.

10. *Scis certe, puto, nostra* e suo exempl. vet. probat Pulmannus, et sic Beverlandi MS. De permutatione pronominum *noster*, et *vester*, vide nos ad Tibull. IV, 11, 24.

11. *Martias Kalendas*; de his jam plura, not. 9, sup. sed vide Garebinum apud Horat. od. III: 8, fuse disserentem, et Levinum Torrentium ad eumdem locum. Consule Solinum, cap. 3; Ovid. Fast. lib. V; Porphyr. ad Horat. Tibull. l. III, 1, 3: « Et vaga nunc certa discurrunt undique pompa, Perque vias urbis munera, perque domos. » Romani Martias celebrabant Kalendas, vel quod eo die pax Romanos inter et Sabinos facta fuerit; vel quod Ædes Junonis Lucinæ eodem coli cœpta. Kalendas omnes in Junonis ditione fuisse constat: quare mirum non est ædem illi dedicatam fuisse Kalendis Martiis; Mars enim Junonis filius, ut Romanæ gentis auctor celebratur. Necnon harum celebritas, quamvis feminearum, ad viros pertinuit, modo cælibes non fuerint; nam mariti iisdem diebus pro conservandis matrimoniis supplicare solebant, propter memoriam initi fœderis raptarum Sabinarum intercessione. Ed.

12. *Quod dedisti.* Scilicet nihil.

M. VAL. MARTIALIS
EPIGRAMMATUM
LIBER VI.

I.

AD JULIUM MARTIALEM.*

Sextus mittitur hic tibi libellus,
In primis mihi care Martialis;
Quem si terseris aure diligenti,
Audebit minus anxius tremensque
Magnas Cæsaris in manus venire.

* Ad Julium Martialem mittit castigandum novum libellum, ut exire securius, et in manus Cæsaris venire possit.

— Lemma deest in edd. vett. « Ego hoc Epigramma credo ad amicum scribi, quamvis alii dicant ipsum se alloqui. » *Calderinus.*

1. *Sextus mittitur.* Huic Epigrammati deest titulus in antiquis codicibus, in novis vero reperitur, *Ad Julium Martialem*, de quo jam lib. IV, epigr. LXIV; lib. V, epigr. XXI, et postea lib. X, epigr. XLVII.

3. *Si terseris.* Alludit ad spongiam de qua lib. IV, epigr. X. Hoc est, si acri judicio, quæ sunt delenda, accurate deleveris, et emendaveris. *Aure diligenti* dixit, quod superbissimum sit aurium judicium. — Libri enim quasi nobiscum loquuntur, et auris est symbolum judicii censuræque. Ed.

5. Sunt qui legant, *Magni Cæsaris.* — *Magnas.* Sic jam de Domitiano loquutus est lib IV, epigr. VIII: « Ingentique tenet pocula parca manu. »

II.

AD CÆSAREM DOMITIANUM.*

Lusus erat sacræ connubia fallere tædæ;
   Lusus et immeritos execuisse mares.
Utraque tu prohibes, Cæsar, populisque futuris
   Succurris, nasci quos sine fraude jubes.
Nec spado jam, nec mœchus erit, te præside, quisquam.
   At prius (o mores!) et spado mœchus erat.

* *Ad Cæsarem* inscribitur in codice Pulmanni. Vide Dionem Nicænum in Domit.

— Laudat Cæsarem quod legibus coercuerit adulteria et castrationes marium, et inde succurrisse hominum multiplicationi, et malos mores frenasse. Ed.

1. *Ludus erat.* legit Calderinus. *Lusus erat seræ* codex Florentinus. — *Lusus erat.* Hoc est, antea lusus erat adulteria committere, et mares castrare, quod utrumque fieri prohibuit Domitianus, teste etiam Suetonio in Domitiano, cap. 7.

2. *Lusus in innumeros* in eodem codice.— *Lusus et immeritos.* Suetonius: « Castrari mares vetuit. » Spadonum qui apud mangones erant, pretia moderatus est. Papin. Sylv. IV, de hoc edicto Domitiani: « Qui fortem vetat interire sexum, Et censor prohibet mares adultos Pulchræ supplicium timere formæ. » Vid. eumdem in Silv. III: « Nunc frangere sexum, Atque hominem mutare nefas, gavisaque solos, Quos genuit natura videt. » Ammian. Eunuchorum hostis perpetuus: « Domitianus receptissima inclaruit lege, qua minaciter interdixerat, ne intra terminos jurisdictionis romanæ castraret quisquam puerum. » Hoc autem ideo vetuit, quia quum memoriam Titi fratris odio haberet, et is eunuchos amasset, in ejus contumeliam edictum proscribendum censuit. Xiphilinus in Domitiano. Hanc eamdem legem Nerva confirmavit. Idem, in Nerva. *Herald.* — *Exsecuisse mares.* Castrare. — *Exsecuisse.* Exsecare, ἐκτέμνειν. Sic *circumsectos* Judæos dixit Suetonius in Domit. quos *circumcisos* vulgo appellamus.

3. *Prohibes,* etc. Edictis. Sueton. Domit. cap. 7. Xiphilin. Domit. Dio; Amm. Marcellin. lib. XVIII, Papin. Sylv. IV.

4. *Quod sine fraude jubes* Beverlandi MS. — *Sine fraude.* Id est, legitime, non ex adulterio.

6. *Et spado.* Qui ducebat uxorem non sibi, sed aliis, unde ipse erat adulter suæ uxoris. Juvenalis Sat. I: « Quum tener uxorem ducat spado », etc. Vel potius intellige etiam spadones mulieribus, quæ parere nollent, gratos fuisse, infr. epigr. LXVII. Juven. Sat. VI, 367: « Sunt, quas eunuchi imbelles, et mollia semper Oscula delectent. »

III.

DE FILIO DOMITIANI.*

NASCERE, Dardanio promissum nomen Iulo,
Vera Deum soboles : nascere, magne puer.
Cui pater æternas post sæcula tradat habenas;
Quique regas orbem cum seniore senex.
Ipsa tibi niveo trahet aurea pollice fila,

* Ex Domitia uxore, de qua modo loquemur, infra, not. 2 : neque enim placet hoc de conceptu Juliæ, quem ipse pater et patruus abortivum esse voluit, intelligi; ut censet Calderinus.

— *Ad Cæsarem* est lemma in codice Pulmanni.

1. *Nascere, Dardanio.* Iulo nempe filio Æneæ promiserant fata aliquando nasciturum hunc puerum, cui nomen Iuli destinabatur. — *Nascere.* Nascentem puerum alloquitur poeta, vel potius natum et crescentem ; sicut stirpem dicimus nasci, dum crescit. — *Dardanio.* Trojano, a Dardano.—*Promissum*, etc. Imitatio Virgiliana. « Julius a magno demissum nomen Iulo », Æneid. I; et Ecl. IV, « Cara deum soboles », etc.—Hæc autem *vera*, Domitiani scilicet Dei ac Domini. Lib. V, epigr. VIII.

2. *Vera Deum.* Domitianus enim ejus pater Dominus et Deus appellabatur. Lib. V, epigr. VIII. — *Magne puer.* Ex Domitia uxore, cujus mentionem facit Suetonius in Domit. cap. 3, non ex Julia Titi ejus fratris filia, cujus amore misere peribat Domitianus, quam conceptum abigere coegit, teste eodem Suetonio, cap. 22, in Domitiano, « ut etiam causa mortis illius exstiterit. »

3. *Habenas.* Hoc est, imperium administrandum, postquam Domitianus diu illud rexerit.

4. *Quique regas*, etc. Imit. Ovidiana. « *Sospite sic te sit natus quoque sospes : et olim Imperium regat hoc cum seniore senex.* » Trist. II, vs. 165.

5. *Ipsa tibi niveo*, etc. Parcæ Deæ dabunt patrueli tuæ Juliæ filiæ Titi, partes suas : atque Julia pro amore suo tibi nebit pollice niveo (qui longævitatem figurat) fila aurea, quæ summam portendunt felicitatem; namque ex disciplina Hetruscorum aries insolito colore indutus, regi vel Imperatori omnium rerum largitionem portendebat. Vide quæ ad vs. 228 Thyest. Senec. —*Ipsa tibi.* Julia a Domitiano patruo adamata, te filium ejus amabit, et Parcarum vicibus fungetur, tibique ducet fila aurea, a quibus pendet dierum omnium prosperitas. Petronius de Trimalcione beato ; « Præsto erat Fortuna cornu abundanti copiosa, et tres parcæ aurea pensa torquentes. » Sidon. XV : « Probat Atropos omen,

Et totam Phryxi Julia nebit ovem.

Fulvaque concordes junxerunt fila sorores.» — *Niveo pollice.* Seneca de Nerone : «Aurea formoso descendnnt pollice fila.»

6. *Et toto Phryxi* Beverlandi MS. *Et totam Phryxi Julia nubit ovem* cod. Florent. — *Phryxi*, etc. Vellus aureum, quale erat arietis illius quo Phryxus vectus e Bœotia in Colchos trānsfretavit. Fuit Phryxus Athamantis filius, qui qunm novercam Nepbelen, feminam impotentissimam, ferre non posset, profugit una cum Helle sorore. Abduxere secum arietem eximium anreo vellere, cujus in tergo ad trajiciendum Hellespontum, quum navis nulla suppeteret, sederunt. Helle in mare decidit et Hellesponto nomen dedit; Phryxus in Colchidem pervenit ad Æeten, Medeæ patrem : ibi arietem Marti immolavit, ejusque aureum vellus regi tradidit. Aries in sidera relatus est. — *Julia.* Titi filia, neptis Domitiani. Illa igitur Domitiani filium non poterat non, utpote sanguinem patrui, amare : sive amarit, sive oderit, hoc poeta ex decoro fingit. Seusus ergo est : Julia quasi dea, Parcarum loco tibi nascenti, natoque nebit felicia vitæ stamina et aurea fila, totumque vellus aureum, id est, meram felicitatem. Sic Virgilius, Augustum felicem fore conjiciens, ait Ecl. IV : «Ipse sed in pratis aries jam suave rubenti Murice, jam croceo mutabit vellera lnto.»

IV.

ADULATORIUM.*

Censor maxime, principumque princeps,

* *Adulatorium* lemma est in omnibus edd. *Ad Cæsarem* in codd. Vatt. Floreut. Bodl. et Beverlandi MS. «Sic (sc. *Adulatorium*) lib. X, epigr. LXXII; et lib. XII, epigr. XV. Non videtur lemma ab ipso Martiale epigrammati sno inscriptnm.» *Beverland.*

— Laudat Domitiannm, quod legem Juliam de stupris, et Scatiniam de impudicitia, et adulteris puniendis revocarit, atque histrionibus scena interdixerit; pueros castrari a mangonibus vetuerit, etc. præfertque hanc Cæsaris landem et factum, cæteris omnibns seu triumphis, seu templis.

1. *Censor maxime.* Censuram sibi assumpsit maximam. Vide Suetonium in Domitiano, cap. 8. Perpetuam dixit Dio. Domitianus revocavit legem Juliam de adulteriis puniendis, mares castrari vetuit, Vestalium impudicitiam severe coercuit; Corneliam enim virginem maximam, absolutam olim, dehinc convictam defodi imperavit: unde merito maximus censor

Quum tot jam tibi debeat triumphos,
Tot nascentia templa, tot renata,
Tot spectacula, tot Deos, tot urbes;
Plus debet tibi Roma, quod pudica est.

dicitur. — *Principumque princeps.* Romanorum enim Imperatori exterarum gentium reges tribnta solvebant.

2. *Triumphos.* Ex Dacis sc. Cattis et Sarmatis. Lib. II, epigr. II, vs. 6; et lib. V, epigr. XIX, vs. 3.

3. *Tot nascentia.* Tot nova, et ab integro ex fundamentis erecta, et tot renata seu restitnta. Snetou.cap. 5; Eutrop. lib. VII. Cassiod. Chron.

4. *Tot urbes.* Populorum quos vicit. — *Tot spectacula.* Snet. cap. 4. Vid. et lib. V, epigr. XIX. — *Tot deos,* etc. Novos deos, seipsum, patrem, fratrem et Juliam, cum antiquis, Jove Custode, Hercnle, Fortuna Rednce, Jano, etc. Xiphilin. et Sueton. Vid. lib. et epigr. iisdem.

5. *Plus debet.* Revocatis legibus quæ impudicitiam coercerent, plus meritus es de urbe Roma. Suet. in Domit. cap. 7 et 8, illas leges recenset. Vide epigr. II supra.

V.

AD CÆCILIANUM.

Rustica mercatus multis sum prædia nummis;
Mutua des centum, Cæciliane, rogo.
Nil mihi respondes? tacitum te dicere, credo,
Non reddes : ideo, Cæciliane, rogo.

1. *Rustica mercatus nummis sum prædia multis* Ald. Junt. Colin. Gryph. Pulman. Junian. Lang. etc. Nostrum ordinem servaut Gruter. Scriv. Farnab. Schrevel. *Barbou*, etc. — *Rustica prædia.* Quid sint prædia rustica et urbana diximus, lib. III, epigr. XXV. Ed.

2. *Des centum.* Millia scilicet sestertium; scilicet 15,700 francicas libras.

3. *Nil mihi respondes, tacito te,* etc. Beverlaudi MS. *Nil mihi respondes, tacitum,* etc. sine interrogatione in edd. vett. — *Nil mihi respondes?* Id est, tacite negas : nam silentinm tunm honesta denegatio est. — *Tacitum*, etc. Tacendo videris dicere me non redditurum.

4. *Ideo rogo.* Si enim essem redditurns, non rogarem, qnia non gratis dares; sed poscerem, nec precibns uterer. Mendici rogant stipem, rogant qui donnm petunt. Ed. — *Ideo*, etc. Ut non rcddam, rogo gratis et dono, non mutuo.

VI.

AD LUPERCUM.*

COMOEDI tres sunt: sed amat tua Paulla, Luperce,
Quatuor; et κωφὸν Paulla πρόσωπον amat.

* Scoptice excusat Paullam, quod amet quatuor comœdos, inquiens eam non facere præter legem dramatis. Quamvis enim in scena plures tribus simul loqui non conveniat, inducitur tamen sæpe persona quarta, quæ vel muta est, vel loqui non laborat, id est, parce loquitur. Sed mentem poetæ petat, qui volet, ex libro IX, epigrammate XXXIII, versu 3 et 4.

1. *Sed amat tua Paula Lupercos* codex Pulmanni. — *Sed amat tua.* Paullam irridens, nimium ipsius amorem in comœdos carpit, ut Juv. Sat. VI, 73; « solvitur his magno comœdi fibula; » ad demonstrandum quanta libidine in histriones arderent matronæ. Per *mutam personam* innuit a Paula omnes comœdos, quotquot sint, amari; et non solum dialogos, sed rem amatoriam expeti. Latet sane aliquid obsceni sub his verbis χωφὸν πρόσωπον, si bene intellexerim Georg. Merulam interpretantem verba pronubæ absentis, quæ audita fingit et refert Dicæopolis ad Paranymphum, in scena 4, Act. IV, Acharnensium Aristophanis. ED.

VII.

DE THELESINA.*

JULIA lex populis ex quo, Faustine, renata est,

* Codd. Thuan. et Florent. inscriptionem habent: *De Thelesilla.*

1. Codices Pulmanni, ut et Florent. et Vatic. exhibent: *ex quo, Faustine, relata est.* Ita etiam codd. Heinsii, qui vulgatam damnat in Notis ad Ovid. Fast. II, 532, quem vide ibidem. — *Julia lex.* Hujus legis capita refert eruditus Brissonius. Vocabatur autem de Adulteriis, aut de Pudicitia. Vid. Sueton. cap. 34, in Aug. Porro in ea lege sanciebatur, ut si mulier, post adulterium commissum, alteri nuberet, non posset accusari de adulterio, nisi ejus adulter antea reus fieret. Itaque adulteræ, statim relictis suis viris, alteri, interdum ipsi adultero nubebant, ut effugerent pœnas imminentes sibi a maritis, qui operam

Atque intrare domos jussa Pudicitia est;
Aut minus, aut certe non plus tricesima lux est :
Et nubit decimo jam Thelesina viro.
Quæ nubit toties, non nubit : adultera lege est.
Offendor mœcha simpliciore minus.

sæpe ludebant in accusando adultero, ita ut nonnullæ intra mensem decies nuberent, ut hæc Thelesina. —*Julia lex populis*, etc. Ex quo tempore Domitianus revocavit legem Juliam a C. Julio Cæsare Octaviano contra adulteros latam. Vide Suet. Domit. cap. 8, et supra epigramm. II et IV. Primum hoc distichon in edit. Scriveriana desideratur, consilione ipsius, an incuria typographica? hoc videtur ex lemmate, ubi Faustini mentio.

2. In edd. vett. *est* in fine deest.

3. *Aut minus*, etc. Intra mensem vel 30 dies Thelesina nupsit decies.

4. *Et nubet* legitur in codice Pulmanni.

5. *Adultera lege est.* Thelesina enim, ne adulterii accusaretur, a marito repudiata nubebat mœcho, atque conjugii nomine prætexebat adulterium. Sic erat adultera legitima, ut dictum lib. V, epigr. LXXVI, et epigr. XXII infra.

6. *Mœcha*, etc. Quæ simpliciter mœcha est, neque legem ipsasque nuptias adulterat. Lib. I, epigr. LXXXVIII, et lib. III, epigr. XLII. Tertull. Apologet. cap. 6 : « Ubi est illa felicitas matrimoniorum de moribus utique prosperata », etc.

VIII.

AD SEVERUM.

Prætores duo, quatuor Tribuni,
Septem Causidici, decem Poetæ,
Cujusdam modo nuptias petebant
A quodam sene : non moratus ille
Præconi dedit Eulogo puellam.

1. *Præcones duo* Juntina nostra in margine. — *Prætores duo*, etc. Honores ait jacere et bonas artes : in pretio esse citharœdos, choraulas, præcones, uti et queritur Juvenal. sat. III, vs. 21 et seqq.

3. *Cujusdam.* Subaudi, puellæ cui pater propinquusve erat senex. Ed.

5. *Præconi dedit*, etc. Iis enim temporibus præconum fortuna ad invidiam usque lauta; quod Martiali indignationem excitabat lib. V, epigr. LVI supra. Nil autem mirum, luxuria crescente; at olim in-

Dignum quid fatuo, Severe, fecit?

simorum et miserorum homuncionum ministerium erat. *Herald.*

6. *Dic numquid* Juntina nostra. *Dic nunquid fatue* codex Thuaneus. — *Dignum quid fatuo*, etc. Immo sapienter fecit, pro more hodierno locandarum filiarum: qui tenuioris conditionis hominibus prælatum elegit generum artis pecuniosæ. Nam tribuni et prætores tantum dignitate, causidici eloquentia valebant. Juven. sat. VII, 6. Ed.

IX.

AD LÆVINUM.*

In Pompeiano dormis, Lævine, theatro;
Et quereris, si te suscitat Oceanus?

* In hoc epigrammate exhibendo nullo modo variant, aut scripti, aut excusi.

1. *Pompeiano.* Erat illud theatrum in regione Urbis nonæ, capiebatque octoginta hominum millia. — *Dormis, Lævine*, etc. Sive, Simulas somnum, ne ejiciaris a designatore Oceano.

2. *Si te suscitat.* Dormire se fingebat Lævinus, ne ex quatuordecim subselliis ejiceretur, quum censum equestrem non haberet. Illum irridet poeta, et ludit in ambiguitate hujus verbi *suscitat*, id est, removet: alias potest significare, a somno excitat. Oceanus vero erat designator, cui curæ erat unicuique locum suum assignare, et expellere eos quibus non jus erat sedendi in equitum gradibus, de quo diximus lib. III, ep. XCV; et lib. V, ep. VIII.

X.

PETIT LATENTER A DOMITIANO PECUNIAM.

Pauca Jovem nuper quum millia forte rogarem;
Ille dabit, dixit, qui mihi templa dedit.

Τὸν Δία χιλιάδας παύρας αἰτοῦντί μοι ἀχμὴν,
Σοὶ δότω, ὅςις ἐμοὶ, φησὶν, ἔδωκε νεών.

1. *Pauca millia.* Sestertiûm nempe. Non latenter; immo aperte a Domitiano pecuniam petit Poeta.

2. *Qui mihi.* Respondet Jupiter,

Templa quidem dedit ille Jovi; sed millia nobis
  Nulla dedit : pudeat pauca rogasse Jovem.
At quam non tetricus, quam nulla nubilus ira,
  Quam placido nostras legerat ore preces!
Talis supplicibus tribuit diademata Dacis;
  Et Capitolinas itque reditque vias.
Dic precor, o nostri dic conscia virgo Tonantis;
  Si negat hoc vultu, quo solet ergo dare?
Sic ego. Sic breviter posita mihi Gorgone Pallas :

Τῷ Διῒ δῶκε νεὼν μέν· ἀτάρ μοι χιλιάδ' ἤδη
  Οὔ τινα· παῦρ' αἰτεῖν τὸν θεὸν αἰδέομαι.
Ἀλλ' ὡς ἀνέφελός τε, καὶ ὡς ἀτάρακτος ἰδέσθαι,
  Ὡς ἀδόνητος ἐμὰς πρόσθε δέδεκτο λιτάς!
Τοῖος τοῖς Δακῶν ἱκέταις διάδημα δίδωσι,
  Τὰς Καπιτωλείους τ' εἶσιν, ἄνεισιν ὁδούς.
Εἰ τοίως εἴωθ' ἀνανεύειν, πῶς ἐπινεύει;
  Εἰπὲ, θεὰ σύμβουλ' ἡμετέροιο Διός.
Εἶπα· καὶ ἡ τὴν Γοργόν' ἀφεῖσα, Τὸ μὴ δοθὲν εὐθὺς,

in cujus honorem Capitolium incendio absumptum restituit Domitianus. Vid. Suetonius in Domit. cap. 5; et lib. V, epigr. 1, vs. 8.

4. *Pudet heu, pauca* codex Pulmanni; *pudet ah, pauca* Beverlandi MS. — *Pudeat.* A magnis viris et præsertim a Superis magna petere decet; et forte, ut intelligere videtur, nihil dedit Jupiter, seu potius Cæsar, quod nihil dignum ipso petierat Martialis.

5. *At quam non tetricus.* Carmen tamen vel libellum supplicem legit vultu non minus sereno, quam quo jura victis dat, quam quo triumphat.

7. *Diademata.* Hoc est, Dacis victis concessit uti suis legibus. Lib. V, epigr. III; et infra LXXVI.

8. *Et Capitolinas.* Et talis triumphans in Capitolium ascendit.

9. *Dic precor, o nostro dic conscia virgo Tonanti* malit Ant. *de Rooy.* Nescio quam majorem elegantiam hoc loco dativus habet. Vid. Oudendorp. ad Lucanum, I, 20, et præcipue, quem ibi laudat, Heins. ad Ovidii Met. VI, 588. — *Conscia virgo.* O Pallas, familiare Domitiani numen, quam eximie colit, et cujus filium se esse vult; lib. IV, epigr. 1, vs. 5. Palladem interrogat: nam ipsum Domitianum interrogare, quare nil donarit, et inverecundiæ et impudentiæ fuisset. — *Tonantis.* Domitiani. Vide lib. V, epigr. 1.

11. *Sic ego : si breviter* Junt. an.

Quæ nondum data sunt, stulte, negata putas?

Φησὶν, ἀπελπίζεις, μωρὲ, δοθησέμεναι;

1512. *Sic ego: sic breviter posita modo* Beverlaudi MS. — *Sic ego*, etc. Sic ego quærebam, inquit Martialis: sic autem Pallas respondit. — *Posita mihi.* Personam scilicet induta mitem; ita Silius, « Jam bellica Virgo Ægide deposita », etc. vel alludit ad statuam Palladis in Capitolio positam sine ægide, ut quam Domitianus habet; lib. XIV, epigr. CLXXIX. — *Gorgone.* Scuto, cui pictura Medusei capitis inerat.

12. *Quæ nondum*, etc. Exspecta modo, dabit; neque negavit, quia non statim dedit. — *Negata putas?* Libellum supplicem exaudiet. Ed.

XI.

IN MARCUM.

Quod non sit Pylades hoc tempore, non sit Orestes,
  Miraris? Pylades, Marce, bibebat idem.
Nec melior panis turdusve dabatur Oresti;
  Sed par atque eadem cœna duobus erat.
Tu Lucrina voras; me pascit aquosa Peloris:
  Non minus ingenua est et mihi, Marce, gula.
Te Cadmea Tyros, me pinguis Gallia vestit:

1. *Quod non sit.* Caussam affert Poeta, cur nulla esset vera amicitia; quod nempe inter eos qui amici esse cuperent, nulla esset rerum communio. Vide lib. II, epigr. XLIII, et lib. III, epigr. LVIII. Pylades vero et Orestes inter se fuerunt conjunctissimi, quorum satis nota est historia.

2. *Idem* vinum atque Orestes.

3. *Nec melior rhombus* ex codd. reposuit Scriverius: alii habent, *Nec melior pavus.* Heinsius ad Ovid. Heroid. VIII, epist. 9, ex duobus veterrimis codd. legit: *Nec melior rhombus, turdusve dabatur Orestæ:* sed omnes impressi habent, *Oresti.*

5. *Tu Lucrina.* Lacus Lucrini ostrea optimi sunt saporis. Lib. III, epigr. LX. — *Aquosa Peloris.* Ostrei genus est Peloris, quam aquosam dicit, hoc est, flaccidam; nempe sine callo, sicut ait Raderus, quo multum commendantur ostrea.

6. *Non minus*, etc. Non mihi minus exacta est tenuis saporum ratio, nec minus deliciarum cupido quam tibi.

7. *Cadmea.* Lib. II, epigr. XLIII; vs. 7. — *Pinguis Gallia vestit.* Sa-

Vis te purpureum, Marce, sagatus amem?
Ut præstem Pyladen, aliquis mihi præstet Orestem.
Hoc non fit verbis, Marce : ut ameris, ama.

gum Gallicum crassioris erat villi; vide lib. IV, epigr. XIX, vs. 1. Pinguiores enim crassioresque olim vestes a textoribus Gallis. Juven. sat. IX, vs. 28 : «Pingues aliquando lacernas, munimenta togæ, duri crassique coloris, Et male percussas textoris pectine Galli Accipimus. » Has παχείας dicit Juvenalis *pingues lacernas*.

8. *Sagatus amem*. Dixit: *Me pinguis Gallia vestit*. Sagum autem Gallicum erat; quin et ipsum nomen, si credimus Isidoro : sed et Hispanicum.

10. *Marce, ut ameris, ama*. Verum præceptum, et e sapientiæ fontibus. Seneca epist. 9 : Hecaton ait : « Ego tibi monstrabo amatorium, sine medicamento, sine herba, sine ullius veneficæ carmine : Si vis amari, ama. »

XII.

DE FABULLA.

Jurat capillos esse, quos emit, suos
Fabulla : numquid, Paulle, pejerat? nego.

1. *Jurat*. Ludit in hac voce *suos*. Meum enim est quod mihi natura tribuit, vel quod ab alio emi. Lib. I, epigr. XXX; et II, XX: «Nam quod emas, possis dicere jure tuum. » Unde Fabulla nec jusjurandum, nec fidem negligebat, licet crines, non nativos, suos esse diceret.

2. Ed. antiq. Ferrar. an. 1471, Ald. Junt. Colin. Gryph. etc. *Fabulla : numquid, Paule, pejerat?* In aliis : *Fabulla : numquid ipsa, Paule, pejerat?* vel, *Fabulle : numquid illa, Paule, pejerat?* Versum, ut exhibetur edit. veteribus claudicare jam viderant Gruterus Scriverinsque, quorum hic, tanquam spurium, damnabat hoc epigramma. Supplebat tamen *nego* e duobus codicibus. « Nec incommode legeres : *Fabulla : numquid, Paule, pejerat? rogo*. Quod verbum in istiusmodi interrogatione perfrequenter addit Valerius; ut cuivis hæc epigrammata volventi centies occurret. » Aut. *de Rooy*.

XIII.

DE STATUA JULIÆ.*

Quis te Phidiaco formatam, Julia, cælo;
Vel quis Palladiæ non putet artis opus?
Candida non tacita respondet imagine Lygdos,
Et placido fulget vivus in ore liquor.
Ludit Acidalio, sed non manus aspera, nodo,

*Statuam e candidissimo marmore Domitianus Juliæ, quam impensius amabat, exædificavit, argumentum amoris, quem per cestum, Juliæ manu hærentem, declaravit, quum eo se percussum, ut olim Jupiter a Junone, et Mars a Venere significaret; illumque cestum ait Poeta, tam verum et potentem, ut videatur ab ipsius Cupidinis collo detractus, immo qui vincat eumdem; ut si Juno aut Venus cestum desideret, possit illum non jam a Cupidine, sed a Julia mutuum accipere. *Rader.* — *Ad Juliam* lemma est in codice Pulmanni.

1. *Quis te Phidiaco formavit* in codice Florentino. — *Quis te Phidiaco*, etc. Quis statuam tuam finxit tanto artificio, ut Phidiæ eximii sculptoris superasse, ipsiusque Palladis artem æquare videatur? — *Julia.* Filia Titi Imperatoris et Martiæ Furvillæ, cui impensius amatæ Domitianus patruus insignem statuam, eroticis quibusdam signis ad notandum mutuum amorem decoratam, erexit. — *Cælo.* Stylo sculptorio. De Phidia, lib. III, 35. Phidiam autem nominavit, quod plures formaverit Veneres. Julia erat tam bene effigiata ut pulchrior Venere ipsa videretur.

2. Codex Pulmanni: *non putat artis opus.*

3. *Candida non tacta* in codd. Florent. Vat. et Pulman. — *Non tacita*, etc. Ad vivum ita expressa, ut loqui videatur. — *Lygdos.* Marmor Lygdinum, e Tauro et Arabia. Epigr. XLII, vs. 21; infra.

4. Edd. Ferrar. Ald. Junt. Colin. Gryph. et aliæ: *vivus in ore decor.* Codd. Pulman. Vat. aliique: *vivus in ore liquor:* splendor scilicet resultans ex statua Juliæ, et fulgor defluus oculos præstringens. Turneb. lib. XXIII, cap. 28. — *Vivus in ore liquor.* Omnino hæc vera lectio: sed quid sibi velit, ostendit Gronovius Diatribis ad Stat. capite 24, circa finem pag. 153. Vivus liquor est succus ille et sanguis faciei qui splendet e viventi, viva, veraque facie: ille fulget in hac statua: loqui putes, et vivo succo os accendi. Turnebus, hoc vocabulo *liquor* intelligit quamdam mollitiem et teneritudinem. Claud. IV Cons. Honor. « Chlamys effluit auro »; id est, emittit aureum splendorem. Stat. Silv. I: « splendor ab alto defluus. » Ed.

5. *Ludit Alcidalio* Junt. an. 1512.

Quem rapuit collo, parve Cupido, tuo.
Ut Martis revocetur amor summique Tonantis,
A te Juno petat ceston et ipsa Venus.

— *Ludit.* Lndibunda et velnt tenera ac molli mann gerit cestum, id e. balteum amoris potentem, Cupidini ereptum, quo Martem Venus, Jovem Juno tactum ad amorem accendere fertur. Vide Gyraldi Syntag. XIII, de Venere. — *Acidalio*, etc. Venus Acidalia dicta est ab ἀκίδας, id est, curas quas injicit : vel ab Acidalio fonte in Orchomeno Bœotiæ, quo se lavare Gratiæ ferebantur. In hoc autem cingulo omnes inesse Gratias et Veneres canit Homer. Il. ξ. *Acidalius nodus* sive Cupidineus, pro cesto sumitur, quo percussura videtur Domitianum, ut amoris ignes pectore concipiat.

7. *Ut Martis renovetur* codex Florentinus; non inepte, judicio Farnabii. — *Ut Martis*, etc. Jnno et Venus tanqnam minores Deæ a te (nbi conciliatos volunt Jovem et Martem) petant cingulum hoc, quo tu incendis Domitianum Deum ac Dom. nostrum.

8. *Juno petat.* Hoc est, si Jnno Jovem sibi conciliare velit, et Venus Martem, utantur balteo quo Domitianum percussit Julia. His verbis indicat Poeta, Juliam esse pulchriorem Junone, et ipsa Venere.

XIV.

IN LABERIUM.*

Versus scribere posse te disertos
Affirmas, Laberi : quid ergo non vis?
Versus scribere qui potest disertos,
Non scribat, Laberi; virum putabo.

* Difficile Poeta affirmat ingenium excelleus artem non ostentare; nullumqne fere esse, qui quum aliqnid se scire præter cæteros putet, nolit hoc alios de se scire.

— Nihil in boc epigrammate variant libri calamo exarati, aut typis impressi.

1. *Versus scribere.* Fictum est nomen hujus Laberii : alterius vero mimorum scriptoris meminit Macrobius Saturn. lib. II, cap. 7; Suetonius in Julio, cap. 39.

4. *Virum putabo.* Hoc est, fortissimi esse animi enm putabo, qui famam nominis sui contemnat, et qui versns disertos quum possit scribere, se tamen a scribendo cohibeat. Sic Laberium carpit, qui sane a scribendo non se abstinuisset, si versus facere disertos valuisset, ut ipse jactabat.

XV.

DE FORMICA SUCCINO INCLUSA.*

Dum Phaethontea formica vagatur in umbra,
  Implicuit tenuem succina gutta feram.
Sic modo quæ fuerat vita contempta manente,
  Funeribus facta est nunc pretiosa suis.

Ὡς Φαεθοντείου μύρμηξ ἐπαλᾶτο δι' ἄλσους,
  Ἑρπετὸν ἠλέκτρου ςράγξ ἐπέδησε μικρόν.
Οὕτως ὃς πρὶν ἔην, εὖτε ζώεσκεν, ἄτιμος,
  Τῷ ἰδίῳ θανάτῳ νῦν πολύτιμος ἔφυ.

* *De Formica electro inclusa* lemma est in edd. vett.

1. *Dum Phaethontea.* Dum formica reperet sub frondibus populorum, in quas conversæ fuerunt sorores Phaethontis, in liquorem succini e populo fluentia lapsa est, quo implicita lucebat nobilem sortita tumulum. Idem argumentum est de ape, lib. IV, epigr. xxxi, et de vipera ibid. epigr. xxiv, et lix.

2. *Feram.* Vocatur *fera* animal non cicuratum : fera vero hic est formica. Ed.

4. Beverlandi MS. exhibet *nec pretiosa suis.*

XVI.

AD PRIAPUM.

Tu qui pene viros terres, et falce cinædos,
  Jugera sepositi pauca tuere loci.

1. *Tu, qui falce viros terres, et pene cinædos* legendum censet Gronovius. *Tu qui penne viros terres et falce* in edd. vett. *Tu qui pene* codex Pulmanni.—*Viros terres*, etc. Forte, nec falcem, quam manu geris, timentes; sed te custodem ἀνδροσάθη aversatos. Lib. I, epigr. xxxvi, vs. 15. Priapus ob membri virilis magnitudinem immoderatam ex Hellesponto ejectus, deinde pro Deo habitus est. Ed. — *Cinædos.* Molles, sed falcem tuam solum veritos.

2. *Jugera sepositi*, etc.. Hortum custodi, in Janiculo positum. Lib. III, epigr. lviii, vs. 47.

Sic tua non intrent veteli pomaria fures;
Sed puer, aut longis pulchra puella comis.

3. *Sic tua*, etc. Gruterus legendum censet e cod. Vulgo *Sed tua* legitur.—*Sic (Sed) tua*; jam observavimus *sic* esse formulam precationis. Vid. Brissonius.

4. *Sed puer, et longis* in codice Pulmanni. — *Puer, pulchra puella.* Qui talione luant pœnas, si intrarint hortum. — Priapum eumdem esse et Bacchum quidam putant. Ed.

XVII.

IN CINNAMUM.

Cinnam, Cinname, te jubes vocari.
Non est hic, rogo, Cinna, barbarismus?
Tu si Furius ante dictus esses,
Fur ista ratione dicereris.

1. *Cinname.* Exemplo Furii et furis allato Poeta irridet hunc Cinnamum, qui, detracta ultima sui nominis syllaba, Cinnam vocari se jubebat, ut nempe ab antiqua Cinnarum stirpe genus suum repetere videretur.

2. *Barbarismus.* Est quum verbum aliquod vitiose profertur, aut litera una caret aut abundat. Cinnamus tonsor fuit, de quo lib. VII, epigr. LXIV.

3. *Tu si Furius arte dictus esses* in codice Pulmanni.

4. *Ista ratione diceteris.* Barbara hac apocope.

XVIII.

EPITAPHIUM SALONINI, AD PRISCUM.*

Sancta Salonini terris requiescit Iberis,

* *Ad Priscum de Salonino* inscriptio est in edd. vett.

1. *Sancta Salonini.* Proprie *Sancta:* nam Manes sancti. Vide Macrobium, lib. III, cap. 3. Virgilius, Æneid. XI: «Tuque, o sanctissima conjux, Felix morte tua.» Nota etiam *felix* μακαρίτης· «et Deorum manium jura sancta sunt», apud M. Tullium, lib. II, de Legibus. Et *Sanctitas* proprie *justitia erga manes*, ut idem ait in Topicis. Recte igitur

Qua melior Stygias non videt umbra domos.
Sed lugere nefas; nam qui te, Prisce, reliquit,
Vivit, qua voluit vivere parte magis.

in gloss. *Sanctus*, ὅσιος, ἅγιος. *Herald.* — *Terris requiescit Iberis.* In Hispania.

2. *Qua melior*, etc. Qua umbra non est alia apud inferos sanctior.

3. *Sed lugere*, etc. Horat. od. 20, 21, lib. II, *Absint inani funere næniæ*, etc. quia «multa pars mei Vitabit Libitinam; Usque ego postera Crescam laude recens», ut inquit idem od. 30, lib. III. Magna quidem ejus pars est superstes, cui superest gloria ex claris factis, et ratio ex bene meritis, nominis celebritas. Sed alia hic mens Poetæ nostri et Pythagorica, φίλων σώματα μὲν δύο, ψυχὴ δὲ μία. Vivit itaque melior Salonini pars in eo quod te superstitem reliquerit, quem vel anima sua cariorem habuit.

XIX.

IN POSTHUMUM CAUSIDICUM.*

Non de vi, neque cæde, nec veneno,
Sed lis est mihi de tribus capellis.
Vicini queror has abesse furto.
Hoc judex sibi postulat probari:
Tu Cannas, Mithridaticumque bellum,

* *In Posthumum* lemma est in Ald. Junt. Colin. Gryph. etc.

1. *Non de vi*, etc. Ineptos hujusmodi et umbraticos causidicos, qui figurarum tumore et sententiarum vanissimo strepitu crepantes, nihil ex iis quæ in usu sunt, aut vident, aut loquuntur, exagitat Petronius statim ab init. Sat. Ita hic Posthumus, vel ex alia oratione (ut ait Cicero pro Roscio Amerino) quam in alium reum fuerat commentatus, hæc declamavit: vel arcessitos hos artis colores et purpureum, qui late splendeat, pannum assuit caussæ levi, quam actam oportuit de tribus capellis. Vide Lucilii epigr. lib. II, cap. 46, Antholog. unde hoc expressum. Vide et Lucianum in Ῥητόρων διδασκάλῳ.

2. *De tribus capellis.* De re levi contendebam cum adversario; et tu perinde ac si de imperio orbis ageretur, memoras gravissima bella; quasi dicat, Omitte hæc et redi in viam: gallice, *Revenons à nos moutons.* — *De tribus capellis.* Fac verba de re cujus controversia movetur, nec vana rerum alienarum a nostra causa commemoratione judices obtundas.

5. *Cannas.* Ignobilis est Apuliæ

Et perjuria Punici furoris,
Et Syllas, Mariosque, Muciosque
Magna voce sonas, manuque tota.
Jam dic, Posthume, de tribus capellis.

vicus, ad quem funditus ab Hannibale cæsi sunt Romani : quam cladem fuse et mirabiliter describit Livius. — *Mithridaticum*. Gestum a Lucullo, Sulla et Pompeio. Vid. Tullii oratio pro lege Manilia qua bellum Mithridaticum Pompeio decernendum erat.

6. *Et perjuria*. Silius Italicus de Bello Punico, lib. I, sic canit : « ter Marte sinistro Juratumque Jovi fœdus conventaque Patrum Sidonii fregere duces », etc. Omnibus vero notum civile bellum inter Syllam et Marinm, unde tota exarsit Italia.

7. *Mucios*. Porsenæ bellum intelligit, in quo Mucius Scævola manu in ignem immissa immortalem gloriam consequutus est. Lib. I, epigramm. XXII.

8. *Manuque tota*. Omni gestu et actionis viribus. Ita magno conatu magnas nugas agis.

9. *Jam dic*. Invehitur in causidicos, qui otiosorum controversias rhetorum a lite alienas proponebant, nec ad rem ipsam, hic *tres capellas*, quidquam dicebant.

XX.

IN PHŒBUM.

MUTUA te centum sestertia, Phœbe, rogavi,
Quum mihi dixisses, Exigis ergo nihil?
Inquiris, dubitas, cunctaris, meque diebus

1. *Mutua te centum*. Hic est χαρακτὴρ hominis vani, et ut aiebat Comicus, lingua factiosi, inertis opera et sublesta fide. Multi reperiuntur ejusmodi, qui non modo facile promittunt, sed sese ultro offerunt; quorum amicitiam si vis experiri, nihil invenies alienius. *Herald*.

2. *Exigis ergo nihil?* His verbis sæpius Martialem hortatus fuerat Phœbus, ut ab eo aliquid peteret: jam vero quum ille petiisset centum sestertia, et quidem mutuo, Phœbus, non ausus aperte negare, longa mora se et poetam cruciabat : itaque illum rogat Martialis, ut tandem neget, quum nihil gravius sit quam diu anxiari. Epigr. XLII infra. — *Quum mihi dixisses*, etc. Quæ est oratio hominis prompti ad beneficia conferenda. Quum ipse me sæpe hortatus fueris prius, ut aliquid a te peterem.

3. *Anquiris* in quibusdam. Cætera nulla est lectionis varietas in

Teque decem crucias : jam rogo, Phœbe, nega.

libris manu scriptis, aut prelo typographico excusis. — *Inquiris, dubitas*, etc. Sollicitus es, qualis ille inficiator ac fraudulentus solet inquirere quando vellem illa dari; dubitare, tergiversari. Ed.

4. *Nega*. Amarum est diu pendere, æquius erat mihi spem, tibi metum præcidi, quam utrumque sic trahi, sic cruciari. Vid. Seneca de Benef. lib. I, cap. 1. Epigr. xxx infra, et lib. VII, epigr. xliii.

XXI.

DE STELLA ET IANTHIDE.*

Perpetuam Stellæ dum jungit Ianthida vati
Læta Venus, dixit, Plus dare non potui.
Hæc coram domina : sed nequius illud in aurem,
Tu ne quid pecces exitiose, vide.
Sæpe ego lascivum Martem furibunda cecidi,

Τῷ Στέλλᾳ γαμετὴν ἡ Κύπρις Ἰανθίδα δοῦσα
Μεῖζον, ἔφη, δώρημ' οὐκ ἂν ἔχοις παρ' ἐμοῦ.
Τοῦτο μὲν οὖν ἀναφανδόν· ἀτὰρ τόδ' ἐς οὖς μάλα κομψόν·
Σχέτλι', ἀλιτροσύνης ἴσχεο κλεψιγάμου.
Πολλάκι χωσαμένη πληγαῖς τὸν Ἄρηα μετῆλθον,

* *De Hiantide et Stella* est lemma in Ald. Junt. Colin. Gryph. Pulman. Junian. etc. *De conjunctione Stillæ et Hiantidæ*, in cod. Thuaneo.

1. *Athlantida* codd. Vat. et Florent.—*Perpetuam Stellæ*, etc. Quum Venus Violantillam duram diu et inexorabilem jungeret tandem connubio stabili Stellæ poetæ, dixit, Cape munus, quo non potui dare majus; Papin. Sylv. I. — *Ianthida vati*. Diminutive ab Græcis, ut Violantilla a viola. — De Stella, lib. I, epigr. viii, qui Violantillam, cujus amore jam diu deperibat, duxit uxorem. Violantilla antem græce dicitur Ianthis ab ἴον, *viola*, et ἄνθος, *flos*.

3. *Sed nequius illud in aure* in codd. supr. citat. — *Coram domina*. Violantilla.

4. *Exitiosa* Bermanni MS. — *Ne quid pecces*. Amori Stellæ insultat Venus eum monens, ne Violantillæ anteponat aliam puellam. — *Tu ne pecces exitiose, vide*. Amore furens et zelotypia.

5. *Cecidi*. Cesto, de quo supra

Legitimos esset quum vagus ante toros.
Sed postquam meus est, nulla me pellice læsit,
Tam frugi Juno vellet habere Jovem.
Dixit, et arcano percussit pectora loro.
Plaga juvat : sed tu jam, Dea, cæde duos.

Ἐνθέσμων ἀνέδην ῥεμβόμενον πρὸ γάμων·
Γήμας δ' οὐδεμιῇ με παρεζήλωσε γυναικί·
Ὡιδ' εὔξαιθ' Ἥρη Ζῆνα σαόφρον' ἰδεῖν.
Ὣς φάτο· τοῦ δὲ κέαρ κρυφίῳ μαστίξατο κεςῷ.
Εἷς πληγεὶς χαίρει· τοὺς δύο τύπτε, θεά.

XIII, ut mihi Martem conciliarem. Vid. Iliad. XIV, 214; Valer. Flac. VI, 470: Torq. Tasso, XVI, st. 25.

6. *Esset vagus.* Alii, *isset vagus*, hoc est, quum antequam ipsi nuberem, mœcharetur. Legitimum Veneris maritum fuisse Martem vix reperias; sed idem hic de Venere dici posse existimo, quod Didone Virg. *Æn.* IV, 171 : « Nec jam furtivum Dido meditatur amorem, Conjugium vocat, hoc prætexit nomine culpam. » — *Vagus*, etc. Adulteriis.

8. *Vellet habere virum* codex Florentinus. — *Tam frugi*, etc. Tam continentem, thalamo suo fidelem.

9. *Arcana loro.* Hoc est, cesto, cujus arcana virtus. Ep. XIII. supr.

10. Codex Pulmanni : *jam Dea, parce Deæ.* Codd. Florent. et Vat. cum duobus aliis : *jam, Dea, parce Deo;* i. e. desine male loqui de Jove. — *Plaga juvat.* Ut illam amet. — *Sed tu jam*, etc. Ut Stella Violantillam, et hunc illa vicissim mutua amoris fide amplectatur.

XXII.

IN PROCULINAM.*

Quod nubis, Proculina, concubino,
Et mœchum modo, nunc facis maritum,
Ne lex Julia te notare possit;

* Hic nullam lectionis varietatem produnt exemplaria aut excusa, aut calamo exarata.

2. *Mœchum modo*, etc. Qui modo mœchus erat. Μοιχεύειν μὲν θέλουσι ὃν λανθάνουσι χρόνον, γαμεῖν δὲ ἃς ἐμοίχευσαν, ὅταν ἐπ' αὐταῖς ληφθῶσι. Apollonius apud Philostratum, lib. VIII.

3. *Ne lex Julia;* quæ a Domitiano

Non nubis, Proculina, sed fateris.

revocata vetabat adulteria. Epigr. II, IV et VII supra.

4. *Non nubis*, etc. Supra, epigr. VII, vs. 5; lib. V, epigr. LXXV; et lib. I, epigr. LXXV. — *Sed fateris.* Illum fuisse mœchum tibi.

XXIII.

IN LESBIAM.*

Stare jubes nostrum semper tibi, Lesbia, penem;
Crede mihi, non est mentula, quod digitus.
Tu licet et manibus, blandis et vocibus instes;
Contra te facies imperiosa tua est.

* Σύγχρονοι fuerunt Martialis et Juvenalis; acumen sæpe convenit, et vel Philo platonissat, vel Plato philonissat : uter utri acceptum ferat utriusque interpres non dico. Verum hoc epigramma vide expressum Sat. VI Juvenalis, v. 196, itidemque expositum.

3. *Tu licet et manibus blandis*, etc. interpungitur in edd. veteribus, ita ut *blandis* et *manibus* conjungantur.

4. *Contra te facies.* Tanta erat hujus Lesbiæ deformitas, ut vocibus blandis excitare Poetam nequiret, vultu repugnante.

XXIV.

DE CHARISIANO.*

Nil lascivius est Charisiano;
Saturnalibus ambulat togatus.

* *De Carisiano* inscribunt Ald. Junt. Colin. Gryph. Pulmann. Junian. Laug. etc.

1. *Nil lascivius.* Lasciviæ id esse in Charisiano jocatur, quod revera paupertatis erat : ut cui non erat vestis cœnatoria quam sumeret in Saturnalibus; ubi et Senatores et equites positis togis induebant syntheses. Vide lib. XIV, epigramm. CXLI; et Lips. I, Sat. I. Æque, inquit, lascivum est gravitatem inducere, ubi cæteri pro ritu civitatis lasciviunt, ac lascivire ubi cæteri cives gravia agunt : nam utrumque ridiculum.

XXV.

AD MARCELLINUM.*

Marcelline, boni soboles sincera parentis,
Horrida Parrhasio quem tegit ursa jugo,
Ille vetus pro te patriusque quod optat amicus,
Accipe, et hæc memori pectore vota tene:
Cauta sit ut virtus, nec te temerarius ardor
In medios enses, sævaque tela ferat.
Bella velint, Martemque ferum rationis egentes;

* Marcellinum in Dacia, tirocinia militaria ponentem, monet, ut caute fortis sit: illum nihilominus, ut Ulyssem, patriam propugnare, eique decus immortale parere posse. *Rader.*

1. *Sincera parentis.* Vera, ingenua, ingenio, moribus, pectore patrem referens; fortis forti creale: purum aurum a puro auro.

2. *Horrida.* Marcellinus iste militabat in Dacia, hodie *Moldavia*, etc. Lib. VII, epigr. LXXIX; et lib. IX, epigr. XLVI, ad eumdem Marcellinum: « Et Getici tuleris sidera pigra poli. » Strabo, lib. VII: Γέτας μὲν, τοὺς πρὸς τὸν Πόντον κεκλιμένους, καὶ πρὸς τὴν ἕω· Δάκους δὲ, τοὺς εἰς τἀναντία πρὸς Γερμανίαν, καὶ τὰς τοῦ Ἴστρου πηγὰς, οὓς οἶμαι Δαύους καλεῖσθαι τὸ παλαιόν. *Getæ qui versus Pontum et Orientem inclinant: Daci qui in diversum ad Germaniam et Istri fontes vergunt, quos puto antiquitus esse Davos appellatos.* — *Parrhasio jugo.* Hoc est, Septemtrione, nempe sub ursa quæ dicta est Parrhasia, ab Arcadiæ urbe unde erat Calisto, in ursam a Jove commutata. Vid. lib. IV, epigr. II.

3. *Quod optet amicus* Beverlandi MS. — *Ille.* Ego. — *Patrius amicus.* Fuit enim familiaris patri, cujus causa amavit filium. — Ex his verbis colligit Domitius Marcellinum fuisse Hispanum, Martialis popularem; sed potius a patre Marcellini patrius amicus fuisse mihi videtur.

4. In Beverl. *pectore nota tene.*

5. Ed. antiq. Ferrar. ann. 1471. Ald. Junt. Colin. Gryph. Junian. Lang. etc. *ne te temerarius ardor.* Nostram lectionem testatur codex Pulmanni.

7. *Rationis agentes* Juntina anni 1512. — *Bella velint, Martemque*, etc. Temere pugnent furiosi; tu caute uti fortem decet, qui *non timebit, cavebit tamen.* Seneca, epist. 85, et Arist. Eth. l. III. Habes enim in te artium ornamenta quibus togatus, non minus quam armatus, patriam cohonestare et tueri possis. « Licet eminus esse Fortibus,

Tu potes et patriæ miles, et esse decus.

Antæo nocuit temeraria virtus. »

8. *Tu potes et patris miles et esse ducis* codex Pulmanni. Vid. Turn. lib. XXV, cap. 27. *Tu potes et patriæ miles et esse ducis* Beverlandi MS. *Tu potes et patris miles et esse decus* citat *Barbou*. At Beverlandus legit, *et esse tuus*. Corruptum esse hunc locum ait Ant. *de Rooy*; et conj. *Tu poteris patriæ miles et esse secus*; i. e. *aliter*, vel, etsi non temerarius caput periculis objectes, tamen patriam fortis miles defendere poteris. — *Tu potes*. Potes patriæ esse ornamento, tempore belli et pacis; et tua salus non minorem illi gloriam et utilitatem afferet, quam mors tua. Ed.

XXVI.

DE SOTADE.

Periclitatur capite Sotades noster.
Reum putatis esse Sotadem? non est.
Arrigere desit posse Sotades: lingit.

1. *Periclitatur capite*. In judicio rei dicuntur *capite periclitari*. Sotadem λείχονα, capitis vel oris ministerio male usum, *capite periclitari* ait: qui patitur, *ore morigerari*; qui agit, *capiti illudere* rectius et ambigue dicitur. — De Sotade poeta quodam cinædo dictum lib. II, epigramm. LXXXVI.

3. *Arrigere desit posse Sotades* in codice Pulmann. — *Lingit*; ita *caput moventem capite* ait periclitari. Ed.

XXVII.

AD NEPOTEM.*

Bis vicine Nepos (nam tu quoque proxima Floræ

Δὶς σύγχορτε Νέπως ἡμῖν (σὺ γὰρ ἀγχόθι Φλώρης,

* Nepotem vicinum hortatur ad genialem vitam.

1. *Bis vicine*. Duplici modo Nepotem sibi esse vicinum dicit Poeta: primo quidem Romæ, circa templum Floræ, de qua lib. V, epigr. XXIII, 4; tum in Sabino Ficeliarum oppido, sic dicto ob ubertatem fi-

Incolis, et veteres tu quoque Ficelias),
Est tibi, quæ patria signatur imagine vultus,
Testis maternæ nata pudicitiæ.
Tu tamen annoso nimium ne parce Falerno;
Et potius plenos ære relinque cados.
Sit pia, sit locuples, sed potet filia mustum;

Ἔν τε παλαιοτάταις νάσσαο Φικελίαις)
Ἔςι σοι εἶδος ἑοῦ ἀπομαξαμένη γενετῆρος,
Μητρῴης μάρτυς σωφροσύνης, θυγάτηρ.
Μὴ σύ γε πουλυετοῦς φείδου λιαροῖο Φαλέρνου,
Μᾶλλον δ' αὖ νασοὺς κέρματι λεῖπε κάδους.
Γλευκοποτοῦσ' ἡ παῖς θρήσκῃ, καὶ πλούσιος εἴη·

corum arborum, inter quod et Nomentum Martialis prædium habuit. Sic Cluverius, Ital. lib. II, cap. 9.

2. Alii legunt, *Fregelias;* alii, *Ficedulas:* illud frigide sane et contra versum; hoc æque obscure ac *Ficelias:* rurine illæ fuerint, an in Urbe. Alii, *Ficuleas.* Vide Brod. Miscell. lib. X, cap. XXVIII.

3. *Est tibi, quæ patrii* Ald. Junt. Colin. Gryph. Pulman. Lang. Junian. Delph. Farnab. etc. *patria* Beverlandi MS. et sic Gruterus ex codd. Sed ut illius elegantia intelligatur, sciendum τὸ *vultus* esse accusativum pluralem: *signata vultus patria imagine,* id est, in vultibus signatam patriam imaginem habens. Notus hellenismus. — *Est tibi.* Procreasti filiam tibi simillimam, quæ plane refert omnibus oris lineamentis patrem, quod argumento est, esse tibi uxorem castam, et filiam hanc legitimam. *Rader.* — *Patria signatur,* etc. Sic Catullus in nuptiis Juliæ et Torquati: « Sit suo similis patri », etc. mox: « Et pudicitiam suæ matris indicet ore. » Et Horat. « Laudantur simili prole puerperæ. » Sed quis fuit Nepos? Hominem divitem esse constat ex versu sexto, quando monet ut filiæ plenos ære cados relinquat. Libentius crederem eumdem ipsum fuisse, ad quem exstat Plinii junioris epistola 26, lib. IV, ubi virum gravissimum et disertissimum appellat, et qui prætor urbanus et maximæ provinciæ præfuerit. Martialis ipse hunc, lib. X, epigramm. XLVIII, ad convivium vocat. Ed.

4. *Testis maternæ nota* Beverlandi MS.

5. *Tu tamen.* Licet habeas filiam, noli tamen nimium defraudare genium: sufficiet enim si illi cados pecunia plenos reliqueris; ipse porro bibe Falernum a multis annis reconditum. Lib. XIII, epigr. CXXVI.

7. *Mustum.* Hoc est, vinum annosum ne relinquas filiæ; sed mustum, seu vinum recens, quod ipsa leverit, et quod cum ipsa simul consenuerit.

Amphora cum domina nunc nova fiat anus.
Cæcuba non solos vindemia nutriat orbos;
Possunt et patres vivere, crede mihi.

Σὺν δ' οἱ γηράσκοι νῦν νέος ἀμφιφορεύς.
Μὴ μούνους οἶνος τρεφέτω Καίκουβος ἄπαιδας·
Ἴσθι σάφ' ὡς πατέρων ἐςὶ καὶ ἡδυπαθεῖν.

8. In eodem MS. *nunc nova fiet opus.* — *Amphora*, etc. Quo enim die, seu mas, seu femina nata, condebant vinum novum, ut cum prole cresceret suavitas, et die natali inde tantum hauriretur.

9. *Cæcuba.* Non solum iis qui liberis carent, bibere vinum Cæcubum, sed et iis qui liberos habent, liceat hilariter vivere. De vino Cæcubo videatur infra Noster lib. XIII, epigr. cxv.

XXVIII.

EPITAPHIUM GLAUCIÆ.*

Libertus Melioris ille notus,
Tota qui cecidit dolente Roma,
Cari deliciæ breves patroni,
Hoc sub marmore Glaucias humatus
Juncto Flaminiæ jacet sepulcro;
Castus moribus, innocens pudore

* *Epitaphium Glauciæ ad viatorem* inscriptio est in quibusdam velt. Lemma nostrum exhibent Ald. Junt. Colin. Gryph. aliæ.

1. *Libertus Melioris.* Vide apud Statium, Sylv. lib. II, Epicedion in Glauciam Melioris. Melior Atedius vir sane clarissimus fuit, ad quem sunt Statii *Arbor* et *Psittacus.*

3. *Breves.* Puer enim exstinctus. — *Patroni.* Melioris Atedii, qui Glauciam etiamnum infantem propter formam et ingenium manumiserat. De his cf. epigram. sequens.

5. *Juxta Flaminiæ jacet sepulchro* (i. e. *Juxta F. j. sepulchrum*), exhibet margini adscriptum Juntina nostra: mendose. Juxta Flaminiam viam Romanos suos mortuos sepelire solitos esse, bene notum est. Forte: *Hoc sub marmore Glaucias humatus. Juxta Flaminiam jacet sepulcro Castus*, etc. — *Flaminiæ.* Viæ nempe extra Urbem, de qua lib. IV, LXIV, et IX, LVIII.

6. In Ald. Junt. Colin. Gryph.

Velox ingenio, decore felix.
Bis senis modo messibus peractis
Vix unum puer applicabat annum.
Qui fles talia, nil fleas, viator.

Plant. Junian. Pulman. Lang. Delph. aliis, *integer pudore:* in codice Florent. *innocens pudore;* quod reposuerunt Gruterus, Scriverius, Farnabius, Schrevelius, *Barbou*, et recentt.

7. *Velox ingenia.* Homerum enim recitabat et alios poetas, stupentibus omnibus. Vid. Stat. loco cit.

8. In edd. vett. *mensibus peractis.* « E vet. eod. fide *messibus* reponi debet, ut ostendat decimum tertium ætatis annum vix attigisse. Id colligi potest e Statii verbis in Glauciæ Epicedio, ubi canit: « O ubi venturæ spes non longinqua juventæ. » Et paulo post, ubi puerum Homeri utrumque opus recitasse, stupentibus parentibus et magistris ait; quæ res in bimum puerum non cadit. *Pulman.* — *Messibus.* Hoc est, annis. Quidam male legunt, *mensibus;* nam quod ingenium bimulo?

9. *Vix unum*, etc. Prope erat tredecennis.

10. *Ni fles talia* cod. Pulmanni. — *Qui fles talia*, etc. Qui Glauciæ fatum immaturum atque Melioris miseram orbitatem defles, sis precor felix, neque habeas ex tuo quod fleas; ut lib. X, epigr. LXI.

XXIX.

DE EODEM.

Non de plebe domus, nec avaræ verna catastæ,
Sed domini sancto dignus amore puer,
Munera quum posset nondum sentire patroni,

1. *Non de plebe domus.* Non pars Niliaeæ plebis aut Alexandrinæ, non e familia plebeia; vel, non e grege atque turba domesticorum servorum. Sic lib. VIII, epigr. LI, 18.—*Avaræ.* Avarorum mangonum quibus hinc quæstus. — *Verna*, etc. Nec es verna venalitius, ita natus domi, ut venum in catasta cum reliquis servis exponerere; sed ita natus, ut merito a Meliore amarere. Statius, « Non te barbaricæ versabat turba catastæ. » Lib. I, epigr. XLII, vs. 2. — *Catastæ.* Pegmatis lignei, quo venales exponebantur servi; a καταστάναι. Vel ut Raderus exponit: Est machina lignea, longaque compedis forma, servis credo venalitiis injecta: unde dicti ipsi servi *catasti.*

3. *Munia cum posset nondum p'stare patrona* Juntina nostra mar-

Glaucia libertus jam Melioris erat.
Moribus hoc formæque datum, quis blandior illo?
Aut quis Apollineo pulchrior ore fuit?
Immodicis brevis est ætas, et rara senectus.
Quidquid amas, cupias non placuisse nimis.

gini adscriptum exhibet. — *Munera*, etc. Infans enim manumissus est. Vide et epigr. præced. vers. 3.

6. *Aut quis.* Hoc est, Quis, vel etiam formosus ut Apollo, fuit pulchrior Glaucia?

7. *Immodicis brevis est*, etc. Pulcherrima quæque brevis ævi sunt. Præcox indoles immaturi plerumque fati; τὰ γὰρ περισσὰ σώματα πίπτειν βαρείας πρὸς θεῶν δυσπραξίας, ἔφραχ' ὁ μάντις. Calchas scilicet referente nuncio Sophocleo in Ajace μαστιγοφ. ex opinione impia, Deos invidere eximiæ et enormiori gloriæ; hinc et fascini adhibiti, sputum, salivæ aliæque res turpiculæ, quibus gloriam temperari, arcerique invidiam credebant — *Immodicis brevis est.* Hæc fuit antiquorum sententia, immodicis et humanam sortem quacunque in re superantibus hominibus invidere Deos; et inde fieri, ne inter nos diurnent. Quare dicebat Cato Censorius : « Senilem juventam prematuræ mortis esse signum. » Plin. lib. VII, cap. 51. Optabant igitur ne quid nimis placeret, ut præcipit hic Martialis; et nimiam laudationem nocere existimabant. Quidam enim prodiderunt esse homines nimia laudatione effascinantes; vide A. Gell. lib. IX, cap. 4. Hic proprie *fascinum*. Unde *Præfiscine* dixere, ad avertendum fascinum. Notus Virgilii locus, Ecl. VIII, 27 : « Baccare frontem Cingite, ne vati noceat mala lingua futuro. » Notet. *mala lingua* ; nam *fascinum* a fando, inquit Festus. At Cloatius Verrius quasi βάσκανον dictum autumat, et commode sane et condecenter, ait Gell. lib. VI, cap. 12. Cæterum tota illa opinio ex eo fluxit, quod opinabantur Deos invidere *enormiori gloriæ*, ut ait Tertullianus. Invidiam autem istam ita metuebant, ut eam quocunque modo placare conarentur ; et idcirco res turpiculas puerorum collo appendebant, bonæ scævæ causa, ut notat Varro in libris de lingua lat. Quo sane videtur allusisse Plautus in Milite glorioso, act. V, scen. I, vs. 5 : « Enim jamdudum gestio mœcho hoc abdomen adimere, Ut faciam quasi puero in collo pendeant crepundia. » Et in suis ædibus hæc προβάσκαντα (Mutonia appellat γλωσσογράφος) habebant. Plutarch. et Pollux. *Herald.*

8. *Non placuisse nimis.* Ne cito pereat, teque jactura cruciet.

XXX.

IN PÆTUM.

Sex sestertia si statim dedisses,
Quum dixti mihi, Sume, tolle, dono;
Deberem tibi, Pæte, pro ducentis.
At nunc quum dederis diu moratus,
Post septem, puto, vel novem Kalendas,
Vis dicam tibi veriora veris?
Sex sestertia, Pæte, perdidisti.

1. *Sex sestertia.* Sensus est : Si mihi tantum donasses sex sestertia, quum pollicitus es, deberem tibi tantas gratias, quantas solverem, si donasses ducenta. Nunc quia sero admodum et vix tandem, quod promisisti largitus es, amisisti omnem gratiam : quæ enim tarda est, minimum pretium habet. En.

3. *Deberem tibi.* Gratiam aut fœnus pro ducentis sestertiis, id est, pro ducentis millibus sestertium. *Rader.* — *Pro ducentis.* Ac si donasses mihi ducenta sestertia; nam quod exponunt, *sex ratione fœnoris ducentorum*, non placet.

4. *At nunc quum dederis diu rogatus* codex Florentinus.

5. *Kalendas.* Menses.

7. *Perdidisti.* Fere enim nulla est gratia tarde concessa : at vero bis dat, qui cito dat. Alciat. Embl. 162, de Gratiis. Lucian. Mimus Publius. Sen. de Benef. II, 1 et 5. Vid. epigr. XX supra, et lib. VII, epigr. XLII, in Cinnam.

XXXI.

IN CHARIDEMUM.*

Uxorem, Charideme, tuam scis ipse, sinisque
A medico futui : vis sine febre mori.

* In hoc epigrammate exhibendo nullo modo variant aut calamo scripti libri, aut typis impressi.

2. *Vis sine febre mori.* Valetudinis forte gratia vigilanti stertis naso, et sic medicum palpas, ut in Juven. sat. 1, 56, qui sursum spectans, ad ea quæ humi peraguntur

non attendit. Horat. III, od. VI, 29; « jussa non sine conscio surgit marito. » Cf. Plutarch. in erotico, p. m. 1352. Ed.—*Vis mori sine febre*: i. e. nunquam vis ægrotare, propterea conduxisti medicum eo munere; vel intellige Charidemum metuisse, ne uxor amore medici capta ægrotaret, atque idcirco permisisse, ut ab eo subagitaretur.

XXXII.

DE MORTE OTHONIS.

Quum dubitaret adhuc belli civilis Enyo,
 Forsitan et posset vincere mollis Otho;
Damnavit multo staturum sanguine Martem,
 Et fodit certa pectora nuda manu.
Sit Cato, dum vivit, sane vel Cæsare major;
 Dum moritur, numquid major Othone fuit?

1. *Civilis eripo* in codice Vat. — *Quum dubitaret*. Enyo, id est, Bellona, Martis soror, quum adhuc dubitaret, cui victoriam concederet, an Vitellio an Othoni. Vide Suetonium in Othone; et Spect. epigr. XXIV, vs. 3.

2. *Forsitan an possit* Beverlandi MS. — *Posset vincere*. Neque enim se Galbæ opposuisset, nisi sperasset sine bello civili rem geri potuisse; atque ubi jam a Vitellianis ad Bebriacum fraude superato, satis superesset spei, integræque fere copiæ, supervenientibus et aliis; odio tamen civilium armorum, et ne periret populus, se pugione transfodit. Sueton. Dion. et Tacit. Hist. II. — *Mollis Otho*. De mollitie ejus, Sueton. cap. 12; et Juven. Sat. II, vs. 102.

3. *Damnavit multo saturum jam sanguine* Ald. Junt. Colin. Gryph. Lang. Junian. etc. *Damnavit multo saturatum sanguine* in cod. Florent. et Vat. *staturum* probat Farnabius; *stare* enim pro *constare* dixit lib. III, epigramm. LXXIV, vs. 8. — *Damnavit*, etc. Civilia bella exosum Othonem, etiam privatum adhuc, refert Suet. cap. 10. Sed pulcherrime apud Dionem loquitur Otho, quum inquit: « Multo melius est, multoque justius unum pro multis, quam pro uno multos interire. Ego quidem Mutius esse malim, aut Curtius, quam Marius, quam Sylla, etc. » Alii, *laturum jam*: ego *staturum* probo.

4. *Effodit certa pectora tota manu* Beverlandi MS. Uno se trajecit ictu infra lævam papillam. Tacitus *unum vulnus* repertum ait. Ed.

5. *Vel Cæsare major*. Quo vel victore majorem se et meliorem affirmavit Cato, pugnans pro republica.

6. *Major Othone fuit?* Minor certe. Cato enim rebus fractis et

desperatis, Otho salvis jam et integris; ille tædio, hic odio belli civilis se interfecit. Vitam mollem forti morte cohonestavit. *Alii* (inquit Tacitus) *diutius imperium tenuerunt, nemo tam fortiter reliquit.* Dio : « Regnavit Otho dies nonaginta, quumque pessime omnium vixisset, mortuus est honestissime, et imperium, quod cum magno scelere invaserat, cum maxima virtute deposuit. » *Rader.*

XXXIII.

IN SABELLUM.*

Nil miserabilius, Matho, pædicone Sabello
Vidisti, quo nil lætius ante fuit.
Furta, fugæ, mortes servorum, incendia, luctus
Affligunt hominem : tam miser, et futuit!

* *Ad Mathonem* lemma est hujus epigrammatis in codice Pulmanni.

1. *Sabello.* De quo lib. III, ep. XCVIII. Vide et lib. II, epigr. LI. Misere deperibat pueros Sabellus, sed dilapidato patrimonio coactus est amare mulieres; qua de causa nil Sabello miserabilius esse dicit Poeta: quum τὸ *miserabilius* videatur referri ad bonorum jacturam, quam passus erat premente miseria Sabellus.

4. *Affligunt hominem, tam miser?* in edd. vett. Vide Turneb. lib. XXV, cap. 27. — *Tam miser, et futuit!* Et miseria miseriarum hæc est, quod amissis fuga et morte pueris, detrusus est ad mulieres. Scoptice.

XXXIV.

AD DIADUMENUM.

Basia da nobis, Diadumene, pressa : Quot, inquis?
Oceani fluctus me numerare jubes;

1. *Quot inquit?* Langius aliique. — *Basia da nobis.* De Diadumeno jam actum lib. III, epigr. LXIV, et lib. V, epigr. XLVII.

2. *Oceani fluctus.* Vid. Theocrit. χαρίσιν; Philipp. Epigrammatarius. Eupolis: ἀριθμεῖν θεατὰς ψαμμακοσίους. Hæc similitudo frequenter occurrit. Fortasse autem hæc Martialis verba ab illa superstitione, qua numerum fascino obnoxium existimarunt. *Herald.*

Et Maris Ægæi sparsas per littora conchas,
Et quæ Cecropio monte vagantur apes;
Quæque sonant pleno vocesque manusque theatro,
Quum populus subiti Cæsaris ora videt.
Nolo quot arguto dedit exorata Catullo
Lesbia : pauca cupit, qui numerare potest.

4. 5. Si per codd. liceret, præferret Ant. *de Rooy : Et quot Cecropio monte vagantur* (vel *vagentur*) *apes; Quotque sonant* (vel *sonent*) *pleno*, etc. Ovidiana repetione τοῦ *quot*. Art. Am. II, 517 sqq. III, 149; Trist. V, 1, 31, et V, 2, 23. — *Et quæ Cecropio*. Hymettum intellige, de quo Pausanias in Atticis : Ὑμηττὸς φύει νομὰς μελίτταις ἐπιτηδειοτάτας : *Hymettus pastiones habet apibus aptissimas*. Cecropius vero dicitur, id est, Atticus.

5. *Pleno vocesque manusque theatro*. Plausu enim et faustis acclamationibus excipiebantur in spectaculis Imperatores. Et his acclamationibus Imperatori felicitatem comprecabantur. Nota τὸ Ῥωμαίοις σύνηθες εὐτυχίαν ἐπευχομένων. Nam vox erat *feliciter*. Aliis etiam blanditiis onerabantur. Vide Tertull. lib. de Spectaculis, cap. 25; Phædr. V, fab. I, 3; Sueton. in Augusto et in Domitiano; Plutarch. in Othone. Ed.

6. *Quum populus*, etc. Ubi plausu et faustis acclamationibus excipitur in spectaculis Cæsar.

7. *Nolo quot*. Lege Catulli Carm. v, 7, ad Lesbiam : « Da mi basia mille, deinde centum, Dein mille altera, dein secunda centum, etc. » Hæc vero basia, utpote numerabilia, pauca esse existimat Noster.

8. *Pauca cupit*, etc. « Pauperis est numerare pecus », et Horat. *numerabilis, utpote parvus*, epist. ad Pisones, 206. Theocr. loc. cit. Ed.

XXXV.

AD CÆCILIANUM.*

Septem clepsydras magna tibi voce petenti

*In molestum caussidicum, quem inter dicendum bibentem, ut vires revocaret, horasque orando expleret, poeta monet, ut si velit bibere, exhauriat aquam clepsydræ; id est, ut cito finiat orationem, qua occidebat auditores. *Rad.*

1. *Septem clepsydras*. Clepsydra, e κλέπτω furari, et ὕδωρ aqua, quod furatur oculis aquam stillantem, seu hydrologium : aquarium est horologium. Vasculum quippe erat aut ex vitro, aut ex alia materia, per quod graciliter fistulatum aqua inclusa guttatim defluens metiebatur tempus. Nam orantibus in foro

Arbiter invitus, Cæciliane, dedit.
At tu multa diu dicis : vitreisque tepentem
Ampullis potas semisupinus aquam.

ex more Atheniensium præscriptum erat tempus : attamen sæpe liberæ erant actiones, nec ad certum tempus dicere jubebantur patroni. Quantum vero temporis dimensa fuerit una clepsydra, mihi compertum non est. Sunt qui singulas horas singulis clepsydris definiant, in qua sententia est Calderinus : alii clepsydræ, mediam horam; alii tribus clepsydris horam tribuunt. Plinius Junior lib. II, epist. 11, sic de clepsydra : « Dixi, inquit, horis pæne quinque : nam decem clepsydris quas spatiosissimas acceperam, sunt additæ quatuor. » Nisi hic locus varie legeretur, rem definiret; etenim alii legunt pro decem clepsydris, viginti, alii duodecim, alii tribus : tandem pro longo temporis spatio septem clepsydras hic posuit poeta. Vid. Plin. VI, epist. 2 ; Budæum in Paudect. pag. 371. Dabantur clepsydræ a judicibus, ut hinc etiam manifestum est, et plures defendenti quam accusanti. Vid. Plin. lib. IV, epist. 9, § 9; unde fiebat aliquando ut oratores elaboratas suas orationes, et multarum pretio noctium æstimatas recitare non possent. M. Antoninus, imp. et philosophus, clepsydras oratoribus liberaliter dedit. Lucianus in Ἀλιεῦσι simpliciter ὕδωρ pro clepsydra ponit. Inventa res est a Græcis, et tandem Romam in tertio Pompeii consulatu translata. Sed quæ supra retulimus, verba Plinii junioris ostendunt, non omnes ejusdem fuisse magnitudinis. Videatis notas nostri Plinii vol. I, p. 65, 99, 219 et 328. De forma clepsydræ non consentiunt Vitruvius; Apuleius lib. III Miles. Catanæus et Claudius Minos ad loc. citat. Plinii; Beroaldus ad secund. Tuscul. Suidas in voc. χλέψυδρα. Cælius Rhod. lib. XVIII, cap. 19; Christoph. Clavius, lib. I, Gnom. p. I: et alii. Tamen, quod credo, clepsydris consimilia sunt nostro tempore vascula illa vitrea usu notissima, quæ in medio instar duorum turbinum coarctantur; ex quibus pulvisculus per foramen minutissimum sensim ex parte superiore in inferiorem delabitur, atque ita variis conversionibus, ultro citroque commeando, legitimum horæ tempus metitur. Ed. — *Magna tibi voce petenti.* Tanquam gratiam tibi faceret judex longum dicendi spatium concedendo.

2. *Arbiter.* Judex, electus ab utraque parte, qui litem amice componat. Ed.

3. *Vitreisque.* Nonnunquam autem comedisse et bibisse oratores in ipsa actione, disce a Quintiliano lib. XI, cap. ultimo : « Bibere, inquit, aut etiam esse inter agendum, quod multis moris fuit, et est quibusdam, ab oratore meo procul absit, etc. » — *Tepentem.* Mora egelidam. An a sole vel igne calidam? quam supino ore bibis ad vocem et vires reficiendas, simulque ut tempus protrahas.

4. *Ampullis potas semisopitus* Beverlandi MS. — *Semisupinus.* Ex-

Ut tandem saties vocemque sitimque; rogamus,
Jam de clepsydra, Cæciliane, bibas.

primit gestum bibentis, et ampullam exhaurientis, quum caput supinant, ut ii, qui amphoras totas siccant. *Rader.*

5. *Ut tandem saties*, etc. Et exhausta tandem clepsydra finias, tuæque voci ac nostris auribus parcas : aqua enim exhausta . silere cogebatur orator. Vide Turneb. lib. XXV, cap. 27.

XXXVI.

AD PAPILUM.*

Mentula tam magna est, tantus tibi, Papile, nasus,
Ut possis, quoties arrigis, olfacere.

* *Ad Pamphilum* inscribitur hoc epigramma in codice Pulmanni.

— Tricubitales et ad omne ministerium instrumentales nasos emungunt aliquanto honestius epigrammatistæ Græci. Antholog. lib. II, cap. 23.

1. *Pamphile* in eodem Pulmanni cod. — *Tantus tibi.* Irridet nasum, atque ingentem Papili mutonem.

XXXVII.

IN CHARINUM.*

Secti podicis usque ad umbilicum
Nullas reliquias habet Charinus;
Et prurit tamen usque ad umbilicum.
O quanta scabie miser laborat!
Culum non habet, est tamen cinædus.

* Hic nulla est lectionis varietas in exemplaribus impressis, aut manuscriptis.

3. *Et prurit.* Catamito tamen diffisso et inutili sævit circa jecur ulcerosum prurigo turpitudinis. De Charino jam dictum, lib. I, epigramm. LXXVIII.

XXXVIII.

DE FILIO REGULI.*

Aspicis, ut parvus, nec adhuc trieteride plena
  Regulus auditum laudet et ipse patrem?
Maternosque sinus viso genitore relinquat,
  Et patrias laudes sentiat esse suas?
Jam clamor, centumque viri, densumque coronæ
  Vulgus, et infanti Julia tecta placent.

Οὐχ ὁράας ὡς παῖς, μόλις ὢν τριέτηρος, ἐπαινεῖ
  Τὸν πατέρα ζηλῶν Ῥήγυλος εὐεπίης;
Μητρός τ' ἐξανέδυ κόλπων, γενετῆρος ἀκούων,
  Ὡς εὐημερίης ὢν μέτοχος πατρικῆς;
Ὁ κρότος οἱ, λαῶν τε πανήγυρις, οἵ τε δικασταὶ
  Εὔαδον, αἰθούσης τ' ὄχλος Ἰουλιάδος.

* Laudat filium Reguli oratoris, faustaque eidem ominatur, quod tamen votnm inane fuit.

1. *Parvus.* Filiolus Reguli. De quo vide Plin. lib. IV, epist. II. — *Nec adhuc trieteride plena.* Nondnm trimulus : ἀπὸ τοῦ τριετοῦς trieteris, spatium 3 aunorum, et festum Baccho sacrum, propter expeditionem ad Indos triennio exactam.

2. In quibusdam, *laudat et ipse*: cod. Pulmanni. Ald. Junt. Colin. Gryph. aliæ, *laudet et ipse.* — *Regulus.* Filius scil. infans jam lætabatur, quum orantem in foro patrem audiret. Vide Plinium Juniorem in vol. I, p. 204 nostræ edit. ubi describit mortem hujus pueri. En.

3. *Maternosque sinus.* Avidus sc. patris audiendi, negligit matrem; velut jam tum ætatem ingenio præcurrens, nucibus relictis, majora spectaret.

4. *Sentiat suas?* In se derivari: vel hæredem non bonorum, sed landum etiam et virtutum. *Rad.*

5. *Densumque corona* Ald. Junt. Colin. Gryph. etc. — *Centumque viri*, etc. Cansæ actæ coram centumviris, qui tamen erant 105, qunm ex 35 tribuum singulis terni eligerentur ad judicandum de hæreditatibus, usucapionibns, tntelis, nexis, etc. de quibns Cic. de Orat. lib. I. Vide Tacit. Dialog. de Oratorib. et Plin. lib. II, epist. XIV, et VI, 33; quibus elegantiores et splendidiores nullas legerim. En. — *Coronæ.* Tribunalia circumstantis populi.

6. *Julia trita* codex Florentinus.

Acris equi soboles magno sic pulvere gaudet;
Sic vitulus molli prælia fronte cupit.
Di, servate, precor, matri sua vota, patrique;
Audiat ut natum Regulus, illa duos.

Εὐρυπέδῳ χαίρει ςαδίῳ γόνος ἵππου ἐῆος,
Ἔς τε μάχην ὀργᾷν μόσχος ὄρουσ' ἄκερως.
Παῖδα, θεοὶ, σώζοιτε γονεῖ, καὶ μητρί· λέγοντος
Χαίροι ὁ μὲν τέκνοι', ἡ δὲ συναμφοτέρων.

Julia templa malit Ant. *de Rooy*, ut apud Ovid. Pont. IV, 5, 21. Stat. Sylv. I, 1, 31. At et *tecta* de superbis ædibus dici notum est. Consule Broukh. ad Tibull. III, 3, 3. — *Julia tecta.* Julia Basilica, Julii Cæs. templum in foro, in quo cogebantur C. virorum quatuor concilia ad caussas de testamentis audiendas. Vide Plin. lib. V, epist. XXI; et lib. VI, epist. XXXIII. Vide et Jani Parrhasii epist. LVII. — *Placent.* Reguli filio placent actiones apud Centumviros; quasi et ipse jam cuperet insistere vestigia patris.

7. *Acris equi soboles*, etc. Alludit ad Horat. IV, Od. 4, 29: « Fortes creantur fortibus. Est in juvencis, est in equis patrum virtus, etc. »

8. *Molli fronte.* Ἀκέρως, nondum cornutus. — Sic Claudian. de IV Consul. Honor. « Sic pascua parvus Vindicat, et necdum firmatis cornibus audax, Jam regit armentum vitulus. »

9. *Di, servate.* Solennis antiquorum bene precandi formula.

10. *Natum.* Filium, paternæ eloquentiæ æmulum. — *Duos.* Maritum et filium, aliquando causas agentem audiat mater. Irritum autem hoc fecerunt Parcæ votum.

XXXIX.

IN CINNAM.*

Pater ex Marulla, Cinna, factus es septem,
Non liberorum : namque nec tuus quisquam,

* Adulteria uxoris Marullæ, jocando commemorat Cinnæ : nam Cinna habebatur pater septem liberorum, quum nullum procreasset : simul sordes adulteriorum accusat, quod mulier sectetur moriones, pistores, servos, palæstritas.

1. *Pater ex Marulla.* Marulla servorum amore debacchata, non *liberos*, sed servos tibi sine te septem genuit. Ed.

2. *Non libertorum* Ald. Junt. Co-

Nec est amici, filiusve vicini;
Sed in grabatis tegetibusque concepti
Materna produnt capitibus suis furta.
Hic, qui retorto crine Maurus incedit,
Sobolem fatetur esse se coci Santræ.
At ille sima nare, turgidis labris,
Ipsa est imago Pannici palæstritæ.
Pistoris esse tertium quis ignorat,
Quicumque lippum novit, et videt Damam?
Quartus cinæda fronte, candido vultu,
Ex concubino natus est tibi Lygdo;
Percide, si vis, filium; nefas non est.

lin. Male, et contra metrum. Ed.

3. Beverlandi MS. *filius nec vicini;* male et metro repugnans. Ed.

4. *Sed in grabatis*, etc. Sed a servis tibi geniti, vel in *grabatis* quæ humiliorum servorum lecti sunt: vel super *tegetibus*, mattis, quas lupæ, ut servi, pro lectis habent. Juv. sat. VI, vs. 118: «...Dormire virum quum senserat uxor, Ausa Palatino tegetem præferre cubili, etc.» Sed nonne allusit poeta eruditissimus ad dictum Diogenis canis, qui περὶ παιδὸς πεπορνευκότος ἐρωτηθεὶς πόθεν εἴη, τεγιάτης, ἔφη. Nempe τεγεάτης ibi a τέγος, quod et τέγεος; quo verbo *lupanar* aliquando significari alibi ostendimus.

5. *Furta.* Adulteria clam perpetrata. Virg. Georg. IV, 346, «Martis dulcia *furta;*» et Æneid. VI, 24, «suppostaque *furto* Pasiphaë;» Tibull. I, 2, 24, «Celari vult sua *furta* Venus;» Ovid. Metam. II, 423, Fast. II, 183, Amor. II, 8, 3; Sil. Ital. VII, 485. Ed.

6. *Retorto crine.* Nam Æthiopes et Mauri οὐλότριχες. Vide Arist. lib. V, de Gener. Animal. cap. 3. Martial. de Spect. III, 10: «Atque aliter tortis crinibus Æthiopes.» Tales proprie qui prope Nilum habitabant: quod observat Diod. Siculus lib. III. — *Maurus incedit.* Maurum referens. Vid. de Spect. ep. III, vs. 7.

7. *Cogisantræ* pro *coci Santræ* Ald. Junt. Colin. Gryph. Plant. Junian. Pulman. Lang. Delph. etc. *Cosigrantæ* Beverlandi MS. — *Coci Santræ (Cogisantræ).* Servi Mauri.

9. *Pannichi* Beverlandi MS. — *Palæstritæ.* Qui familiam ad palæstram ungit atque exercet. Lib. III, epigr. LVII et LXXXII.

11. *Quæcunque lupum* in eodem MS. *Dammum* in edd. vett. — *Et videt Damam.* Tertius enim filius lippus genitus erat a pistore Dama, qui et ipse ab igne lippus erat.

12. *Cinæda.* Impudica.

13. *Concubino.* Catamito tuo.

14. *Præcide* ed. antiq. Ferrar. an. 1471. Ald. Junt. Colin. Gryph. Plant. Junian. Pulman. Lang. Farnab. Delph. aliæ. Lectionem nostram testatur codex Florentinus.

Hunc vero acuto capite, et auribus longis,
Quæ sic moventur, ut solent asellorum,
Quis morionis filium neget Cyrrhæ?
Duæ sorores, illa nigra, et hæc rufa,
Croti choraulæ, villicique sunt Carpi.
Jamque hybridarum grex tibi foret plenus,
Si spado Coresus, Dindymusque non esset?

Sæpissime permntantur *per* et *præ* in compositione. Vide quæ diximus ad lib. II, epigr. LXXII, v. 3, vol. I, pag. 241. — *Nefas non est.* Est enim concubini tni filius, non tuus.

16. *Quæ sic moventur*, etc. Rarum hoc : nam vere scribit Arist. lib. I, de Hist. Animal. cap. 11 : « Hominem solnm esse anribus immotis inter animalia : verum accidere aliquando, nt violata pæne naturæ lege, quibusdam aures moveantur. » *Herald.* — *Ut solent asellorum.* Hos nt plurimum stolidos ac fatuos esse tradunt physiognomici; ita ut hunc tanquam morionis filium snbsannat Martialis.

17. *Quis morionis filium neget Gyrrhæ* Ald. Junt. Colin. Gryph. Pulmann. Lang. Delph. etc. *Gyrrhæ* legunt alii. — *Morio* dicebatur, qni mentis stoliditate et deformitate vultus risum movebat ; Græce μωρὸς, stultus. Moriones sunt fatui, *les fous*, quos in deliciis principum haberi videmns. Ed.

19. *Choraulæ.* Lib. V, ep. LVI.

20. *Jam vernularum* codex Vaticanus, et sic Bodleianus in margine. *Jam mobidarum* codex Florentinus. *Jam Niobidarum* codd. quidam, teste Calderino, nt referas ad numerum filiorum Niobes; sed placet prior scriptura. Beverlandus legi jubet : *Jamque Ombridarum grex*, etc. et nos mittit ad Scalig. Varr. p. 201. Ex observatione Scaligeri l. c. *Umbri, Imbri, Ibri, Ibridæ* apud Veteres spurii vocati sunt, nt Græcis dicti ὀμβρίκαλοι. *Ombridarum* igitur, quod hic fingit Beverlandus, idem erit ac *hybridarum*. Quid autem opus erat Martiali antiqunm et obsoletum, si modo unquam exstitit, præ usitato et notiore obtrudere? — *Hybridarum.* Hybrida est fœtus ex imparibus parentibus, nt canis ex venatico et gregario, gallice *métis* ; ut ex apro et sue; sic filios ex matre ingenua et patre servo natos hybribas vocat, quos jam lib. I, epigr. LXXXV appellavit *equites vernas*. Vide lib. VIII, epigr. XXII et I, epigr. XLII, vs. 2. Hybrida est etiam, qui mixto variarum linguarum sermone utitur, nt peregrini solent. Ed. — *Grex plenus*; ut Musarum, e nnmero novenario, qui Pythagoreis nnmerus perfectissimus, nempe ab impari unitate primo qnadratus, tribusque constans ternariis.

21. *Si spado Coreusus* Ald. Junt. Colin. Gryph. *Si spado Corculus* Plant. Jnnian. Pulman. Lang. et Delph. *Si spado choredus* codex Florent. — *Spado Coresus*, etc. Qui testibus evulsis ad impraegnandum impotens est, coit tamen. J. C. Scal. Exercit. 275.

XL.

AD LYCORIM.*

Foemina præferri potuit tibi nulla, Lycori;
Præferri Glyceræ fœmina nulla potest.
Hæc erit hoc, quod tu : tu non potes esse, quod hæc est.
Tempora quid faciunt! hanc volo, te volui.

* *Ad Lycorim, anum ex formosa* lemma est in Beverlandi MS.

— Glyceræ Martialis, quam cupit, postponit, Lycorim etsi bellissimam, quia hæc ipsi dedit sui copiam, et jam anus facta. Ed.

1. *Tibi nulla, Lycori.* Quondam juveni.

2. *Glyceræ fœmina*, etc. Jam in flore ipso ætatis et formæ. Ed.

3. *Sed non potes esse* in Beverl. MS. — *Hæc erit hoc.* Glycera erit anus, ut Lycoris, vivat modo. — *Tu non potes esse*, etc. Tu Lycoris non potes esse puella, ut Glycera.

4. *Tempora quo* in eodem MS.

XLI.

IN RAUCUM POETAM.*

Qui recitat lana fauces et colla revinctus,
Hic se posse loqui, posse tacere negat.

* *In raucum poetam colla lana tegentem* inscribitur in quibusdam. —Ravi laborans poeta quispiam, focale ad fauces et guttur servandum adhibebat. Martialis absurdum ejus factum a contrariis et pugnantibus notat. Tu, quia fauces obligas, ostendis te raucum esse, non posse loqui; idem tamen, quum raucus ascendis et recitas, negas te posse tacere. Nec tacere ergo, nec loqui nosti. De more autem fauces fasciis aut velleribus laneis obligandi, vid. lib. XIV, epigramma CXLII; lib. IV, epigramma XLI. Aul. Gell. lib. I, cap. 15, de inani loquacitate : «Epicharmium quoque illud non inscite se habet : Οὐ λέγειν δεινὸς, ἀλλὰ σιγᾷν ἀδύνατος. Ex quo profecto sumptum est : qui cum loqui non posset, tacere non poterat.

1. *Qui recitat lauro fauces et tempora vinctus* Beverlandi MS. *fauces et tempora vincta* codex Bodl. et alius Oxon. ap. Farnab.

2. In quibusdam, teste Farnabio, *nosse tacere;* sed in Bodl. aliisque, *posse tacere.*

XLII.

DE ETRUSCI THERMIS, AD OPPIANUM.*

Etrusci nisi thermulis lavaris,
Illotus morieris, Oppiane.
Nullæ sic tibi blandientur undæ :
Nec fontes Aponi rudes puellis,
Non mollis Sinuessa, fervidique
Fluctus Passeris, aut superbus Anxur,

* *De Hetrusci thermis* est lemma in Ald. Junt. Colin. Gryph. aliis. — A morbo Oppiani sumit occasionem laudandarum Etrusci thermarum, quas lib. I. Silvarum Papinius eleganter describit : Romæ erant in ipsa urbe. Oppianum autem poetam sua opinione, non poetam Martialis judicio, in his thermis luem morbi abstersurum dicit, aut illotum moriturum. Oppianus enim, ut lib. VII leges, pallidus affectabat poesin, eo solum nomine quod palleret : pallent enim ob studium boni poetæ. Sed Oppianus naturæ vitio laborabat, non alio.

1. In editt. supra citat. *laveris*. Pulmanni codex, *lavaris*.—*Etrusci*, etc. Claudii Etrusci balneis. — *Lavaris;* uteris Thermarum illarum aquis.

2. *Illotus morieris*. Neque enim aliæ thermæ labes tuas et malum colorem (lib. VII, epigr. IV) eluere valent. Vel ludit in homonymia τοῦ *illotus*, ut opponatur *lauto;* id est, sordidus, liberali. Mortui vero lavabantur aqua calida, unde joci occasio. *Herald.*

4. *Aponi*. Patavio vicini, hodie *Abano*, quem celebrat Claudianus Carm. XLIX; at inter varia miracula mirificis versibus descripta, non refert causam, cur isti fontes *puellis rudes* dicantur, i. e. intacti puellis. Scribit enim Theodoricus rex esse in aquis Aponi stupendam quamdam continentiæ disciplinam : nam in undam, qua viri reficiuntur, si mulier descendat, incenditur, et calore exuritur. Vide Cassiodor. lib. II, epist. 39; et Cluver. Ital. lib. I, cap. 18. Vel ad verecundiam forte Patavinarum respexit. Vide lib. XI, epigr. XVI; et Plin. lib. I, epist. XIV. — *Aponus* Græca vox, sine labore seu tormento, sine cura, vel horrore; remedia facilia et vitam ægris porrigit. Ed.

5. *Mollis Sinuessa*. Urbs Campaniæ maritima, ad radices montis Marsici, hodie, ut aiunt, *Rocca di Mondragone*. Tacitus, Annal. XII de Claudio : «Refovendis viribus mollitie cæli, et salubritate aquarum Sinuessam perrexit.» Lib. XI, epigramm. VII, vs. 12. Ed.

6. *Fluctus Passeris*. Aquæ blandissimæ in Campania ad mare inferum, ut putant interpretes. De

Non Phœbi vada, principesque Baiæ.
Nusquam tam nitidum micat serenum;
Lux ipsa est ibi longior, diesque
Nullo tardius a loco recedit.
Illic Taygeti virent metalla,
Et certant vario decore saxa,
Quæ Phryx, et Libys altius cecidit,
Siccos pinguis Onyx anhelat æstus,

his nihil reperi. — *Anxur.* Hodie, *Terracina*, lib. V, epigr. 1, vs. 6; et Horat. lib. I, sat. v, 26.

7. Codex Vaticanus, *principisve*, i. e. Domitiani. — *Phœbi vada.* Cumanum litus intelligunt interpretes, ubi nempe celebre fuit Apollinis templum, Virgil. Æn. VI. Cluverius, Italiæ lib. II, cap. 2, intelligit aquas Apollinares calidas, et nobilissimas, olim *Cæretanas* dictas, juxta Cære Etruriæ oppidum. — *Principesque Baiæ;* inter salubres tenent principatum aquæ Baianæ.

8. *Nusquam tam nitidum vacat* Beverlandi MS. cum nonnullis edd. vett. *micat* servant Ald. Junt. Colin. Gryph. Plant. Junian. Pulmann. Lang. Delph. etc. — *Nitidum micat serenum.* Statius, I, Silv. 5, 45: « Multus ubique dies, radiis ubi culmina totis Perforat, utque alio sol improbus uritur æstu. » *Rader.*

9. *Diesque.* Et nullus est Italiæ locus ubi dies tardius desinat, quia semper hic est purum et innube cælum. Ed.

10. Post hunc versum locum habet decimus quartus, *Siccos pinguis Onyx*, etc. in ed. antiq. Ferrar. an. 1471. Ald. Junt. Colin. Gryph. Plant. Junian. Calderin. Pulman. Lang. et Delph. Nostrum ordinem servant Gruter. Scriver. Farnab. Schrevel. *Barbou*, etc.

11. *Tajeti vigent* Beverlandi MS. — *Taygeti metalla.* Marmor viride ex Taygeto monte Laconiæ, nunc dicto, *Portes*, prope Spartam et Amyclas. Catachresis, *metalla*, pro lapide.

12. *Certant.* Marmor Sinadicum e Phrygia purpurei coloris certat marmori Nomadico e Libya flavo. — *Vario decore.* Colorum varietate certant marmora.

13. *Quæ Phryx*, etc. Hoc est, ex Phrygia atque ex Libya. — *Altius cecidit.* E terra, seu lapicidina. Vel propter moles marmorum majores.

14. Hunc versum, ut exstat in edd. vett. transpositum esse notavit Cagnerius, qui in antiquo codice eum post duodecimum legerat insertum. — *Onyx anhelat æstus.* Onychinum marmor (de quo Plin. lib. XXXVI, cap. VII) æstu sicco anhelat, sudat tamen. Sensus est, ut vult, Raderus: Onyx pinguis seu sudans, anhelat æstus siccos, id est, solem; perinde ac si hominis more æstu balnearum laboret? nec aliud dicit, quam in thermis Etrusci, etiam inter alia marmora reperiri Onychem. Alias gemma, et vas etiam ungentarium dicitur. Ony-

Et flamma tenui calent Ophitæ.
Ritus si placeant tibi Laconum,
Contentus potes arido vapore,
Cruda Virgine Martiave mergi;
Quæ tam candida, tam serena lucet,
Ut nullas ibi suspiceris undas,
Et credas vacuam nitere Lygdon.
Non attendis, et aure me supina,
Jamdudum quasi negligenter audis.
Illotus morieris, Oppiane.

chem tamen in his thermis fuisse negat Papinius loco supra citato : « Mœret onyx longe, queriturque exclusus ophites. » — *Siccos æstus.* Nempe similes radiis solis.

15. *Flamma tenui.* Vapore temperato. — *Ophitæ.* Marmor maculis distinctum instar serpentis. Ab ὄφις.

16. *Ritus si placeant*, etc. Sudare sicca cella, frigida lavare, etc. ut sq. Vide Mercurial. lib. I, cap. 10; et Plin. lib. II, epist. XVII; et lib. VI, epist. V. — *Ritus si placeant.* Quos explicat ipse poeta versibus sequentibus : hoc est, si placet sudare sicca cella, frigida vero lavare. De aqua *Virgine*, sic dicta quod fluens in Urbem declinaret a rivo Herculis, jam dictum lib. V, epigr. XX, de qua Plinius lib. XXXI, cap. 3, et ibidem de aqua *Murtia*, ab Anco Martio rege, deinde a Q. Martio prætore in Urbem invecta, ut aiunt interpretes. Vid. Cels. lib. II, c. 17, Vitruv. lib. V, c. 10; Plin. epist. II, 17, et VI, 5.

18. *Martiave* codex Florentinus. — *Cruda.* Frigida, gelida. Nam a sudatione, frigida se mergebant Lacones, quibus calida omnino erat interdicta, frigida quotidiana. Vide Plutarch. lib. de Institut. Laconicis. Tum porro aquam frigidam vocant *crudam Virginem.*

21. *Lygdon.* Locus nempe erat in Tauro monte, ubi marmor candidissimum.

22. *Aure supina.* Contra, aure prona. Sic Tacit. « *Obtrectatio et livor pronis auribus accipiuntur.* » Quasi dicat : Tu Oppiane, mihi non auscultans, salutaria monenti, morieris illotus. Nam si te non capiunt thermæ Etrusci, nullæ capient : jam salubres enim sunt, ut illæ solæ, vel nullæ te curare possint. *Rader.* Vide lib. V, epigr. LXXVII, vs. 2. Auris supina significat vel animi aversionem, vel habitum prope dormientis, qui caput in humeros inclinat, et negligentiam pigritiamque ostendit. ED.

XLIII.

AD CASTRICUM.*

Dum tibi felices indulgent, Castrice, Baiæ;
Canaque sulfureis Nympha natatur aquis;
Me Nomentani confirmant otia ruris,
Et casa jugeribus non onerosa suis.
Hic mihi Baiani soles, mollisque Lucrinus;
Hic vestræ mihi sunt, Castrice, divitiæ.
Quondam laudatas quocumque libebat ad undas
Currere, nec longas pertimuisse vias;

* Castricus Baias petiverat: Martialis ait, sibi Baiarum loco esse suam villam Nomentanam, dum se penitus a morbo recreet: ægrum enim hunc fuisse, e verbis tertii versus intelligas.

1. *Cum tibi* Beverlandi MS. — *Felices indulgent*, etc. Nobiles aquis, amœnæ, salubres, tibi liberaliter suas delicias largiuntur; vel, more poetico, tu Baiarum fontibus indulges et lavaris. Ed.

2. *Canaque sulphureis unda natatur aquis*. Non omnino spernendum quod margini adscriptum exhibet Juntina nostra: *Canaque sulphureis Nympha juvatur aquis.* — *Canaque*. Sensus est: Natas in aqua cana, quia sulfurea; et Nympham posuit pro fonte, seu aqua; vel ob reverentiam numinis aquarum cani. Adde quod aquis præerant Nymphæ; et Veteres aquam ipsam vocant *nympham*, quam nos mutata prima littera *lympham* dicimus. Ed.

3. *Confirmant*. Ex hoc verbo licet colligere Martialem fuisse ægrotum, atque tunc incepisse convalescere in agro suo Nomentano non procul ab Urbe, de quo lib. II, ep. xxxviii.

4. *Non onerosa*. Hoc est, pro modo, et ratione fundi ædificata, nec nimis magna, nec parva nimis.

5. *Hoc mihi* codd. Thuan. et Vat. — *Hic mihi Baiani soles*. Non ultra Nomentanum agrum quæro balnea et delicias (legerim itaque *deliciæ* pro *divitiæ* in sq. versu) quas olim Baiis et in lacu Lucrino quærere solebam.

6. *Hoc mihi sunt vestræ* codex Thuaneus. *Hic nostræ mihi sunt* in aliis. De permutatione *nostræ* et *vestræ* in membranis antiquis vide nos ad Catull. LXVII, 7, 18; Tibull. III, 4, 4; et IV, 2, 24. Pro *divitiæ* Farnabius legerit *deliciæ*, quæ duo vocab. sæpe confusa a librariis. — *Divitiæ*. Lautitiæ Baiarum et luxus.

7. Codex Pulmanni, *quacunque libebat*. — *Laudatas*, etc. Baias. Lucrinum lacum, Tiburtinam, Martiam, etc. Lib. IV, epigr. lx.

8. *Nec pertimuisse vias*. Olim mihi

Nunc Urbi vicina juvant, facilesque recessus,
Et satis est, pigro si licet esse mihi.

satis virium erat ad perlustranda quæque loca salubritate fontium amœna, quantumcumque inter se dissita forent, nunc, etc. Ed.

9. *Nunc urbis* codex Florent. — *Nunc Urbi vicina juvant.* Me ætate provectiorem, invalidum, et pigrum juvant vicina. — *Facilesque recessus*, i. e. suburbani, et quasi ad manum.

10. Beverlandi MS. *pigro et licet esse mihi.* Juntina nostra in margine : *pigrum si licet esse mihi ;* male. Vide quæ congessit Heins. ad hunc versum Ovid. Heroid. epist. xiv, 64 : « Quo mibi commisso non licet esse piam » ; ubi optt. codd. habent, *piæ*. Cfr. notas edit. nost. Ovid. T. I, p. 253. Ed.—*Et satis est.* Sufficit, si mihi liceat otiosam vitam agere.

XLIV.

IN CALLIODORUM.

Festive credis te, Calliodore, jocari,
Et solum multo permaduisse sale.
Omnibus arrides, dicteria dicis in omnes;
Sic te convivam posse placere putas.
At si ego non belle, sed vere dixero quiddam;
Nemo propinabit, Calliodore, tibi.

2. *Te solum* Schrevel. an. 1670. — *Permaduisse.* Putas te solum esse facetum et jucundum divitibus, quorum cœnam captas, et madidum imbutumque salibus et leporibus.

3. Beverlandi MS. *dicteria ducis in omnes.*

4. *Sic te convivam*, etc. Et dicteriis instructus tanquam facetus scurra mensas alienas petis.

5. *At si ego nunc vellem tibi vere dicere* in codice Pulmanni. — *At si ego*, etc. At si non salse, sed vere dixero quiddam, id est, te esse impuri oris φοινικίζοντα, nemo te ad craterem suum invitabit. Vide lib. II, epigr. xv.

6. *Nemo propinabit.* Propter oris tui impuritatem nemo tibi suum poculum tradet in quo bibas ; id est, nemo te invitabit ad cœnam. Qui propinabant alii aliis, vulgo ex eodem scypho bibebant.

XLV.

IN NUPTIAS LYGDI ET LECTORIÆ.*

Lusistis, satis est; lascivi nubite cunni;
Permissa est vobis non nisi casta Venus.
Hæc est casta Venus? nubit Lectoria Lygdo;
Turpior uxor erit, quam modo mœcha fuit.

* Lemma in edd. vett. est, *Ad Lectoriam:* in aliis, *Ad Lætoriam;* vel, *In Nuptias Lygdi et Lætoriæ.*

1. *Lusistis.* Legem Juliam, qua adulteria prohibebantur, revocaverat Domitianus, epigr. VII supra. Juvenal. Sat. II, 32: «qui tunc leges revocarat amaras Omnibus, atque ipsis Veneri Martique timendas.» Ergo mœcha Lectoria coacta est nubere concubino Lygdo. Epigr. XXXIX supra, vs. 13: «Ex concubino natus est tibi Lygdo.»

2. *Permissa est vobis non nisi casta Venus.* Verba hæc edicti legis Juliæ. Supra epigramm. VII, vs. 1.

3. Schrevel. an. 1670, cum aliis, *nubit Lætoria Lygdo.* — *Satis est... nubite.* Tu mœcha, et tu mollis concubine, satis est nequitiarum; inite matrimonium; sic jubet lex quæ prohibet adulteria: sic duo adulteri conjungentur. Et quid, si Lygdus erat spado, ut Domitius ait? tunc majori jure indignaretur Juven. Sat. I, 22; «quum tener uxorem ducat spado.»

4. *Turpior.* Nupta enim concubino adulterium fateri videbatur. Epigr. XXII supra.

XLVI.

AD CATIANUM.*

Vapulat assiduo Veneti quadriga flagello,

* Ex quatuor aurigarum factionibus Veneta Domitiano erat invisa, eademque grata quondam Vitellio. Aurigæ itaque Venetæ factionis insultat poeta, ironice collaudans eum quod assiduo conamine moliretur, nec tamen metam contingeret victor. Lucillius, lib. II, Antholog. cap. 23, pigrum cujusdam equum comparat Durateo illi Trojano.

1. *Vapulat.* Quidam auriga ex Venetorum factione equos quadrijugos assidue verberabat, nec ta-

Nec currit: magnam rem, Catiane, facit.

men illi properabant: illum irridet Poeta, quasi magnam rem faciat, qui quum equos verberibus disrumpat, non currant tamen; vel qui cum tali quadriga audeat venire in certamen. Erant autem quatuor factiones; Venetorum nempe, qui cæruleum ferebant, cælo et mari sacri: Prasinorum, qui viridem, terræ seu veri et floribus dicati: Russatorum, qui igni, et Marti: Alborum, qui albos viridi mixtos gerebant pannos. Sic Raderus. Plura vide apud Bulengerum, cap. 48; et Panvinium, de lud. Circ. lib. I, cap. 10. Ed.

2. Beverlandi MS. *magnam rem, Catiane, facis.* — *Magnam rem facit.* Εἰρωνικῶς. Nempe, qui quum tantopere vapulet, non currat tamen; nec temere facit, si placere Domitiano voluerit. Ed.

XLVII.

AD IANTHIDA NYMPHAM.*

Nympha, mei Stellæ quæ fonte domestica puro
Laberis, et domini gemmea tecta subis;
Sive Numæ conjux Triviæ te misit ab antro,

* *Ad Hiantide Nympham* inscribitur in edd. vett. Ita nympham aquæ vocat ab uxore Stellæ. Epigr. XXI supra, vs. 1 et 2.

— Occasionem captat laudandi fontis Stellæ. Æger poeta furtim hauserat aquam ex fonte Stellæ, quæ ut sibi non noceret, vovit Ianthidi porcam. Hic se votum ait solvere, porroque rogat, ut securus fontem illum Ianthidos bibat. Ianthida enim vocat aquam ab uxore Stellæ. *Rad.*

1. *Nympha meo Stellæ* in codice Pulmanni. *Nympha Atellanæ* in codd. Vat. et Florent. — *Nympha.* Numen fontis, lympha, aqua. — *Domestica.* Intra parietes.

2. *Domini.* Stellæ. — *Gemmea tecta subis.* E vario marmore nitentia, ac si gemmea forent.

3. Codex Vaticanus: *Trebiæ te misit ab amne.* Florent. *Triviæ te misit ab amne.* Codex Thuan. *Tribiæ te misit ab antris.* In aliis *ab ancro*, vel, *ab ancris.* In quibusdam: *Trivia te misit ad Annam.* Turneb. lib. XXIII, cap. 27, emendat; *Trivia te misit ab Anna;* et intelligit Dianam cultam Ariciæ ab Anna Peranna. Et sic Calderini codex antiquus. Janus Rutgersius legi vult: *Tyria te misit ab Anna*, quæ Didus Tyriæ fuit soror. « *Sive Numæ conjux Triviæ te misit ab Anna:* ita viri eruditi jampridem emendarunt, quum antea legeretur *antro*, vel *amne* quomodo libri etiam nonnulli, quos

Sive Camœnarum de grege nona venis;
Exsolvit votis hac se tibi virgine porca
Marcus, furtivam quod bibit æger aquam.
Tu contenta meo jam crimine, gaudia fontis
Da secura tui : sit mihi sana sitis.

inspeximus. Sed quid est *Triviæ Anna?* certe nemus illud ad Tyberim non longe ab Urbe situm erat, et ex Janiculo spectari poterat, ut Martialis nos docet. Alterum erat in agro Lavinio ad Numicium flumen. Sic et Egeria duplici loco colebatur : nam et Camœnarum nemus illi sacrum erat prope urbem, et Aricinæ quoque Dianæ sacris accensebatur. *Triviæ* igitur Egeria potest dici, *Anna* non potest. Codex Rottendorphii : *Tibiæ te misit ab Annæ.* Lege meo periculo : *Sive Numæ conjux Tyria te misit ab Anna.* Intelligit aquæductibus fontem hunc derivatum fuisse ex Numicio, qui est in Laviniensi agro, per nemus Egeriæ. » Ita Heinsius ad Ovid. Fast. III, 675. — *Sive Numæ conjux.* Ægeria nempe de qua Florus in Numa. Ovid. Fast. III, agit de fonte Ægeriæ : « Ægeria est, quæ præbet aquas, Dea grata Camœnis : Illa Numæ conjux, consiliumque fuit. » Sive e specu nymphæ Egeriæ, quæ uxor Numæ in valle Dianæ Aricinæ, sive ex fonte Musarum, quibus amica Egeria, vel (ut quidam volunt) una e Musis.—*Triviæ*, etc. Alii cum Turnebo intelligunt Dianam Ariciæ cultam ab Anna Peranna. Vide lib. IV, epigr. LXIV, vs. 17; de Trivia, vid. lib. IX, epigr. LXV; Spect. lib. epigr. I.

4. *Sive Camœnarum.* Hoc est, seu laberis ex fonte Musarum, vel seu venis una ex novem Musis. Egeriam nonnulli unam ex Musis existimarunt. Dion. Halic. asserit, « id omnibus esse manifestum. » Liv. lib. I, ait lucum cum fonte et specu Musis consecratum. Poeta ergo dubitat, an Musæ vel Egeriæ fons sit ex antro Egeriæ in ædes Stellæ ductus.

5. *Exsolvit.* Huic Nymphæ, seu huic fonti vota nuncupaverat Martialis, se nempe porcam intactam immolaturum, quod ægrotus furtim bibisset aquam ex illo fonte. Horatius, III, od. 13, hædum immolat fonti Bandusiæ.

6. *Furtivam*, etc. Cur furtivam maluit quam ab amico donatam? an ex superstitione? an quia dulcior aqua furtiva?

7. *Tu contenta modo lacrymantia* codd. Florent. et Val. — *Gaudia fontis.* Hoc est : Tu, o Nympha jam secura, meo scilicet scelere expiato, fac mihi copiam salubrium tuarum aquarum. Vel forte *secura* refer ad *gaudia.*

8. *Sit mihi sana sitis.* Jam a morbo recreatus nunc ita sitiam, ut olim æger sitiebam. Veteres inter pocula certam precandi formulam, et præsertim vocabulum *bene* usurpabant. Plaut. in Persa; Liv. XIX; Terent. Ovid. Tibull. et Persius, Sat. IV. Sic nos propinando dicimus; *A votre santé*, sint pocula *sana* tibi.

XLVIII.

IN POMPONIUM.*

Quod tam grande sophos clamat tibi turba togata;
Non tu, Pomponi, cœna diserta tua est.

Σοὶ ὅτ' ἄϋε, Σοφῶς, τηβεννοφόρων χορὸς ἀνδρῶν,
Οὐ σύγε, Πομπώνη, δεῖπνα δέ σου λόγια.

* In hoc epigrammate nil variant codd. aut libri impressi.

1. *Grande sophos.* De hac exclamatione egimus lib. I, epigr. IV, 7. Versus suos coram amicis ad cœnam vocatis recitare solebant Veteres. Poeta hunc Pomponium irridet, qui non laudaretur ob versus, sed propter cœnam lautam. Sic Persius, sat. I, 54: « Calidum scis ponere sumen, Scis comitem horridulum trita donare lacerna. » — *Turba togata.* Laudicœnæ, et σοφοκλεῖς qui in recitationibus solent ἐπισημήνασθαι· Ὀρθῶς, Σοφῶς, etc. in Theophrast. Charact. περὶ κολακείας.

2. *Cœna diserta tua est.* Suffragia hæc et acclamationes a blandientibus, et cœna vel trita veste corruptis, exagitat Horat. sub fine epistolæ ad Pisones; et Plinius, quem vide de hujus rei origine, modo, fœditate, lib. I, epist. XIV.

XLIX.

DE SE PRIAPUS.*

Non sum de fragili dolatus ulmo;
Nec quæ stat rigida supina vena,
De ligno mihi quolibet columna est,
Sed viva generata de cupresso;
Quæ nec sæcula centies peracta,

* *De Priapo* inscript. in edd. vett.

1. *Non sum.* De Priapo hortorum custode actum lib. I, epigr. XXXVI, vs. 15; lib. III, epigr. LVIII, vs. 47; et epigr. XVI supra.

2. *Vena.* Σάθη.

3. *Columna.* Ob immensam crassitudinem.

4. *Sed viva.* Vitalitatis cupressi rationem addit duobus versibus sequentibus. Vide epigr. LXXIII infra, vs. 7: *perpetua, numquam moritura.*

Nec longæ cariem timet senectæ.
Hanc tu, quisquis es, o malus, timeto;
Nam si vel minimos manu rapaci
Hoc de palmite læseris racemos;
Nascetur, licet hoc velis negare,
Inserta tibi ficus a cupresso.

6. *Nec cariem timet senectæ*. Et verum : nam proprium est illud lignorum resina imbutorum, ut longæ annorum seriei resistant. Ed.

7, 8. *Hanc, tu quisquis es, o malus, timeto, Hanc : si vel minimos*, etc. Juntina nostra in margine, ex quodam cod. haud dubie; hæc etenim verba, *Hanc* et *Nam*, sæpe in codicibus permutantur. — *Malus*. Fur.

9. Heins. ad Ovid. Art. Am. III, 703, putat omnino scribendum *legeris*; non *læseris*; quod tamen editos ac manu exaratos, quos vidit, codices omnes occupavit.

10. *Nascetur*. Tibi inseretur vena mea cupressea, quæ ficum producet. Epigr. XVI supra. Ed.

L.

DE THELESINO.*

Quum coleret puros pauper Thelesinus amicos,
Errabat gelida sordidus in togula.
Obscœnos postquam cœpit curare cinædos,

* *In Thelesinum ad Bithynicum* Beverlandi MS.

1. Gruterus legit *amores*, probante Farnabio.—*Quum coleret puros*, etc. Sensus est : Nihil consequutus est Thelesinus, dum coluit amicos castos; at vero dives factus est, statim ac coluit homines turpes, infames cinædos, quorum libidinis conscius fuit. Juven. Sat. III, 49 : « Quis nunc diligitur nisi conscius, etc »

2. *Gelida in togula*. Errabat, nescius quid faceret, ut meliore conditione frueretur, hunc et illum visens, in togula gelida, quia trita longo usu. Ed.

3. *Obscœnos ex quo* Beverlandi MS. *servare* pro *curare*, codex Pulmanni. Gruterus, ex uno codice, *servare*, quod sit *observare*, *colere*, θεραπεύειν. Ego quidem scio hoc esse *curare* : lib. X, ep. XVIII : « Turba tamen non deest, sterilem quæ curet amicum. » Plin. lib. I, epist. V : « Nec me præterit esse Regulum δυσκαθαίρετον. Est enim locuples, factiosus, curatur a multis, timetur a pluribus. » Sed non *servare* hoc sensu pro *observare* nusquam legi.

Argentum, mensas, prædia solus emit.
Vis fieri dives, Bithynice? conscius esto.
Nil tibi, vel minimum, basia pura dabunt.

Meliores ergo codd. qui habent, *curare*. Gronov. — *Curare*. Sallust. « Quum quæstor C. Urbinus, aliique cognita voluntate, eum ad cœnam iuvitaverant, ultra Romanorum, et mortalium etiam morem curabant. » Colere hoc sensu commune.

4. *Argentum*. Vel cælatum, vel purum.

5. *Conscius esto*. Scelerum alienorum et impuritatis. Juven. Sat. III, vs. 51 : « nil conferet unqnam, Qui te participem secreti fecit honesti. » Ed.

LI.

AD LUPERCUM.

Quod convivaris sine me tam sæpe, Luperce,
Inveni, noceam qua ratione tibi.
Irascar, licet usque voces, mittasque, rogesque.
Quid facies? inquis : Quid faciam? veniam.

1. *Quod convivaris*. Carpit Lupercum, qui raro eum ad cœnam invitaret.

3. *Irascor licet* in quibusdam.

4. *Veniam*. Exspectarat ex præcedentibus Lupercus dicturum Poetam se vocatum non venturum. Respondet autem ἀπροσδοκήτως se venturum. Quod male urit avarum convivatorem.

LII.

EPITAPHIUM PANTAGATHI TONSORIS.*

Hoc jacet in tumulo raptus puerilibus annis
Pantagathus, domini cura, dolorque sui,

* *Epitaphium Pantagathi* lemma est in quibusdam vett.
— Pantagathi pueri servi et tonsoris expediti et facilis, tumulus.

2. *Pantagathus*. Raptus fato immaturo, amor nempe domini dum viveret, dolor vero ex quo mortuus. Ipsius forte Poetæ fuit servus.

Vix tangente vagos ferro resecare capillos
Doctus, et hirsutas excoluisse genas.
Sis licet, ut debes, Tellus placata, levisque;
Artificis levior non potes esse manu.

3. *Vis tangente.* Junt. ann. 1512. — *Vix tangente*, etc. Propter facilem et levem in tondendo radendoque manum, tu sis illi levis, o terra. Vid. lib. V, epigr. XXXIV, vs. 9 et 10.

5. *Sis licet imposito tellus* codex Pulmanni. *Sis licet inde sibi tellus* Ald. Junt. Colin. Gryph. Plant. Junian. Lang. Delph. etc. barbare, judicio Farnabii. Nostram lectionem testantur codd. Florent. et Thuan. *Sis licet, ut debes.*

6. *Artificis levior.* Quamvis, o tellus, Pantagatho sis levissima, facilitatem tamen Pantagathi vincere non potes; nec potes tam levis esse pondere, quam levis et facilis illius manus fuit, quum tonderet capillos, vel barbam; vix enim tangi ferro videbantur. Ed.

LIII.

DE ANDRAGORA.*

Lotus nobiscum est, hilaris cœnavit; et idem
Inventus mane est mortuus Andragoras.
Tam subitæ mortis causam, Faustine, requiris?
In somnis medicum viderat Hermocratem.

Λούσας δειπνήσας τε παρ' ἡμῖν γηθόσυνος κῆρ,
Αὐτὸς κεῖτο θανὼν ὄρθριος Ἀνδραγόρας·
Αἴτιον αἰφνιδίου θανάτου, Φαυστῖν', ἐρεείνεις;
Ἦ ὄναρ ἰητρόν ῥ' εἴσιδεν Ἑρμοκράτην.

* Hic nulla lectionis varietas est in libris manu exaratis, aut excusis.

4. *In somnis*, etc. Perniciosum mehercule medicum! cujus imago vel per somnium visa, faceret ad mortem. Quid ipse fecisset arte sua inerti? Habes ejusdem ingenii epigramma Græc. Anth. lib. II, c. 21. Ἑρμογένη τὸν ἰατρὸν, etc. Lucillii, et Nicarchi Οὔτ' ἔκλυσεν, ubi ait mortem obiisse ad solum medici Phidonis nomen.

LIV.

DE SEXTILIANO.*

TANTOS, et tantas si dicere Sextilianum,
Aule, vetes; junget vix tria verba miser.
Quid sibi vult? inquis: dicam, quid suspicer esse;
Tantos, et tantas Sextilianus amat.

* Neque in hoc epigrammate quidquam variant codd. aut libri impressi.

4. *Tantos.* Prægrandes draucos. —*Tantas;* scilicet eorum mentulas. De illo lib. I, epigr. XII, et XXVII.

LV.

IN CORACINUM.*

QUOD semper casiaque, cinnamoque,
Et nido niger alitis superbæ
Fragras plumbea Nicerotiana,

* In olentem et infamem, et nimiis notabilem deliciis est epigramma. Quicumque enim hircum olet, variis pigmentis compescit vel gravem animam, vel corporis vitium; quibus odoribus haud eget nihil olens et purus. *Rader.*

1. *Casiaque, cinnamoque.* Synecdoch. pro quovis aromate: sunt frutices odoris suavissimi; de casia vide Persii Sat. VI, vs. 36. ED.

2. *Nido niger*, etc. Unctus thure quod æque ac cinnamomum et casiam in nidum congerit Phœnix, atque inde dicentitur. Plin. l. X, c. 2, et l. XII, c. 19, refert, negatque. Thus ergo intelligit, quod cinnamo adjunctum delicatis fragrantiam ministravit. Sidonius lib. II, epist. 13. « Hinc suffita cinnamo ac thure cœnatio spargeret peregrinos naribus odores. » —*Alitis superbæ.* Phœnicis, lib. V, epigr. VII, vs. 1.

3. *Flagras Plumbea Nicerotiana* legit Salmasius. *Fragras plumbea Niceroniana* habent Ald. Junt. Colin. Gryph. Lang. etc. Nostram lectionem exhibet codex Pulmanni; et sic etiam legit Turneb. lib. XXV, cap. 27. —*Fragras* semper *Plumbea Nicerotiana.* Redoles unguenta a Nicerote (lib. X, epigr. XXXVIII, et lib. XII, epigr. LXV) aromatopola confecta, et in vasis plumbeis cocta

Rides nos, Coracine, nil olentes;
Malo, quam bene olere, nil olere.

in umbra, ut docet Plin. lib. XIII, cap. 2. At alii referunt ad sagittas plumbeas, quibus cinnamomum ex Phœnicis nido decussum tradit Aristot. lib. VI, de Nat. Animalium, cap. 13 : Papin. Sylv. II. *Phariæque exempla volucri Cinnama.* Vide Turneb. Advers. lib. XXV, c. 27.

5. *Nil olere.* Cur malit nihil olere, explicuit Poeta lib. II, ep. XII. « Hoc mihi suspectum est, quod oles bene, Posthume, semper : Posthume, non bene olet qui bene semper olet. »

LVI.

IN CHARIDEMUM.

Quod tibi crura rigent setis, et pectora villis;
Verba putas famæ te, Charideme, dare.
Exstirpa, mihi crede, pilos de corpore toto,
Teque pilare tuas testificare nates.
Quæ ratio est? inquis : scis multos dicere multa.
Fac pædicari te, Charideme, putent.

1. *Quod tibi crura*, etc. Crura et pectus hispida setosaque præ te ferendo, putas te contra iturum et decepturum famam quæ de tua mollitie increbuit.

2. *Exstirpa*, etc. Lib. II, epigr. XXIX, versu 6.

5. *Scis multos dicere multis.* Pulmanni codex. Vide Turneb. lib. XXV, cap. 27. — *Dicere multa.* Loqui varia de tua turpitudine. Πολλὰ καὶ παντοῖα dicunt Græci eleganter. Herodotus, Musa IX. Nos dicimus non minori venustate : *Dire choses et autres.*

6. *Pharideme* Junt. ann. 1512. — *Fac*, etc. Hanc quasi levioris criminis suspicionem oppone illi graviori, quod te suspicantur φοινικίζειν.

LVII.

IN PHŒBUM.*

Mentiris fictos unguento, Phœbe, capillos,
Et tegitur pictis sordida calva comis.
Tonsorem capiti non est adhibere necessum;
Radere te melius spongia, Phœbe, potest.

* *In Phœbum tegentem calvam capillis* inscribitur in Beverlandi MS. — Phœbum canum et calvum, fictitios sibi capillos comparantem irridet: nam calvities ignominiosa.

1. Pro *fictos* legendum esse *tactos* conj. Heins. ad Ovid. Fast. IV, 740; *fictos* tamen defendi posse, putabat Oudend. ad Lucan. X, 491. — Emendationem Heinsii firmat codex Thuan. qui *factos* habet: forte tamen e recepta non inutiliter *tinctos* eliceres, quod (hoc modo, *tictos*,) exhibet Juntina nostra in margine. — *Mentiris fictos*. Turnebus, lib. XXV, cap. 27. Olim qui erant toto capite calvi, sibi solebant unguento perfusi velut fila capillorum imitari. Vide ep. LXXIV, infra.

2. *Et tegitur fictis* conj. Ant. *de Rooy*. « Vult Poeta, inquit ille, Phœbum tegi calvam sordidam galero, et hoc modo mentiri capillos unguento tactos. »

3. *Adhibere necesse*. Codex Pulmanni et Beverlandi MS.

4. *Radere te*. Hoc est, abstergere pictos crines, et delere potest sola spongia. *Radere* non dicitur proprie nisi de novacula, quæ veros capillos resecat; sed iis caret Phœbus.

LVIII.

AD AULUM PUDENTEM.*

Cernere Parrhasios dum te juvat, Aule, Triones

*Aulo Pudenti in Sarmatico bello occupato, exponit morbum annm, quo se prope ait exstinctum: sed nunc revalescere, sperareque mox futurum, ut salvus ipse salvum ex militia venientem Pudentem, et primipilatu, hoc est, equestri honore affectum, salutet. *Rader*.

1. *Cernere Parrhasios*, etc. Dum tu centurionis stipendia mereris apud Getas in Sarmatia, quæ ad Septentrionem sita. — *Parrhasios*

Cominus et Scythici sidera pigra poli;
O quam pæne tibi Stygias ego raptus ad undas
Elysiæ vidi nubila fusca plagæ!
Quamvis lassa, tuos quærebant lumina vultus,
Atque erat in gelido plurimus ore Pudens.
Si mihi lanificæ ducunt non pulla sorores
Stamina, nec surdos vox habet ista Deos;
Sospite me sospes Latias reveheris ad urbes,
Et referes pili præmia clarus eques.

Triones. Aul. Gellius lib. II, c. 21: « Sed ego quidem cum Lælio et Varrone sentio, qui Triones rustico vocabulo appellatos scribunt, quasi quosdam *teriones*, hoc est, arandæ colendæque terræ idoneos. Itaque hoc sidus, quod a figura posituraque ipsa quia simile plaustri videtur, antiqui Græcorum ἄμαξαν dixerunt, nostri quoque veteres, a bubus junctis, Septemtriones appellarunt: id est, a septem stellis, ex quibus quasi juncti triones figurantur. Vide lib. IV, epigr. XI, et epigr. XXV, vs. 2, supra. De Aulo Pudente jam dictum lib. I, epigr. XXXII, et lib. V, epigr. XLIX.

2. *Scythici sidera ferre poli* Ald. Junt. Colin. Gryph. Plant. Junian. Pulman. Lang. Delph. etc. *Getici sidera pigra poli* Beverlandi MS. cum aliis codd.

3. *O quam pæne tibi*, etc. Quam pæne mortuus sum. Sic Horat. II, Od. 13: « Quam pæne furvæ regna Proserpinæ vidimus! » Ed.

4. Pro *fusca* Pontanus ad Macrob. Saturn. I, 11, tentabat *frustra*; sed frustra. Apud Ovid. Met. V. 286, legitur « Fusca repurgato fugiebant nubila cælo »; ubi tamen multum variant codd. Ant. *de Rooy* reponendum hoc Nostri loco censet, *nubila furva*. *Furvus* epitheton, quo semper de rebus infernis usos esse auctores, dudum monuerunt Heins. ad Ovid. Met. III, 273, et Broukh. ad Propert. IV, 11, 3, quos vide. — *Elysiæ nubila fusca plagæ.* Etsi omnia in inferis sint fusca vel atra: tamen attendendum est hic agi de plaga, de quodam aditu, ad feliciores sedes, ubi purum erat cælum, et cælo superno pars. Ed.

5. *Quamvis lapsa tuos* Beverlandi MS. *lassa* et *lapsa* sæpe permutarunt librarii. Vide Burm. ad Ovid. Trist. II, 85; ad Propert. II, 15, 7, et IV, 4, 64. — *Quærebant.* Oculi mei quasi in morte graves et natantes desiderabant tuum conspectum. Tacit. Agric. 45, fin. Ed.

6. *Plurimus ore pudor.* Beverlandi MS exhibet: male. Ed.

9. Codex Oxon. penes Farnabium: *reveheris ad oras.*

10. Pro *clarus*, alii *magnus*. — *Et referes.* Hoc est, primipili, seu primi centurionis legionis honore et equestribus ornamentis decoratus redibis: qui enim primipilus fiebat, statim in ordinem equestrem adscribebatur, teste Lipsio de Militia Romana lib. II.

LIX.

IN BACCARAM.*

Et dolet, et queritur, sibi non contingere frigus
Propter sexcentas Baccara gausapinas:
Optat et obscuras luces, ventosque, nivesque;

* Ut Zoilus morbum simulabat, quo ostentaret stragulam vestem, (vid. p. 184 vol. I hujus edit.), ita Baccara iste hiemem optabat, qua ferendi gausapinas, penulas villosas, esset occasio. Poeta indignatur et non haberi sui rationem a Baccara, qui frigora defendere multis gausapinis possit; in gratiam tenuiorum potius optandam esse æstatem; vel certo mediis caloribus sumendas gausapinas. Ed.

1. *Et dolet et queritur*, etc. De penulis viri docti interpretantur: non tamen obstat quin et lacernæ gausapinæ fuerint. Quia ætate Martialis nondum penulæ in promiscuo usu urbano fuere, sed tantum in itinere sumptæ; et gausapinæ quidem, quum sudum erat, scorteæ causa pluviæ. Præterea jocose queritur Martialis lacernas suas tenues ac detritas veluti per injuriam a lacernis gausapinis expelli, dicturus alioqui penulas suas leves a gausapinis Baccaræ penulis extrudi: quod comperiebat alias lacernas hibernas fuisse, gausapinas nempe villosas et hirsutas arcendo frigori, quæ togæ et tunicæ injicerentur; alias leviores et æstivas, quæ soli tunicæ loco togarum inductæ. Baccara igitur ut plures lacernas gausapinas, quarum non nisi hieme usus, ostentaret, optabat frigus ventosque ac nives. At poeta, cui artis malo genio detritæ levesque lacernæ erant, crudeliter illum facere dicit, qui male vestitis hiemem imprecetur; humanius ac simplicius facturum, si ipse vel media æstate gausapinas sumat, luxumque in nullius injuriam ostentet. Legendum ergo vs. 5, ut habent veteres edit. *sæve*, quia Baccara nomen viri, non feminæ: lacernarum enim usus nullus mulieribus. *Ferr.* — *Sibi non contingere frigus.* Ut detur illi occasio ferendi ostentandique gausapinas, penulas crebras et villosas (*manteaux*); vide lib. II, epigr. XVI, Zoilum pari morbo laborantem, propter stragula; verum quamvis stragula et gausapinæ pariter pro vestibus atque lectorum operimentis sumantur, teste Rob. Stephano, tamen hic penulæ, ut illic toralia sunt. Ed. — *Et dolet, et queritur.* Iste Baccara dolebat hiemem non sævire, ut posset ostentare gausapinas, penulas nempe villosas, quibus uterentur Romani hiberno tempore et frigido.

3. *Obscuras luces*, etc. Ut cælum sit nubilum, frigidum, etc. Quid interest? cætera plebs patiatur.

Odit et hibernos, si tepuere, dies.
Quid fecere mali nostræ tibi, sæve, lacernæ,
Tollere de scapulis quas levis aura potest?
Quanto simplicius, quanto est humanius istud,
Mense vel Augusto sumere gausapinas?

5. *Sæva*, edd. vett. Alii *sæve*, ut Baccara sit nomen viri : *sene* codex Vaticanus. — *Quid fecere mali.* Cur petis tu hiemem, quum me videas nudum et ventosa indutum lacerna? nulla tibi pannosorum cura? Sic lib. I, epigr. xix : *Quid tantum fecere boni*, etc.— *Sæve*, vel *Sæva* : nomen est fictum, inquit Raderus, seu feminæ, seu viri : placet accipere pro virili, nescio an feminis gestatæ gausapinæ.

6. *Tollere de scapulis*, etc. Leves nimium et tenues.

7. *Quanto est humanius illud*, in edd. vett. *quanto est humanius illas* in cod. Vaticano. —*Simplicius, humanius istud.* Faceres multo *simplicius*, si ostentationis tuæ morbum confitendo, gausapinas vel per summum æstatis ardorem gestares; *humanius*, si non velles imprecari frigus nobis, quibus tenues ac tritæ lacernæ vix humeros protegunt. Ed.

LX.

DE POMPILLO, AD FAUSTINUM.*

Rem factam Pompillus habet, Faustine : legetur,
Et nomen toto sparget in orbe suum.
Sic leve flavorum valeat genus Usipiorum,

* *De Pompillo* in edd. vett. *Ad Faustinum* in cod. Pulmanni. *De Pompullo* in codd. Thuan. et Florent. — Ut scripta, librique auctoris æternent, opus esse non tantum ingenio, sed etiam genio affirmat poeta; atque ingenium quidem esse Pompillo, deesse tamen genium.

1. *Pompullus habet* in iisdem. — *Rem factam*, etc. Famam et nominis, quam desideravit, celebritatem : eadem phrasis lib. I, epigr. xxviii; et lib. II, epigr. xxvi; diciturque de eo, qui rem spe certa jam devoravit; qui sine dubitatione putat usque perfectum iri, quod desiderat. *Rader.*

3. *Visiporum* codex Thuan.—*Sic leve.* Sic valeant hostes populi Romani, ut libri Pompilli; hoc est, utinam sic pereant, ut libri Pompilli perituri sunt. Usipii vero populi sunt Germaniæ Rheni accolæ ex Tacito, Hist. IV, et vit. Agric. qui eos conjungit cum Chattis et Mattiacis; Ptolemæus tamen Usipios ad Istrum ponit. Ità Raderus. Alii locant ad Rhenum, prope Lu-

Quisquis et Ausonium non amat imperium.
Ingeniosa tamen Pompilli scripta feruntur.
Sed famæ non est hoc, mihi crede, satis.
Quam multi tineas pascunt blattasque diserti!
Et redimunt soli carmina docta coci!
Nescio quid plus est, quod donet sæcula chartis,
Victurus Genium debet habere liber.

piam fluvium, in Westphalia; alii in Belgio, ubi nunc comitatus est Zutphaniæ. Ed. Leves dicuntur, quod a Romanis defecissent. Et hoc respondet poeta priori disticho ex persona vulgi.

5. *Ingeniosa tamen.* Imperiti nempe censent ingeniosa esse scripta Pompilli : poeta respondet hoc non sufficere ad consequendam famam. — *Ingeniosa*, etc. Instat vulgus.

6. *Sed famæ*, etc. Resp. Poeta.

7. Beverlandi MS. *plantasque diserti.* — *Tineas pascunt*, etc. Scribunt, quæ, nemine legente, tineis ac blattis relinquantur escæ. Lib. XIII, epigr. I, vs. 2.

8. Codex Vat. *carmina docta joci.* — *Carmina docta coci!* Quæ togæ sunt cordyllis, et piperis cuculli. Lib. III, epigr. II, vs. 4; et lib. IV, epigr. LXXXVI, vs. 8.

9. *Nescio quid plus sit* Thuan. *Nescio quid plus est quod donant* Vat. — *Quod donet*, etc. Æternitatem, famam, etc.

10. *Victurus senium* Beverlandi MS. — *Genium debet*, etc. Nativam quandam vim et ingenuam facultatem : non ingenium coactum, quod male respondet. Vel, felicitatem quandam et quasi genii favorem, cujus patrocinio libris æque opus est ac viris, urbibus, etc. Henric. Steph. Schediasm. lib. I, cap. 19: *Genium famæ*, ut lib. VII, epigr. XII, vs. 10. Vide et Turneb. lib. XXII, cap. 32. Horat. Art. Poetic. 385; « Tu nihil invita dices faciesve Minerva. » Præceptum XXV. Ed.

LXI.

IN INVIDUM.*

Laudat, amat, cantat nostros mea Roma libellos;

* Hujus epigrammatis lectionem nullo modo variant impressi, aut manu exarati libri.

— En quam frequentem habuerit lectorem hic epigrammatarius : non minus certe hodie omnium doctorum, indoctorumque prope manibus teritur. Describit deinde affectus, signaque Zoilorum et liventium. *Rader.*

1. *Mea Roma.* Hoc est, mihi amica et benevola.

Meque sinus omnes, me manus omnis habet.
Ecce rubet quidam, pallet, stupet, oscitat, odit.
Hoc volo : nunc nobis carmina nostra placent.

2. *Sinus*. In sinu aliquid ferre, est diligere admodum, magnique pendere. Ed.

3. *Ecce rubet*. Describit Poeta animi motus quibus cruciantur invidi. — *Oscitat*. Ore hiscit, quod signum est fastidii. Carmen de livore apud Scaligerum, in Appendice Virgilii : « Testatur gemitu graves dolores, Suspirat, fremit, incutitque dentes: Sudat frigidus, intuens quod odit : Effundit mala lingua virus atrum ; Pallor terribilis genas colorat; Infelix macies renudat ossa. » Vid. ep. II, 6, 4, de *oscitationibus*.

4. *Nunc nobis*. Nunc, inquit, mea mihi placent carmina, quum displiceant invidis.

LXII.

AD OPPIANUM.*

Amisit pater unicum Silanus;
Cessas mittere munera, Oppiane?
Heu crudele nefas, malæque Parcæ!
Cujus vulturis hoc erit cadaver?

* *Epitaphium ad Apianum* inscriptio est in codice Florent. *Ad Apianum* in Ald. Junt. Colin. Gryph. Pulman. Plant. Junian. Lang. etc. *Ad Appianum* Calderinus. *Ad Oppianum* in codd. Vat. et Thuan.

— Oppianum hæredipetam carpit. Quasi dicat : Pater Silanus prædives unico filio privatus est: non captas hanc prædam, Oppiane, qui soles omnium hæreditatibus viduorum viduarumque imminere?

1. *Salanus* Beverlandi MS.

2. *Oppiane* codd. Vat. Florent. et Thuan. — *Cessas mittere*, etc. An cessas captare muneribus hunc Silanum, o hæredipeta?

3. *Parcæ*. Quæ unicum Silani filium sustulistis.

4. *Cujus vulturis*, etc. Cui hæredipetæ continget hæc præda? *Qui, ut hæres scribatur, consolatur, aut assidet : vultur est, cadaver exspectat.* Senecæ epist. xcv. Vide Pierii Hieroglyph. lib. XVIII, de Vulture. — *Cadaver* patris, non filii. Ed.

LXIII.

AD MARIANUM.*

Scis te captari : scis hunc, qui captat, avarum ;
Et scis qui captat, quid, Mariane, velit;
Tu tamen hunc tabulis hæredem, stulte, supremis
Scribis, et esse tuo vis, furiose, loco.
Munera magna quidem misit, sed misit in hamo;
Et piscatorem piscis amare potest?
Hiccine deflebit vero tua fata dolore?
Si cupis, ut ploret, des, Mariane, nihil.

* Convenit argumentum cum superiore. Marianum enim indignabundus irridet, quod fraudem captatoris non notet.

1. *Scis te captari.* Marianum hunc irridet poeta, qui blanditiis et muneribus illici se patiebatur ab avaro, quem bene noverat. Ed.

2. *Quid, Mariane, velit.* Mortem tuam, quo citius fruatur bonis tuis. Lib. VIII, epigr. XXVII.

4. *Esse tuo vis*, etc. In locum, jus, et bona tua succedere.

5. *Munera magnà tamen* in codd. Thuan. Vat. et Florent. et sic in nonnullis edd. Lectionem nostram exhibent edd. vett. — *Munera magna*, etc. Lib. IV, epigr. LVI, vs. 1 ; et lib. V, epigr. XVIII, vs. 6.

7. Edd. vett. *mea fata*, improbante Farnabio : *tua fata* codex Pulmanni. — *Vero tua fata.* Fictæ erunt ejus lacrymæ ; hæredis enim fletus sæpissime risus est.

8. *Des nihil.* Vana exspectatione delusus, tunc vere flebit.

LXIV.

IN DETRACTOREM.*

Quum sis nec rigida Fabiorum gente creatus,

* Indignatur poeta sua carmina velut turpia, carpi ab eo, qui turpior sit suis carminibus, qua moribus, qua natalibus; hoc vero ferendum non esse, juxta et Juvenalis dictum, satir. II, 9 : « Castigas turpia, quum sis inter Socraticos notissima fossa cinædos. » Clam vero occasionem sumit commendandi sua carmina. *Rad.*

1. *Quum sis.* Tu, quem nec majorum ornant, nec propriæ virtu-

Nec qualem Curio, dum prandia portat aranti,
Hirsuta peperit rubicunda sub ilice conjux;
Sed patris ad speculum tonsi, matrisque togatæ
Filius, et sponsam possit te sponsa vocare:
Emendare meos, quos novit fama, libellos,
Et tibi permittis felices carpere nugas;
Has, inquam, nugas, quibus aurem advertere totam
Non aspernantur proceres urbisque forique;
Quas et perpetui dignantur scrinia Sili,
Et repetit toties facundo Regulus ore;
Quique videt propius magni certamina Circi

tes, auden'tu, o vilissime et mollissime, tibi critica arrepta virga mea carpere carmina, eaque a laudatis laudata ?—*Rigida gente creatus*. Studiis belli asperrima. Vid. Livius, et omnes Roman. annales.

2. *Curio*. M. Curiu Dentato, qui agriculturæ studiis non minus quam victoriis et triumphis apud auctores celeber. De quo Cicero, de Senectute : «In hac vita (rusticana) M. Curius, quum de Samnitibus, de Sabinis, de Pyrrho triumphasset, consumpsit extremum ætatis.» Quum ergo tu nec e Fabia gente, nec e M. Curii Dentati natus sis, audes tamen me carpere.

3. *Hirsuta peperit deprensa sub ilice* Beverlandi MS. — *Hirsuta peperit*. Nec tu es ille, quem Curio marito *conjux rubicunda*, id est, rustica et sole colorata, sub ilice hirsuta et comata peperit : nimirum nec tu e gente Curiorum.

4. *Ad speculum tonsi*. Mollis, effœminati, pathici; qualis erat Otho, cui *speculum civilis sarcina belli*. Juven. sat. II, vs. 103 : ibidem 99 : «Ille tenet speculum, pathici gestamen Othonis.» Vide Senec. de Brevit. vitæ, cap. 12. Et ex eorum numero qui curiose et fastidiose tondentur; quibus vita inter pectinem et speculum degitur. — *Togatæ*. Famosæ adulteræ; adulterii convictæ, cogebantur toga indutæ in publicum procedere. Hor. I, Sat. II, vs. 63; et Juv. Sat. II, 69. Ed.

5. *Filius et sponsum* codex Pulmanni.—*Sponsam possit*, etc. Usque adeo effeminatus est et mollis, ut sponsa, cum Diogene dubitare possit, vir ne sis, an mulier?

7. *Felices carpere nugas*. Doctorum calculo et præconio nobilia atque victura carmina.

8. Beverlandi MS. *quis aurem*.

10. *Sili*. De Silio Italico poeta vid. lib. IV, epigr. XIV, et VII, LXIII; de Regulo dictum lib. I, epigr. XIII et CXII.

12. *Totiens magni*. In Beverl.— *Quique videt*. Sura, orator clarissimus, habitabat in monte Aventino, ubi Diana colebatur, unde poterat despicere in circum maximum vicinum. Suræ meminit Suetonius in Domitiano, cap. 13.

Laudat Aventinæ vicinus Sura Dianæ;
Ipse etiam tanto dominus sub pondere rerum
Non dedignatur bis terque revolvere Cæsar.
Sed tibi plus mentis, tibi cor limante Minerva
Acrius, et tenues finxerunt pectus Athenæ.
Ne valeam, si non multo sapit altius istud,
Quod cum panticibus laxis, et cum pede grandi,
Et rubro pulmone vetus, nasisque timendum,
Omnia crudelis lanius per compita portat.
Audes præterea, quos nullus noverit, in me
Scribere versiculos, miseras et perdere chartas.
At si quid nostræ tibi bilis inusserit ardor,
Vivet, et hærebit, totoque legetur in orbe;
Stigmata nec vafra delebit Çinnamus arte.

13. Codex Vat. habet, *jura Dianæ*.

15. *Cæsar*. Domitianus.

16. *Sed tibi*. Ironice. Tu tamen tibi arrogas plus judicii. — *Minerva*. Et tibi artium atque Athenarum quæ magistra sapientiæ perhibetur, præses Minerva polivit ingenium et exacuit judicium.

17. Codex Pulmanni, *fixerunt*, sive *finxerunt*. Horat. ad Pisones : « quamvis voce paterna Fingeris ad rectum. » Alii, *fixerunt* : male. — *Tenues*. Subtiles, acutæ.

18. *Nec valeam, si non multo valet* Beverlandi MS. *sapit altius illud* codex Pulmanni. Vide Turneb. lib. XXV, 27. — *Ne valeam*. Hoc est, dispeream, si non plus sapit cor pecudis quod venale circumfert lanius per totam urbem. Legunt alii *Quid cum;* minus bene.

19. *Panticibus*. Intestina sunt cum adipe et omaso. Vid. Turneb. lib. XXVI, cap. 27.

20. *Nasique timendum* Thuan. — *Nasisque timendum*. Quia putridum, corrupto jam pulmone.

22. *Quos*, etc. Carmina quæ nemo legat. Lib. III, epigr. IX.

23. *Miseras perdere chartas*. Sic Bolæus noster : « Chacun à ce métier, Peut *perdre impunément* de l'encre et du papier. »

24. *Aut si quid* Beverlandi MS. *At si qui* codex Thuan. *At si quid nostræ tibi bilis invexerit* in codice Florent. — *At si quid nostræ bilis ardor*, etc. Hoc est : At si ego iratus versus in te scripsero, non peribunt, tibique sempiternam infamiæ notam inurent.

26. *Stigmata*. Notas infamiæ intellige, quas fugitivorum servorum fronti imprimere solebant Romani. Inustam tibi ex meis epigrammatis infamiam. Metaph. a punctis corpori ferro candente inustis, quæ lepide Petronius c. 103, *epigrammata* dixit. — *Cinnamus arte*. Tonsor, lib. VII, epigr. LXIV.

Sed miserere tui, rabido nec perditus ore
Fumantem nasum vivi tentaveris ursi.
Sit placidus licet, et lambat digitosque manusque;
Si dolor, et bilis, si justa coegerit ira,
Ursus erit: vacua dentes in pelle fatiges,
Et tacitam quæras, quam possis rodere carnem.

27. *Sed miserere tui rapto* in Beverlandi MS. — *Rabido nec perditus ore.* Noli latratu tuo ad iram irritare me, quem comperies ursum vivum et in iras pronum, ubi dabitur occasio. Quin potius, o timide ac imbecillis catule, pellem ursi fœno fartam mordicus lacessis, unde tibi nihil impendet periculi? me vivum senties. Cave canis, et quære aliam carnem quam tacitus rodas. Vid. lib. V, epigr. LX, 10; et Horat. epod. 6. Vel ne ursum iram spirantem, anima tua et voce irritaris. Hieroglyphici enim vehementem iram significaturi, ursum fingunt, quod id animal immodicis animis soleat excitari. *Nasum* addit, nam ibi sedes iræ: « Bilis in nare sedet; δριμεῖα χολὰ ποτὶ ῥινὶ κάθηται. » Theocr. Idyll. I, vs. 18, de Pane. Flatus enim et spiritùs vehementior iram prodit.

28. *Fumantem vivi nasum* legit Scriverius.

29. *Sit placidus licet.* Id est, cicur, mansuefactus.

31. *In pelle fatigas.* Codex Pulmanni. — *Ursus erit.* Redibit ad ingenium: nativum furorem resumet. Ed. — *Pellem vacuam*, mortuam rode, canum imitator; me vero vivum ne tangas. Horat. II, sat. I, 45: « qui me commorit, melius non tangere clamo, Flebit, et insignis tota cantabitur urbe.

32. *Et tacitus quæras* Ald. Junt. Colin. Gryph. Pulman. Plaut. Junian. Lang. Delph. Farnab. etc. *Et tacita quæras* codd. Vat. et Florent. *Et tacitam quæras* codex Bodleianus, quod primus restituit Gruterus. — *Et tacitam carnem quæras.* Quære alium quem tuis maledictis carpas; qui nec sentire tuam obtrectationem, nec ulcisci queat. Ed.

LXV.

AD TUCCAM.

Hexametris Epigramma facis, scio dicere Tuccam.
Tucca, solet fieri; denique, Tucca, licet.

1. *Hexametris.* Superius epigramma ut longum, atque hexametris scriptum, sane redarguerat Tucca: quod utrumque fieri posse docet poeta. Tucca, nomen illius qui Virgilium emendavit, censore dignum.

Sed tamen hoc longum est: solet hoc quoque, Tucca, licetque;
Si breviora probas, disticha sola legas.
Conveniat nobis, ut fas Epigrammata longa
Sit transire tibi; scribere, Tucca, mihi.

3. Ed. antiq. Ferrar. an. 1471. Ald. Junt. Colin. Gryph. Pulman. Plant. Junian. Lang. Delph. etc. *solet hoc quoque, Tucca, licere.* Scriv. et Gruter. *licetque;* hanc lectionem dubitanter recepimus. Ed.

5. *Conveniat nobis,* etc. Ex pacto inter nos ita dispertiamus munia; ut mihi liceat longa epigr. scribere, tibi transire. Voltarius ait: *L'hexamètre est fort beau, mais par fois ennuyeux.* Ed.

LXVI.

DE PRÆCONE PUELLAM VENDENTE.

Famæ non nimium bonæ puellam,
Quales in media sedent Suburra,
Vendebat modo præco Gellianus.
Parvo quum pretio diu liceret,
Dum puram cupit approbare cunctis,
Attraxit prope se manu negantem;

2. *Quales in media,* etc. Lib. I, epigr. xxxv, vs. 5; et lib. II, epigr. xvii, vs. 1, lupæ scilicet, quæ in regione Suburrana urbis Romæ habitabant. Ed.

4. *Parvo quum pretio diu liceret.* Volui aliquando *licerent.* Est enim proprie pretium offerentis, quasi empturi. Plautus: «Jocos ridiculos vendo: agite, licemini.» Sed tamen vendenti quoque videtur tribuere Suetonius, Calig. 38: «Nota res est, Aponio Saturnino inter subsellis dormitante, monitum a Caio præconem, ne prætorium virum crebro capitis motu nutantem sibi præterierit: nec licendi finem factum, quo ad tredecim gladiatores sestertio nonagies ignoranti addicerentur.» Gronovius. Gallice, *vendre à l'encan.*

5. *Dum puram cupit,* etc. Dum facilem, sed negantis arte instructam puellam, pro pudica et pura approbare cupit, eoque vendibiliorem facere, reluctantem illam et negantem sæpius basiavit. Quod ubi fecisset præco, oris non magis puri quam Sabidius, lib. I, epigr. xxxiii, et lib. III, epigr. xvii, vel Posthumus, lib. II, epigr. x, adeo impuram reddidit, quam puram approbare voluit; ut qui modo sexcentos licitus est, jam se daturum neget.

6. *Manu negantem.* Puella illa

Et bis, terque, quaterque basiavit.
Quid profecerit osculo, requiris?
Sexcentos modo qui dabat, negavit.

erat quidem facilis; at instructa arte meretricia negabat, quo magis placeret. Gallice, *la coquetterie*.

9. *Negabit*. Beverlandi MS; male; quia *profecerit*, vult preteritum *negavit*. Ed.

LXVII.

AD PANNICUM DE GELLIA UXORE.*

Cur tantum eunuchos habeat tua Gellia, quæris,
Pannice? vult futui Gellia, non parere.

* *Ad Pannicum* inscribitur in edd. vett. —Vide supra ep. xxxix versu ultimo.

1. Codex Thuaneus: *tua Cœlia*, et sic v. 2.

2. *Gellia, nec parere* Beverlandi MS. et codex Pulmanni. — *Non parere*. Juven sat. vi, 367: « Sunt quas eunuchi imbelles, ac mollia semper Oscula delectent », etc. Vid. Vol. I, pag. 364 et 463, notas nostras. Ed.

LXVIII.

DE MORTE EUTYCHI PUERI.

Flete nefas vestrum, sed toto flete Lucrino,
Naides, et luctus sentiat ipsa Thetis.

1. *Nefas vestrum*. Quod sit hoc nefas, docebit tertius versus. — *Toto flete Lucrino*. Emisso quasi per lacrymas toto lacu Lucrino et in mare profluente, ut Thetis in mari luctum sentiat. — *Flete nefas*. Eutychus puer Castrici aquis Baianis exstinctus est, cujus mortem deflet Poeta. Fontanius noster imitatus est, Eleg. *sur* Fouquet. Ed.

2. *Naiades* in edd. vett. Scribendum *Naides;* nam altero non sunt usi Veteres, nisi ubi quatuor syllabarum eam vocem voluere: *Naiades*. — *Ipsa Thetis*. Thetis Nerei filia, et uxor Pelei, pro ipso mari ponitur. Sensus est: Thetis audiat, vel forte ipsa experiatur vestrum dolorem. Lucrinus vero in Campania, hodie, *Mar morto*, vel *Lago di Licola*.

Inter Baianas raptus puer occidit undas
  Eutychus, ille tuum, Castrice, dulce latus.
Hic tibi curarum socius, blandumque levamen;
  Hic amor, hic nostri vatis Alexis erat.
Numquid te vitreis nudum lasciva sub undis
  Vidit, et Alcidæ Nympha remisit Hylam?
An Dea femineum jam negligit Hermaphroditum,
  Amplexu teneri solicitata viri?
Quidquid id est, subitæ quæcumque est causa rapinæ,
  Sit, precor, et tellus mitis, et unda tibi.

4. *Latus.* Latero; qui lateri tuo semper hærebat, qui latus tuum usque tegebat. Sic lib. II, epigr. XLVI, vs. 8. Vide Jani Gulielmi Verisimil. lib. III, cap. 17.

6. *Alexis erat.* Puer Castrico in deliciis, ut Virgilio Alexis, *Vel* alter Alexis. Virgil. Eclog. II.

8. *Revisit.* Alii. — *Et Alcidæ Nympha.* Et rapuit te Hyla pulchriorem, restituitque Herculi Hylam. Vide lib. V, epigr. XLVIII, vs. 5, *Talis raptus Hylas.*

9. *An Dea.* Salmacis Hermaphroditum Veneris et Mercurii filium amavit. Ovid. Met. IV.

10. *Solicitata.* Eutychi *amplexu.*

12. *Sit, precor.* Mortuis bene precandi formula. Lib. V, epigr. XXXIV, vs. 9.

LXIX.

DE BASSA.

Non miror, quod potat aquam tua Bassa, Catulle;
  Miror, quod Bassi filia potat aquam.

1. *Non miror,* etc. Non miror Bassam sumere aquam qua parte opus est (lib. II, epigr. L), quum norim eam esse quæ tibi ore morigeratur : sed miror eam in tantum degenerasse a patre Basso. Utrum sanctus ille fuerit, et filia tam dedecorosa indignus, an temulentus et meracus ebrius?

2. *Bassæ filia.* Gruter. ex cod. Palat. et sic Beverl. MS. Si Bassam matrem admiseris, poetam sic interpretare quasi dicentem, in matre anu os impurum et *aqua* purgandum ferri posse, quod non in filia ævi florentis, quæ et amatoribus parte sua satisfacere deberet, et simul sibi. Sed utrique nefas! Ed.

LXX.

AD MARTIANUM.*

Sexagesima, Martiane, messis
Acta est, et, puto, jam secunda Cottæ;
Nec se tædia lectuli calentis
Expertum meminit die vel uno.
Ostendit digitum, sed impudicum,
Alconti, Dasioque, Symmachoque.
At nostri bene computentur anni,
Et, quantum tetricæ tulere febres,
Aut languor gravis, aut mali dolores,
A vita meliore separentur:
Infantes sumus, et senes videmur.
Ætatem Priamique Nestorisque

* Cottam felicem prædicat, quod tota vita, nullo morbo tentatus fuerit; se infelicem, qui vix ullam a dolore horam vacuam vixerit.

1. *Sexagesima*, etc. *LXII* annos natus est Cotta, neque unquam lecto eum affixit unius dieculæ febris ardens.

2. *Coctæ* Beverlandi MS.

3. *Tædia lectuli calentis.* Hoc est, non meminit se unquam ardenti febre laborasse; propter quam incalescit lectus.

4. *Expertum minuit* in eodem MS.

5. *Ostendit digitum*, etc. Per contemptum et derisionem ostendit medicis medium unguem, infamem et impudicum digitum. Vide lib. I, epigr. XCIII, vs. 2; et lib. II, epigr. XXVIII, vs. 2.

6. *Alconti, Dasioque, Symmachoque.* Medicis. Juvenal. sat. x, 53: « Mediumque ostenderet unguem. » Vid. nostr. Juv. vol. II, p. 81. Ed.

7. *At nostri bene computantur* in quibusdam. Hæc usque ad vs. 10 male cohærere putat Ant. de *Rooy:* ille corr. *A vita meliori separetur.* Cæterum *tulere* valet *abstulere;* qua notione sæpius hoc verbum simplex capiendum. Virg. Æn. II, 600: « ni mea cura resistat, Jam flammæ tulerint. » Sidon. Carm. XIII, 14: « Nulla tamen fuso prior est Geryone pugna, Uni tergeminum cui tulit ille caput »; ubi vid. Savaro. Adi et cel. Reitz. de Ambig. voc. *fero:* et cl. Gruner. ad Sedul. lib. I, vs. 205.

8. *Et, quantum*, etc. Et a melioris vitæ statu subducantur quantum temporis sit impensum animi vel corporis morbis, facile apparebit nos diu fuisse, parum vixisse.

Longam qui putat esse, Martiane,
Multum decipiturque falliturque.
Non est vivere, sed valere, vita.

13. *Martiane.* An est Flavius ille Martianus de quo Plin. epist. II, 2?

14. *Decipitur.* Nam qui diu vivunt, ut Priamus et Nestor, qui gravi animi et corporis dolore cruciati sunt, non fruuntur vita longa, sed qui semper sani sunt, et vitam hilarem agunt. Decipere, *attraper, duper;* at fallere, *induire en erreur:* Virg. Æn. IV, 17, « amor deceptam morte fefellit. » Ed.

15. *Non est vivere*, etc. Immo, *valere est philosophari*, inquit Seneca; *sine hoc æger est, animus.* Epist. 15.

LXXI.

DE TELETHUSA.*

Edere lascivos ad Bætica crusmata gestus,
Et Gaditanis ludere docta modis;
Tendere quæ tremulum Pelian, Hecubæque maritum
Posset ad Hectoreos sollicitare rogos;

* *De Thelethusa* Beverlandi MS. *De Thelesina* in Ald. Junt. Colin. Gryph. etc. *De Telethusa* codex Pulmanni.

1. *Edere lascivos*, etc. Eum deridet Poeta, qui vendiderat Thelesinam, vel Telethusam suam servam, quam postea ejus amore captus redemit.—*Ad Bætica crusmata gestus.* Κρούματα, tympanorum et cymbalorum pulsus cum digitorum crepitu, cujusmodi saltationes Hispanis in usu esse docet J. C. Scalig. lib. I, cap. 18. Poet. et hodie videmus. — *Crusmata.* Hoc est, sonitus, a verbo κρούω, *pulso. Bætica*, scilicet, Hispana; Bætis enim Hispaniæ fluvius; hodie, *Guadalquivir.* Puellæ autem Hispaniæ, maxime Gaditanæ, choreas agebant valde lascivas.

2. *Modis.* Quos tres enumerat ibid. Scaliger *chironomiam*, *halma*, *lactisma.* Vide lib. II, epigr. XLII, 12; lib. V, epigr. LXXVIII, vs. 26. Idemque expressum a Juvenale, Sat. XI, vs. 162.

3. *Peliæ* codex Florent. — *Tendere quæ tremulum.* Quibus ad libidinem incendi *jam frigidus ævo Laomedontiades et Nestoris hernia possit.* Juvenalis in Sat. VI, vs. 325. — *Tendere.* Ad rem Veneream idoneum reddere, rursusque ex vieto decrepitoque sene adolescentem facere. — *Pelian.* Patrem Jasonis longævum, regem Thessaliæ. —*Hecubæque maritum.* Priamum.

4. *Solicitata.* Codd. Pulman. et Florent. In aliis male *toros* pro *rogos.* — *Ad Hectoreos rogos.* Vel in

Urit et excruciat dominum Telethusa priorem :
Vendidit ancillam; nunc redimit dominam.

medio mœrore, in funere Hectoris.

5. *Theletusa* codd. Vat. et Florent. — *Telethusa* codex Pulmanni. — *Thelesina* Ald. Juntin. Colin. Gryph. etc.

6. *Redimet*. Codex Pulmanni et Beverlandi MS. — *Vendidit ancillam*. Postquam desiderio ejus excruciatur, quam ancillam vendiderat, redimit, ut illi serviat.

LXXII.

DE CILICE FURE.*

Fur notæ nimium rapacitatis
Compilare Cilix volebat hortum;
Ingenti sed erat, Fabulle, in horto
Præter marmoreum nihil Priapum.
Dum non vult vacua manu redire;
Ipsum surripuit Cilix Priapum.

* Nullam lectionis varietatem in hoc epigrammate exhibendo produnt exemplaria manu exarata, aut excusa.

2. *Cilix*. Nomen proprium : alias gentile ; id est, *Cilicia*, Asiæ minoris parte, oriundus. Ed.

4. *Marmoreum Priapum*. Egregium sane custodem, de quo exclamare libet; *sed quis custodiet ipsos Custodes?* ut Juvenal. sat. vi, vs. 347, de feminarum custodibus. Statuis autem aureis et argenteis addebantur custodes; ligneæ et lapideæ incustoditæ erant : lepide itaque cum Apollinis statua, quam surrepturus erat, jocatur Eutychidas Anthol. libro II, capite 25.

LXXIII.

DE PRIAPO HILARI.*

Non rudis indocta fecit me falce colonus;

* *De Priapo* lemma est in edit. veteribus.

1. *Non rudis indocta*, etc. De Priapo, lib. I, epigr. xxxvi, vs. 15,

Dispensatoris nobile cernis opus.
Nam Cæretani cultor ditissimus agri
Hos Hilarus colles et juga læta tenet.
Aspice, quam certo videar non ligneus ore,
Nec devota focis inguinis arma geram;
Sed mihi perpetua nunquam moritura cupresso
Phidiaca rigeat mentula digna manu.
Vicini, moneo, sanctum celebrate Priapum,
Et bis septenis parcite jugeribus.

et lib. III, epigr. LVIII, 47, et supra epigr. XLIX.

2. *Dispensatoris*, etc. Artificisne nomen, qui custodem effinxit? an fuit hic Hilarus dispensator et cultor agri Cæretani? Leg. 51 et 62 ff. de Solutionibus.

3. *Cæretani*, etc. Cæretum, Umbriæ oppidum. —Ald. Junt. Colin. Gryph. Pulman. Plant. Junian. Lang. Delph. etc. *cultor notissimus.* Codex Florent. *cultor ditissimus.*

4. *Hos hilares* in codice Pulmanni. *Hos Hilaris* codex Florent.

5. *Quam certo*, etc. Quam ad vivum effictus vultus, non videatur esse e ligno.

6. *Nec devota focis.* Non urenda pro ligno arido et putri; namque e cupresso illis vitalitas, « Columna de viva cupresso generata », epigr. XLIX supra, vs. 3.

8. *Phidiaca rigeat*, etc. Affabre facta, tanquam manu Phidiæ, lib. III, epigr. XXXV, et epigr. XIII, supra vs. 1.

9. *Sanctum*, etc. Vide lib. III, epigr. LXIX, vs. 7.

LXXIV.

AD ESCULANUM.*

Medio recumbit imus ille qui lecto,

* Calvum quempiam edentulum, qui simulabat se dentatum, mordet.

1. Codd. Florent. et Palat. pro *imus* habent *unus;* quæ duo verba sæpissime permutata fuere in codd. vett. Vide Burm. ad Propert. IV, 8, 7, et nos ad Catull. LXI, 171. — *Medio recumbit.* De more et ordine Rom. discumbendi in lectis ad mensam, vide Lips. lib. III. Antiq. lect. Ciacon. de Triclinio et Stuck. Convival. II. —*Imus.* Eum accumbere in honoratissimo loco dicit; nam quum tres essent lecti, imus lecti medii locus erat honoratissimus, ut in Symposiacis auctor

Calvam trifilem semitactus unguento,
Foditque tonsis ora laxa lentiscis;
Mentitur, Esculane : non habet dentes.

est Plutarchus. Turneb. lib. XIV, c. 27. In singulis lectis tres convivæ.

2. *Calvam Triphilem* in edd. vett. *Calvam trisilem* in cod. Pulmanni, qui conj. *tripilem*, a tribus pilis. Codd. Florent. et Vat. *semitatus unguento* : et sic legendum censebat Turnebus. Ald. Junt. Colin. Gryph. etc. *segmentatus unguento*. Gruterus vero dicit legi in codice Palatino *Calvam similem;* unde Janus Rutgersius legendum putat : *Calvam Sileni*. — *Trifilem semitactus unguento*. Sulcis unguento ductis et pictis in calva tripili seu trifili, tres sc. vel paucos admodum habenti capillos. *Semitactus* autem, ἡμίχριστος, *tangere* quippe *aleo*, est *ungere*. Jos. Scal. et Scriv. vide et epigr. LVII, supra. Turnebus legendum censet pro *semitactus*, *semitatus* ; ille enim unguento comam sibi in capite calvo pinxerat et effinxerat ; sed quæ trium filorum seu capillorum esset : vel calvam haberet, cui reliqui essent tres capilli : et quum in capite tanquam sulcos duxisset unguenti lituris et velut vias secuisset, *semitatus* dixit, quæ est antiquorum librorum scriptura. Ut miter quid sit, quod et contra sententiam et versus rationem, multi *segmentatus* et defendant et declarent. Turneb. lib. XXVI, cap. 27. Raderus Gontii explanationem probat : Qui *Calvam* istius calvi, comparat vineæ, quæ propter senectutem, vel aliud ob vitium, paucas habet vites, et *calvata* dicitur. Vide Catonem de Re Rust. cap. 33. Sicut ergo in calvata vinea, quæ paucas babet vites et palos, semita lucet inter hortulos vitium : sic in calvi recumbentis calva, hinc et hinc ad tempora paululum supra aures erant tres pili, media vero semita late nitebat unguento.

3. Beverlandi MS. *lassa* pro *laxa*. De his vocibus vide Interpp. ad Propert. IV, 2, 26, et Sil. Ital. VI, 278; Obss. Misc. tom. IV, p. 389; VV. DD. ad Ovid. Heroid. Epist. II, 123; Petron. cap. 82; Claud. de Laud. Stil. II, 145, et III, 228. — *Foditque tonsis*, etc. Qui videtur dentes purgare lentisco; de quo lib. XIV, epigr. XXII. — *Lentiscis*. Lentiscus arbor est cujus frondea cuspide dentium sordes purgabant.

4. Ant. *de Rooy* distinguendum putat : *Mentitur, Esculane, non habet, dentes;* et *mentitur dentes*, ut supra ep. LVII, *Mentiris fictos unguento, Phœbe, capillos*. — *Mentitur*, etc. Simulat, ne appareat edentulus.

LXXV.

IN PONTIAM.*

Quum mittis turdumve mihi, quadramve placentæ,
Sive femur leporis, sive quid his simile;
Buccellas misisse tuas te, Pontia, dicis.
Has ego nec mittam, Pontia, sed nec edam.

* Pontiam veneficam exagitat, cujus munera veneno tincta repudiat, lib. II, epigr. xxxiv, et lib. IV, epigr. xliii.

1. In edd. vett. Ald. Junt. Colin. Gryph. Pulmann. Plant. Junian. Lang. Delph. *turdumque*. — *Quadramve*. Aliquando quadra significat mensam. Juven. Sat. v, 2; *aliena vivere quadra*. Hic sumitur pro frusto, nam in quadrata frusta secabantur placentæ. Sic lib. III, epigr. lxxvii, 3: « Nec te liba juvant, nec sectæ quadra placentæ »; et IX, xci, 18, « secta quadra de placenta. » Ed.

2. *Sive quid his simile est* Beverlandi MS.

3. *Buccellas*, etc. *Buccella*, ψωμίχ, et buccellum, panis in modum circuli seu coronæ factus, sex fere unciarum, a Latina voce *bucca* vel *buccea*, quæ frustum panis vel panem significat. Vetus Glossarium: *Ientat*, βουκκίζει. *Gustare*, βουκκίσαι. Hinc *buccæ* et *buccellarii*, qui aliena buccella, id est, quadra vivunt, parasiti scil. et adseclæ. *Buccellas*. Hoc est, frusta optimorum ciborum tibi appositorum, quanta nempe bucca capere potest.

4. *Has ego non mittam*. Codd. Beverlandi, Florent. et Thuan. — *Nec mittam*, etc. Nec amicis mittam, multo minus ipse edam, ut qui sciam tua veneficia, et quam subtili peste imbuta sint. Ed.

LXXVI.

EPITAPHIUM FUSCI.

Ille sacri lateris custos, Martisque togati,

1. *Ille sacri*. Domitiani Præfectus Prætorii. Ad Fuscum est, lib. VII, epigr. xxviii. — *Martis togati*. Domitiani in Urbe propter auspicia residentis, et per duces bellum gerentis, qui idcirco togatus dicitur. Vel Martis togati custos dicitur, quod Prætorianæ cohortis esset Præfectus, quæ nempe Palatium et urbis muros custodiret.

Credita cui summi castra fuere ducis;
Hic situs est Fuscus : licet hoc, Fortuna, fateri;
Non timet hostiles jam lapis iste minas.
Grande jugum domita Dacus cervice recepit,
Et famulum victrix possidet umbra nemus.

2. *Credita cui summi*, etc. Cui Domitianus commiserat belli Dacici summam. Suet. Domit. cap. 6. Tacit. Hist. lib. II et III.

3. *Fuscus*. In Dacia bello oppressus interiit. Eutrop. lib. VII; Juv. sat. IV, vs. III, « vulturibus Dacis servabat viscera. » — *Licet hoc*, etc. Etsi ipse victus ceciderit, jam tamen securus est tumulus ejus, Dacis postea victis a Juliano.

5. *Grande jugum domina* Ald. Junt. et Colin. *Grande jugum famula* Juntina nostra in margine. Sic lib. V, epigr. III : « Accola jam nostræ Degis, Germanice, ripæ, A famulis Istri qui tibi venit aquis. » Sed *famulum* occurrit versu sequenti. — *Grande jugum*, etc. Victi jam Daci retulerunt inferias umbræ Fusci, cui quasi victrici sacratur tumulus cum agello et luco in ipsa Dacia redacta in deditionem, vide lib. I, epigr. CXV et CXVII. Pars magna victoriæ, vel cladis solatium censebatur, si cadavera atque sepulcra cæsorum non essent in hostium potestate : id nunc vates gratulatur.

LXXVII.

IN AFRUM.*

Quum sis tam pauper, quam nec miserabilis Irus;
Tam juvenis, quam nec Parthenopæus erat;
Tam fortis, quam nec, quum vinceret, Artemidorus;

**Ad Afrum mendacem* Beverl. MS. —Afri mendicitatem cum summa arrogantia et fastu conjunctam, omnium ludibrio exponit. Pauperrimus enim et valentissimis hexaphoris ferebatur, perinde quasi ditissimus esset, aut æger. *Rad.*

1. *Quam nec miserabilis Eros*. In Beverl. — *Irus*. Arnæus mendicus, Homer. Odyss. ζ. Vid. sup. lib. V, epigr. XXXIX, vs. 9. Ed.

2. *Parthenopæus erat*. Pulcherrimus juvenis, unus e septem ducibus ad Thebas profectis, Antiopæ filius. Æschylus in ἑπτὰ ἐπὶ Θήβαις. Et Papin. Theb. IV.

3. *Artemidorus*. Artemid. Trallianus pancratiasta nobilis, sub Impp. Galba et Vitellio. Vide quæ Scriver. e Pausaniæ Eliac. posteriore. — *Quum vinceret*. Quum in certaminibus Olympicis admodum

Quid te Cappadocum sex onus esse juvat?
Rideris, multoque magis traduceris, Afer,
Quam nudus medio si spatiere foro.
Non aliter monstratur Atlas cum compare ginno;
Quæque vehit similem bellua nigra Libyn.
Invidiosa tibi quam sit lectica, requiris?
Non debes ferri mortuus hexaphoro.

adolescens parum feliciter pugnasset, ob ætatis imbecillitatem, confirmatis postea viribus, quum Smyrnæi publicos ederent ludos, in arenam descendit, et eodem die non solum eos, a quibus antea in Olympicis victus fuerat, verum etiam adolescentes alios, ac viros omnium valentissimos pancratio superavit. Hinc voc. explicabis, *quum vinceret.*

4. *Quid te Cappadocum*, etc. Cur tu perinde ac dives esses senex vel æger, gestaris hexaphoro, lecticam subeuntibus sex servis e Cappadocia gente ad servitutem nata?

5. *Aper* codex Florentinus. *Apher* in edd. vett. — *Traduceris.* De hoc verbo vide quæ diximus lib. Spect. epigr. IV.

7. *Cum compare mullo.* Codex Vat. Codex Pulmanni, cum aliis vett. membranis : *cum compare gibbo.* In edd. vett. *cum compare mulo.* Lectio nostra debetur Scriverio. Vide Var. Notas. — *Non aliter monstratur*, etc. Pro hac lectione ex variis bonis libris pugnat Ang. Politianus cap. 23 hoc sensu : Si quando Atlas nanus (Juvenal. satir. VIII, vs. 31) mulo pumilo et compare utatur, vulgo ridetur, ut et Maurus ubi concolorem sibi elephantum conscendit : sic Afer merito ridetur qui pauper, juvenis et fortis, ab aliis juvenibus suæ prope conditionis gestatur. Ex intima quidem Poetæ mente. Quando tamen (vel ipso fatente) in MSS. venerandæ vetustatis prope omnibus legatur *gibbo*, primatem palmaremque conciliandi restituendique hujus, inter alia plurima, loci gloriam retulit sagacissimus P. Scriverius, qui in animadversionibus suis reponit *ginno*, hoc est, parvo mulo, teste Plin. VIII, 48; Arist. Anim. VI, 24, quod ex interlineari glossa vel margine in textum irrepsisse videtur. Vide lib. XIV, epigr. CXCVII.

8. *Bellua*, etc. Elephas.

9. *Invidiosa*, etc. Vel mortuo tibi invideretur hexaphorum, nedum vivo, tam pauperi, cui efferendo magis conveniret sandapila. Vide lib. II, epigr. LXXXI.

10. *Non debes ferri mortuus.* Id est, non effereris hexaphoro, sed sandapila; quippe quum sis persona vilis et infimæ paupertatis. Hellenismus, *Non debes ferri*, οὐ μέλλεις βαστάζεσθαι. Jocabantur autem nonnulli in eos qui lectica vehebantur, tanquam in mortuos, quod et hi lectica efferrentur. *Her.* — *Non debes.* Quid sit hexaphorum dictum lib. II, epigr. LXXXI. Divites mortui efferebantur hexaphoro, pauperes vero sandapila, qua mortuus hic Afer efferendus erat, utpote pauper.

LXXVIII.

AD AULUM, DE PHRYGE LUSCO.

Potor nobilis, Aule, lumine uno
Luscus Phryx erat, alteroque lippus :
Huic Heras medicus, Bibas caveto;
Vinum si biberis, nihil videbis.
Ridens Phryx, oculo, Valebis, inquit.
Misceri sibi protinus deunces,
Sed crebros jubet : exitum requiris?
Vinum Phryx, oculus bibit venenum.

1. *Doctor nobilis* Beverlandi MS.

3. *Huic dicit medicus, bibas caveto* Ald. Junt. Colin. Gryph. Pulman. Plaut. Junian. Lang. Delph. etc. alii *eras*, vel *Eros medicus.*

5. *Videbis* pro *Valebis* cod. Vatic. *Ocule, o! valebis, inquit :* Ant. *de Rooy* legit. — *Oculo, Valebis.* Gallus quidam luscus excusso unico oculo sibi in ludo gladiatorio punctim batuenti, exclamavit, *Adieu mon œil, et bonne nuict, messieurs;* et in epigrammate Lucillii, lib. XI Anthologiæ, amissurus oculum dixit, χαῖρ' ἱερὸν φῶς.

6. *Deunces.* Scyphus capax undecim cyathorum. Vide tabul. numeral. ad calcem primi Vol. Ed.

8. *Oculus bibit venenum.* Exstinctus enim est bibendo oculus. Perditam luxuriam fortasse alludit, quam notat Plin. lib. XIV, cap. 22.

LXXIX.

AD LUPUM.*

Tristis es, et felix; sciat hoc Fortuna, caveto;
Ingratum dicet te, Lupe, si scierit.

* Hic nullam lectionis varietatem exhibent aut scripti, aut impressi libri. Vid. lib. XI, epigr. cviii.

— In lætis lætum, tristem in tristibus vult esse Lupum, vulgi, scil. non superstitiosa philosophorum ratione, qui eumdem et Socraticum in omni fortuna vultum servandum docent. *Rad.*

2. *Ingratum dicet*, etc. Nec usu, nec vultu, nec animo læto munera ejus agnoscentem. Unde irata levis dea instar Scythiæ capræ rem tibi disturbabit.

LXXX.

AD CÆSAREM DE ROSIS HIBERNIS.*

Ut nova dona tibi, Cæsar, Nilotica tellus
Miserat hibernas ambitiosa rosas;
Navita derisit Pharios Memphiticus hortos,
Urbis ut intravit limina prima tuæ.
Tantus veris honos, et odoræ gratia Floræ,
Tantaque Pæstani gloria ruris erat!

Αἴγυπτος φιλότιμος ἀπέστειλ' ὡς νέα, Καῖσαρ,
Δῶρα χαριζομένη, σοὶ ῥόδα χειμερινά.
Μεμφίτης Φαρίους ναύτης ἐχλεύασε κήπους,
Οὐδὸν ἐπεμβαίνων ὑμετέρης πόλιος.
Τόσσον ἄρ' ἦρος ἄγαλμα, τόση χάρις ἔπνε' ὀδωδῆς·
Τόσσον Παιστανῶν ἦν ἀγλάϊσμα πέδων.

* *De rosis ad Cæ. missis* inscriptio est in edd. vett.

—Ex Ægypto rosæ hibernæ mitti Romam solebant. Ævo Domitiani in urbe etiam educabantur, novo invento. Plin. lib. XXII, cap. 4. Et Poeta quasi insultans Ægyptiis mercatoribus, sese ob rosarum hibernarum advectionem jactantibus, monet, ut ipsi nunc ex Italia rosas petant, Italis autem mittant frumentum. *Rad.*

1. «Male primum distichon distinguitur, et explicatur; nam in fine ejus τελεία ὑποστιγμὴ ponenda est, ut sensu perfecto: neque exponendum: Ubi tibi allatæ sunt ex Ægypto rosæ hibernæ; sed, Tellus Nilotica miserat tibi rosas hibernas, ut, id est, tanquam dona nova et insolita. Sic finit hæc sententia. Sequitur: At navita Memphiticus, ut intravit Romam, risit hortos Pharios.» *Gronovius.*—*Ut nova dona tibi*. Ubi tibi allatæ sunt ex Ægypto rosæ hibernæ.

2. *Ambitiosa*. Propter flores quos hieme nasci alibi non credebant Ægyptii.

3. *Navita Memphiticus*. Hoc est, ex urbe Memphi, de qua lib. Spect. epigr. 1. Ille scilicet Ægyptius hortos patriæ suæ contempsit, statim atque vidit roseta hiberna Romanorum. Lib. XIII, epigr. CXXVII.

5. *Tantus venit honos* Beverlandi MS. — *Tantus veris*, etc. Tam læta per Urbem rosaria florebant, ut ver ipsum et Floræ regnum, Pæstanique agri rosetis pleni, in urbem migrasse viderentur. — *Floræ*, Deæ florum, metonymia.

6. *Tantaque Pæstani*. Tanta erat rosarum copia, quarum ferax ager

Sic quacumque vagus gressumque oculosque ferebat,
Tonsilibus sertis omne rubebat iter.
At tu Romanæ jussus jam cedere brumæ,
Mitte tuas messes; accipe, Nile, rosas.

Ὅππῃ γὰρ μετένεγκ' ἢ μὲν πόδας, ἠὲ καὶ ὄψεις,
Πᾶς στεφάνοισιν ἔην χῶρος ἐρευθιόων.
Ἀλλὰ σὺ χειμερινῇ Ῥώμης νικώμενος ὥρῃ,
Νεῖλε, θερισμὸν ἑὸν δός· ῥόδα δ' ἀντίλαβε.

Pæstanos. Lib. V, epigr. XXXVII, vs. 9, et lib. XII, epigr. XXXI.

7. *Quocunque vagus* Beverl. MS.

8. *Textilibusque sertis* Ald. Junt. Colin. Gryph. Pulman. Plaut. Junian. Lang. Delph. etc. *Tonsilibus sectis* in codd. Thuan. et Florent. *Tonsilibus tectis* in codice Vaticano; *Sutilibus sertis* legunt alii (vid. Salmasios in Var. Notis): *omne subibat iter* codex Thuaneus; *omne ruebat iter* cod. Florent. — *Textilibus sertis.* Corooois et sertis textis e rosis. Legendum pro *textilibus* e MSS. : « Toosilibus sertis omne rubebat iter. » Tonsilium coronarum meminit Servius ad Virgilii Georg. III, 21 : « Ipse caput tonsæ foliis ornatus olivæ. » Qoem de corona toosili interpretatur et recte. *Tonsæ*, inquit, *olivæ*, *minutis foliis compositæ. Habiturum se autem coronam tonsilem dixit.* Poeta ipse *tonsam coronam* pro tonsili appellavit : «Omnibus in morem tonsa coma pressa corooa. » Namque tonsa corona et tonsilis idem, ut porrum sectum et sectile. Coronas interdum ex iotegris frondibus et intonsis oectebant Veteres, nt ex lauro, oliva et aliis. Interdum ex mero folio fuoiculis eas suebaot. Hæ *tonsiles* vocatæ; illæ nexiles vel plexiles. Tonsæ vel tonsiles, ideo qood ex foliis detonsis textæ essent; vel quod folia in his parum eminerent, tanquam si tonsa essent. Hioc tonsiles tapetas brevibos ac tonsis villis. *Salmas.* — *Omne iter.* Urbis vicus omnis.— *Tonsilibus* (*Textilibus*) *sertis.* Hoc est, coronis textis ex rosis. Alii legunt *Sutilibus :* coronas nempe ex rosarum foliis consuere solebant Veteres. Vide lib. V, epigr. LXIV, et lib. IX, epigr. XCIV, de qua lectione judicet leetor.

9. *Cedere brumæ.* Hoc est, cedere rosis qoæ hiemis tempore Romæ nascuntur.

10. *Tuas messes.* Frumentis abundat Ægyptus, unde dicta est Reipublicæ Romanæ horreum.

LXXXI.

IN CHARIDEMUM.

IRATUS tanquam populo, Charideme, lavaris;
Inguina sic toto subluis in solio.
Nec caput hic vellem sic te, Charideme, lavare;
Et caput, ecce, lavas : inguina malo laves.

1. *Iratus tanquam populo.* Tanquam volens eos polluere et conspurcare, qui post te in eodem solio loturi sunt. Vid. Lib. XI, epigr. XCV, vs. 2.

3. *Nec caput hic*, etc. Vide lib. II, epigr. XLII, argumenti æque puri, et epigr. LVI, supra.

4. *Et caput esse lavas* Juntina ed. anni 1512.

LXXXII.

AD RUFUM.

QUIDAM me modo, Rufe, diligenter
Inspectum, velut emptor, aut lanista,
Quum vultu digitoque subnotasset,
Tune es, tune, ait, ille Martialis,
Cujus nequitias jocosque novit,
Aurem qui modo non habet Batavam?

2. *Velut emptor.* Quum mangones servos empturi essent, eos diligenter inspiciebant, devestiebant et manibus attrectabant. Lanista, Tusca lingua *carnifex*, magister fuit gladiatorum quos domi habebat, atque instituebat, ut illos deinde locaret et venderet.

3. *Quum vultu.* Quum vultu me admirantis in speciem composito, et producto digito commonstrasset.

5. *Nequitias*, etc. Epigrammata lasciva et jocosa.

6. In edd. vett. *non habet severam :* in quibusdam codd. *non habet Suevam :* optimæ tamen membranæ: *non habet Batavam;* et sic tres clarissimi Batavi, Junius, Gruterus, et Scriverius. Vide Erasm. in Adag. *Auris Batava*, et quæ dicemus ad lib. XIV, epigr. CLXXVI. — *Non habet Batavam.* Hoc est, rusticam

Subrisi modice : levique nutu
Me, quem dixerat esse, non negavi.
Cur ergo, inquit, habes malas lacernas?
Respondi : Quia sum malus Poeta.
Hoc ne sæpius accidat Poetæ,
Mittas, Rufe, mihi bonas lacernas.

et barbaram; duri quippe et barbari habebantur Batavi, bodie, Hollandi. — *Batavam.* Lectionem hanc, loco motam, sed opt. MSS. auctoritate vindicatam, recipiunt aut certe agnoscunt tres Batavi, clarissima Martialis lumina, Hadr. Junius, J. Gruterus, Petr. Scriverius, et ferunt aliquanto clementius quam magnus ille Erasmus et patriotæ alii. Multi legunt, *severam;* abhorrentem a spurcis jocis, qualem Cato, Curius, et Fabricius habuere : sed placet prior lectio; nec ullam nationem antiquis suis dotibus spoliare decet; at reddendum unicuique quod suum est. Scriverius legit quidem *Batavam*, sed aliter explicat; exponit nempe sibi gratulari Poetam, quod legatur ab omnibus Romæ, præterquam a Batavis, qui armis et duriori vitæ assueti, corporis Augusti custodes, non ita curabant jocos istos. Præterennt quippe (juxta Venusinum Poetam) austera poemata Rhamnes, neque sapit Centurionum genti nequior iste sal. Hæc sunt Scriverii et aliorum jam citata verba, de quibus judicet lector.

9. *Cur ergo*, etc. « Ego Poeta sum, et, ut spero, non humillimi spiritus, etc. Quare ergo, inquis, tam male vestitus es? Propter hoc ipsum, amor ingenii neminem unquam divitem fecit. » Petronius. — *Lacernas.* Vestes quæ togis superinduebantur.

11. *Hoc ne sæpius*, etc. Ne cogar me malum fateri Poetam.

LXXXIII.

AD CÆSAREM DOMITIANUM.*

Quantum sollicito fortuna parentis Etrusco,

* Laudat Cæsarem, quod Etruscum revocarit ab exsilio.

1. *Quantum sollicito*, etc. Quantum Etruscus, in exsilium, sed non extra Italiam missus, debet filio, qui patrem in exsilium accomitatus est, et cujus pietate et precibus Domitianus permotus eum revocavit : tantum et pater et filius tibi o Cæsar. Vide Papinii Sylv. 3, et lib. VII, epigramm. XL. Etruscus pater primum Tiberii Cæsaris libertus

Tantum, summe ducum, debet uterque tibi:
Nam tu missa tua revocasti fulmina dextra;
Hos cuperem mores ignibus esse Jovis.
Si tua sit summo, Cæsar, natura Tonanti,
Utetur toto fulmine rara manus.
Muneris hoc utrumque tui testatur Etruscus,
Esse quod et comiti contigit, et reduci.

fuit; deinde Caligulam minus faventem expertus, ab eo pulsus aula, mox tamen revocatus est, et in ejus comitatu profectus ad Germanicam expeditionem. Sub aliis deinde Cæsaribus varia fortuna usus, ad magnos honores et majores opes evasit: annos demum octoginta natus a Domitiano, etc.

3. *Fulmina missa dextra.* Exsilii decretum.

4. *Hos cuperem.* Hoc est, Optarem ut tantam clementiam haberet Jupiter; raro enim fulmen vibraret totum. — *Ignibus.* Ut sint revocabiles.

6. *Torto fulmine* Heraldus legit. — *Toto.* Tota vi emisso, trisulcis ignibus infesto.

7. *Hoc utrumque.* Nempe ipsi fuisse permissum. et comitari patrem, et simul cum eo redire ab exsilio. Sic Poeta laudat clementiam Domitiani.

LXXXIV.

DE PHILIPPO.*

Octaphoro sanus portatur, Avite, Philippus;
Hunc tu si sanum credis, Avite, furis.

* Arrogantem et superbum carpit breviter, sed acriter. Ed.

1. *Octaphoro sanus portatur, Avite* ex Beverl. MS. — *Octaphoro.* Lectica ab octo servis gestata. Is fuit potentiorum fastus tunc temporis, eleganter notatus à Cynico Luciani. Nam in illis lecticis cubabant resupini. Sed de Lecticis et de earum usu multa scripsit Lipsius libro I, Elect. cap. 19. Vid. lib. II, epigr. LXXXI. — *Sanus.* Corpore.

2. *Hunc tu si sanum.* Animo nempe; etenim nimiæ erat arrogantiæ ab octo servis gestari. — « Quod ipse Non sani esse hominis, non sanus juret Orestes. » Pers. Satyræ III, ult. versu.

LXXXV.

IN MORTEM RUFI CAMONII.*

Editus est sextus sine te mihi, Rufe Camoni,
Nec te lectorem sperat, amice, liber.
Impia Cappadocum tellus, et numine lævo
Visa tibi, cineres reddit et ossa patri.
Funde tuo lacrymas, orbata Bononia, Rufo;
Et resonet tota planctus in Æmilia.
Heu! qualis pietas, heu! quam brevis occidit ætas!
Viderat Alphei præmia quinque modo.

* *Flet mortem Ruffi* lemma est in edd. vett. — Plurima sunt epigrammata ad Rufum, natum annos quinque supra viginti, qui in Cappadocia diem obiit.

1. *Seditur en sextus* codd. Vat. et Florent. *Editur en sextus* in quibusdam; *Editur eu* (vel *heu*) *sextus* in aliis: *sine te mi Ruffe camœnis* Ald. Junt. Colin. et Gryph. *mihi Ruse Camoni* Beverlandi MS. — *Editus est.* Est editus a me sextus liber Camœnis, Musis, id est, liber carminum. Quæ enim carmine scribuntur, Musis carminum præsidibus eduntur. Sic hunc versum explicat Raderus. Cum alii legimus *Rufe Camoni*, cujus familiæ meminit lib. IX, epigr. LXXV, et LXXVII.

2. *Nec te.* Quia interiisti.

3. *Lumine lævo.* Codices Junii, Pulmanni, et Beverlandi. — *Impia*, etc. Propter ingenia sua mala et servilia. Vel, propter mortem tuam a pestilitate ejus aeris. — *Et numine lævo.* Aut religionis inconstantia hic notanda; aut legendum *lumine lævo*, ut in Junii codice scriptum. Ut pede sinistro iter ingredi, sic lumine lævo quid adspicere infaustum. *Numine lævo* tamen dixerunt quidam in sinisteritate. Nam malos quosdam genios hominibus infortunatis adhærentes existimabant, et adfixos, donec eos in imum exitii barathrum deturbassent. *Herald.* — *Numine lævo.* Aversante Deo. Sidere non fausto.

4. *Visa tibi cineres sedit* Beverl. MS. *redditur ossa patris* in Vaticano. Cod. Pulmanni *reddit et ossa patris.*

5. *Bononia.* Italiæ urbs nota, patria Rufi, hodie *Bologna.*

6. *Æmilia.* De via Æmilia, quæ Bononiam ducit, percurrens Longobardiam cis Padum, dictum lib. III, epigr. IV.

8. Codd. Palat. Vat. et Florent. *præmia quanta*; cod. Thuan. *præmia quinta.* Beverlandi MS. *præmia quarta*; et sic legit Gruterus. — *Viderat Alphei.* Poeta intelligit Olympica certamina, quæ ad Alpheum amnem, cujus fons in Arcadia,

Pectore tu memori nostros evolvere lusus,
Tu solitus nostros, Rufe, tenere jocos.
Accipe cum fletu mœsti breve carmen amici,
Atque hæc absentis thura fuisse puta.

quarto quoque anno celebrabantur teste Suida; atque ita sensus est: Rufum interiisse viginti annos natum, vel forte viginti quinque, si Olympiadem pro lustro intelligat Poeta, ut lib. VII, epigr. XL, et quæ ad Senec. Herc. fur. vs. 480. Olympia etiam Pisa dicta. Ed.

10. *Tu solitus totos* codex Pulmanni; et sic Gruterus. — *Tenere.* Tu solebas nostra epigrammata perlegere et memoria retinere.

12. *Atque hæc absentis*, etc. Vice thuris, quod ipse præsens rogo injecissem (nam thus et odores rogo amicorum injiciebant amici), cape hoc carmen absentis. Lib. X, epigr. XXVI, vers. 8.

LXXXVI.

IN BIBENTES AQUAM CALIDAM.*

Setinum, dominæque nives, densique trientes,
Quando ego vos, medico non prohibente, bibam?
Stultus, et ingratus, nec tanto munere dignus,
Qui mavult hæres divitis esse Midæ.
Possideat Libycas messes, Hermumque, Tagumque,

* Queritur sibi ægro, assidue bibendam calidam ex præscripto Medici; mallet Setinum nobile, vel gelidam aquam, quæ decocta temperabatur. — *In Bibentes aquam* inscriptio est in edd. vett.

1. *Setinum.* Vinum nobile e Setia Campaniæ oppido, bodie *Sezza*. — *Dominæ nives.* Optatæ, quibus scilicet vinum refrigeratur: vocat autem nives dominas, quod illum allicerent traherentque. Quæ inter cæteras mensarum delicias, veluti principatum obtinetis, quæ vinum refrigeratis. Ed. — *Densique trientes.* Hoc est, frequentes: triens vero quatuor cyathos continet.

3. *Stultus*, etc. Demens est et fortunæ ingratus, qui ex voto Midæ, aurea siti mavult perire, quam delicata vina et nobilem decoctam bibere. Quasi dicat, Insanit, qui colligit opes, et bibit calidam.

5. *Possideat Libycas messes*, etc. Medicus vel alius quispiam possideat quantum metit Africa, habeat aurifluos amnes, dum aquam bibat calidam: mihi vel pauperi liceat vinum bibere: « tanti mihi non sit opaci Omnis arena Tagi, etc. » ut

Et potet calidam, qui mihi livet, aquam.

caream nobili vino nivibus diluto. Vid. epigramma, χθιζὸν ἐμοὶ νοσέοντι, lib. II, Anthol. cap. 47. Gronovius ipse legendum esse censet *livet*, sed paullo alia significatione; non enim, qui mihi invidet aquam proprie frigidam: qui non potest intelligi, nisi medicus. Generali utitur detestatione. Sic dicebant; « Hoc illis accidat, qui nobis male volunt: hoc inimicis et invidis nostris accidat. » — *Hermumque Tagumque*. Hermus, nunc *Sarabat*, est in Asia minori, devolvitur in Pactolum et proximos Smyrnæ campos alluit. Tagus in Hispania; ambo aureis arenis inclyti. En.

6. Scriverio debetur: *Et potet calidam, qui mihi livet, aquam.* Quod et tentabat Turnebus, agnoscit Gronovius; et tandem testatur codex Thuaneus. Verbum *livere* nonnunquam accipiendum pro *invidere*. Tacit. Ann. XIII, cap. 42, ubi vide cel. Ernest. Nostr. infra lib. X, epigr. XXXVII, et Gevart. Lect. Papin. cap. 18. Editio illa, quæ Amstelodami ex Museo Scriverii prodiit an. 1650, paulo aliter distinguit; nempe hoc modo: *Et potet calidam, qui mihi livet aquam.* Quod si non errore operarum, sed ex mente Scriverii factum; an aqua nivata magis aqua dicenda, quam calida? vel, an aqua calida, quia calida erat, aqua esse desinebat? quis hoc statuat? *Et potet calidam, qui mihi laudat aquam* in edd. vett. *Et potet caldam* cod. Thuan. et Beverlandi MS. *qui mihi liber aquam* codex Pulmanni: *qui mihi libet aquam* Florent. « Πολυθρύλλητον est illud *livet*, cui suffragantur etiam cod. Thuan. in quo *caldam* melius, pro *calidam*. Pejor est, immo nullius numeri aliorum lectio, *laudat*, quam apud G. Chr. Gebauerum quoque reperi libro « De caldæ et caldi apud Veteres potu », Lipsiæ 1721, 8°, C. II, p. 20. « Carbonem pro thesauro; magnum enim quidpiam ab eo exspectaveram. » Sic scribit Anon. in Epist. Crit. ad Ant. *de Rooy*. « Conjeci num forte levi mutatione legendum sit: *Possideat Libycas messes, Hermumque, Tagumque: Nec potet, calidam qui mihi laudat aquam.* Vides, si hoc modo legas, imprecationem esse, longe vehementissimam, et propius præcedentibus respondentem? Midæ sortem imprecatur calidam laudantibus. Ita *nec* in *et* transisse deprehendit Salmasius ad Flor. IV, 2, 67. *Et* contra in *Nec*, recte vidit Scriv. infra lib. X, epigr. II. *Nec* hoc loco resolvendum in *et non*; id quod sententiæ nonnunquam requirunt. Vide Gronov. Obss. lib. III, cap. 7, et 11, et Gell. lib. II, cap. 2. Ant. *de Rooy*. *Et potet calidam*, *qui mihi libat*, *aquam* invenio in editione Calderini: *libat* interpretatur *propinat*. — *Qui mihi livet* [*laudat*]. Turnebus lib. XXV, cap. 27. Reperio, inquit vir clar., in veteribus, *qui mihi libat*, ut sensus sit: ne liberaliter quidem præbet, sed ministrat parce et maligne, ut si libaret, et tamen laudat, nos quoque laudamus.

LXXXVII.

AD CÆSAREM.

Di tibi dent, et tu, Cæsar, quæcumque mereris;
Di mihi dent, et tu, quæ volo, si merui.

Σοὶ μάκαρές τε θεοὶ δοῖεν, σύ τε, ἄξιος ὢν εἶ,
Δοῖέν μ' ἦρα θεοὶ, καὶ σὺ, ἂν ἄξιος ὦ.

1. *Di tibi*, etc. O Domitiane, a nemine, nisi a te ipso et a Diis quicquam potes exspectare, quum omium mortalium ditissimus, et ipse Deus sis. Ego vero utinam a Diis atque a te consequar, quæ cupio, si te laudando, et Diis sacrificando meritus sum. X, XXXIV.

LXXXVIII.

AD CÆCILIANUM.*

Mane salutavi vero te nomine casu;
Nec dixi dominum, Cæciliane, meum.
Quanti libertas constet mihi tanta, requiris?
Centum quadrantes abstulit illa mihi.

* *Ad Sosibianum* lemma est in codice Florent.

1. *Vero te nomine casu.* Mero tuo nomine, nec appellavi te dominum seu patronum, ex more clientum salutantium.

3. *Quanti libertas*, etc. Vis scire quantuli me asseruerim in hanc libertatem ut domino carerem? mulcta certe et jactura sportulæ; id est, decem nummorum. Libertas ἀντὶ παῤῥησίας non uno loco. Hic autem videtur accipi posse propria significatione. Nam qui dominum non habet, liber est, ut contra. Unde Mart. lib. I, LXXXII: «E servo scis te genitum, blandeque fateris: Quum dicis dominum, Sosibiane, patrem.» Multa enim simul cum libertate Romana aboleverunt: plurima verterunt. *Domini* vox in salutationibus frequens, tempore Martialis; immo antea. Nam et Seneca testatur ignotos ita salutari solitos. Sic δεσπότην usurparunt Græci in salutationibus: et promiscue hac salutatione usi sunt, Romano imperio additi. *Herald.* — *Constet.* Quia libertatem adipiscebantur, qui eam redimere poterant.

LXXXIX.

DE PANARETO POTORE.

Quum peteret seram media jam nocte matellam
  Arguto madidus pollice Panaretus;
Spoletina data est, sed quam siccaverat ipse;
  Nec fuerat soli tanta lagena satis.
Ille fide summa testæ sua vina remensus,
  Reddidit œnophori pondera plena sui.
Miraris, quantum biberat, cepisse lagenam?
  Desine mirari, Rufe: merum biberat.

1. *Cum peteret sævam* codex Pulmanni. — *Matellam.* Vas ad effundendum lotium.

2. *Arguto pollice.* Digitis enim inter se collisis, pollice scil. et medio digito, crepitum edebant, signum nempe matulæ porrigendæ. Vide lib. III, epigr. LXXXII, vs. 15, et lib. XIV, epigr. CXIX. — *Madidus.* Vino.

3. *Spoletina data est*, etc. Fictilis lagena, quam vino Spoletino plenam exsiccarat, etiamsi capacior fuisset, exhausturus. Forte quia Spoleti, urbe Umbriæ, facta.

4. Codex Thuan. *tanta lagena:* codex Florent. *toto.*

5. *Ille fide summa testæ sua*, etc. Convenit ratio accepti ac redditi, non auxit vinum adhibita ad diluendum aqua; quod vel ex ratione redditæ ad justam mensuram urinæ, jocatur Poeta, constare Panaretum bibisse merum. — *Remensus.* Hoc est, tantum lotii effudit, quantum vini biberat, atque œnophorum seu vas vinarium omnino implevit.

8. *Desine mirari.* Rufus mirabatur, quod quum Panaretus lagenam integram exsiccasset, non plus urinæ reddiderit, quam quantum lagena cepisset; quum ex ratione aquæ quam vino miscuerat, multo amplius debuerit et bibisse, et rejecisse. Respondet Poeta Panaretum non adhibuisse aquam, sed meracum vinum bibisse: atque hinc summa fide remensum esse, quod exhausisset. *Rader.*

XC.

DE GELLIA.*

Mœchum Gellia non habet, nisi unum.
Turpe est hoc magis, uxor est duorum.

* Hic non variant libri, aut calamo exarati, aut prelo excusi.

2. *Uxor est duorum.* Mariti scilicet et adulteri. Seneca, de Beneficiis l. III, c. 16. «Infrunita», hoc est, insulsa, «et antiqua est, quæ nesciat matrimonium vocari unius adulterium.» Hæc ergo Gellia excusabat se, quod unicum haberet mœchum : Poeta vero probat hoc illi turpius esse, quam innuptæ plures habere mœchos. Etenim repugnat unam fœminam duorum esse conjugem, quod tamen contingit, quum unum habeat mœchum. Lib III, epigr. XCII.

XCI.

IN ZOILUM.

Sancta ducis summi prohibet censura, vetatque
Mœchari : gaude, Zoile, non futues.

1. *Sancta ducis.* Vide epigr. II, IV, VI et VII, supra.

2 *Zoile, non futuis* in nonnullis edd. vett. — *Gaude, Zoile.* Zoilum non debere graviter ferre a Domitiano promulgatam legem adversus adulteros dicit, quoniam ipse non sectabatur mulieres, sed fellabat. Lib. III, epigr. LXXXI; et II, XXXIII et XLII.

XCII.

IN AMMIANUM.*

Cælatus tibi quum sit, Ammiane,

* *In Amianum* in edd. vett.

1. *Dolatus tibi cum sit Amiane* Beverlandi MS. *Cœlatus tibi cum sit Anniane* in codice Florentino.

Serpens in patera Myronis arte;
Vaticana bibis: bibis venenum.

2. *Mironas* in eodem codice; unde Beverlandus legi jussit *Myronos*. — *Myronis arte*. Sculptoris nobilis, de quo lib. IV, epigr. XXXIX.

3. Codd. Florent. et Vat. *bibis et venenum*, metro obstante. — *Vaticana bibis*. Quæ erant pessima. Vide lib. I, epigr. XIX. Vinum vero Vaticanum, seu toxicum, ut dixit citato Epigrammate, mire convenit cum serpente expresso in patera, quæ est poculi genus latum ac patens. — Mons Vaticanus, *il Vaticano*, prope Romam erat, nunc in ipsa Roma. In eo condita est admirabilis Basilica S. Petri. Ed.

XCIII.

DE THAIDE.

Tam male Thais olet, quam non fullonis avari
Testa vetus, media sed modo fracta via;
Non ab amore recens hircus; non ora leonis;
Non detracta cani Transtiberina cutis;

1. *Tam male Thais olet*, etc. Aliquam lupam seu prostibulum, nomine Thaidis vexat Poeta, propter graveolentiam, quæ Harpyiis et Chimæris hisce communis. Fuere Thaides amicæ, poetis multis celebratæ. — *Fullonis*. Fullo est, qui togas recentat, et maculas ac sordes e toga eluit, et addito sulphure et creta rursum candefacit. Plin. lib. XXXV, cap. 17; seu XXVIII, 8. *Avari* dicit, quia magnum pretium pro vestibus candefactis aut emaculatis exigebant. *Rader.*

2. Codex Vaticanus: *quæ modo fracta via*. Beverlandi MS. *via est*. — *Testa vetus*, etc. Qua urinam (camelorum maxime, teste Plinio lib. XXVIII, cap. 8) ad purgandarum vestium usum excipiebant fullones; hæc autem dolia stabant in publico. — *Fracta*. Tum enim gravissimus et teterrimus exhalatur odor.

3. Codex Thuaneus: *non hora leonis*. Beverlandus legi jussit: *non ala leonis*. — *Ab amore recens hircus*. Sic lib. IV, epigr. IV. Nam et hirci et cervi, et alia animalia, quum coeunt, deterrime fœtent. *Ora leonis*. Animæ leonis virus grave. Plin. lib. XI, cap. 53; vid. Annot. prior. Baptistæ Pii, cap. 15.

4. *Non detracta lacu* margini ascriptum exhibet Juntina nostra: *lacu* interpretor locum putidum ubi coriarius δέρματα madefacit, Anglice, *a tan-pit*. Si *cani* legendum, intellige δέρμα caninum; aliter enim interpretantur. — *De-*

Pullus abortivo nec quum putrescit in ovo;
Amplıora corrupto nec vitiata garo.
Virus ut hoc alio fallax permutet odore,
Deposita quoties balnea veste petit;
Psilothro viret, aut acida latet oblita creta;
Aut tegitur pingui terque quaterque faba.
Quum bene se tutam per fraudes mille putavit,
Omnia quum fecit, Thaida Thais olet.

tracta, etc. — Urbis pars trans Tiberim viliori plebeculæ colebatur, et in ea exercebantur sordida et fœtida opera, ut excoriationes, sulphurata, etc. Vide lib. I, epigr. XLII, vs. 3; Juvenal. Satyr. XIV, vs. 203.

5. *Pullus abartivo ovo.* Nec pejus olet pullus abortivus in ovo putrido.

6. Codex Pulmanni: *nec vitiata cado.* — *Garo.* Garum ex intestinis piscium sale maceratis conficiebant. Hoc liquamen, magni apud Romanos pretii, sic appellabant a pisce, quem Græci nominant GARON, ex quo fiebat primum: nos Gallice vocamus *la saumure:* postea e scombris et saxatilibus minutisque piscibus factum est tanta æstimatione, ut nullus liquor præter unguenta esset in majoribus deliciis. Sed garo corrupto nihil est fœtidius, quia sane, ut aiunt, *corruptio optimi pessima.* De sociorum *garo*, quod ille Apicius excogitavit, vid. Plin. IX, cap. 17; Sen. epist. 95; Horat. II, Sat. IV, 73; et 8, 46.

7. *Virus ut hoc alio*, etc. Graveolentiam ut lotura dissimulet. Vel, illa Thais *fallax*, quamvis fœtorem corporis tegere conetur et obruere, etc. Lib. I, epig. LXXXVIII.

9. *Psilotro vitet* Junt. an. 1512. *Psilotro nitet* in aliis vett. *nitet* et *vitet* vix distingui possunt in codd. Ex Juntinæ lectione *vitet* nullo negotio fit lectio nostra, quam satis firmat codex Thuaneus: *aut acita latet* idem Thuan. *aut acida nitet* Beverlandi MS. — *Psilothro.* Psilothra sunt medicamenta seu unguenta, quibus pilosæ corporis partes glabrantur. Lib. II, epigr. XXIX, vs. 6; et lib. III, epigr. LXXIV, vs. 1. — *Acida latet oblita.* Aceto macerata. Lib. III, epigr. LXXIV, vs. 4. — *Creta.* Cimolia, Chia seu Samia, qua utebantur fœminæ ad cutim emendandam.

10. *Aut tegitur pista* in Beverl. MS. — *Faba.* Unguento facto ex farina tritarum fabarum, quod lomentum vocari putat Domitius lib. III, epigr. XLII.

11. *Cum bene securam* profert idem Beverlandus. — *Quum bene se tutam.* A sua graveolentia scilicet, semper nativum odorem omnium pessimum olet Thais.

12. *Thaida Thais olet.* — Impuram lupam et olidam capram. Nam mulier optime olet, quum nihil olet.

XCIV.

DE CALPETIANO.*

PONUNTUR semper chrysendeta Calpetiano,
Sive foris, seu quum cœnat in urbe domi.
Sic etiam in stabulo semper, sic cœnat in agro.
Non habet ergo aliud? Non habet immo suum.

* *De Calpetano* lemma est in codice Pulmanni. Cætera, nulla est varietas in hoc epigrammate.

— Irridet splendidam Calpetiani mendicitatem. Raderus caret hoc epigr.; nec ulla tamen impudicitia lædit animos. ED.

1. *Chrysendeta.* Quæ sic interpretatur Turnebus, lib. XIV, cap. 3: Vasa doctissimi viri explicant crustis aureis illigata et exornata, ut in Martial. lib. II, epigr. XLIII. Ego vasa gemmata esse puto, quorum gemmæ consertæ et contextæ tenerentur. — Lances auro circumvinctæ. Lib. II, epigr. XLIII, v. 12.

3. *Stabulo semper*, etc. Diversorio, πανδοχείῳ. Stabularius, πανδοχεύς.

4. *Non habet*, etc. Itane lautus est Calpetianus, ait lector, ut non habeat alia vel minoris pretii vasa, et usque gemmeis aureisque bibat? *Non habet suum*, resp. poeta: immo hæc non sunt ipsius, sed mutuo sumpta; ipse enim, nec aurea, nec argentea, Codro pauperior, possidet; nisi forte etiam oblique hæc ipsi chrysendeta furto esse ablata velit a Calpetiano Martialis. Quum enim dicit, *Non habet suum*, ergo alienum; nec quomodo alienum exponit, sed relinquit lectori cogitandum. — Plutarchus in Lucullo satis illud indicat. Plinius hoc genus vasorum innuere videtur, quum initio lib. XXXIII sic scribit: « Turba gemmarum potamus et smaragdis teximus calices, et aurum jam accessio est. » Sed non Virgilius Georg. II, 506, *ut gemma bibat;* quia Veteres etiam e gemmis tantum, absque auro, vasa potoria habuerunt. ED.

M. VAL. MARTIALIS
EPIGRAMMATUM
LIBER VII.

I.

AD DOMITIANUM, DE LORICA.*

Accipe belligeræ crudum thoraca Minervæ,
  Ipsa Medusææ quem timet ira comæ.

* In edd. vett. lemma deest: in aliis inscribitur, *Ad loricam Domitiani.*

1. *Accipe belligeræ.* Domitianus in expeditione quam suscepit adversus Sarmatas seu Dacos, ut dict. infra, videtur sibi fieri curasse loricam, instar ægidos Minervæ, quam peculiariter coluit, et cujus se filium esse voluit. Lorica autem hæc et Minervæ ægida ex squamoso draconum corio contextam repræsentavit: vel Sarmaticum thoraca, de quo infra, Ep. II, vs. 4. — *Accipe.* Accipe, Cæsar, et indue loricam gravem et divinam belligeræ Minervæ; est enim togata et militaris Minerva. — *Crudum thoraca.* Militaremne et crudum, ut volunt? an respicit primos thoracas e crudis loris corioque confectos?

2. *Ipsa Meduseæ quo* Beverlandi MS. *quem timet ira Deæ* ed. antiquiss. Ferrar. an. 1471. Ald. Junt. Colin. Gryph. Pulman. Plant. Junian. Lang. Delph. etc. *quo tumet ira Deæ* Calderinus et codex Bodl. i. e. quo irata Pallas utitur, quem sumit Pallas pugnatura. *Quem timet ira comæ* codd. Vat. et Florent. *quem timet umbra comæ* Junt. nostra in margine; quod etiam proposuit Beverl. Lib. VIII, epigr. LV, vs. 10. « Aurea lunatæ quum stetit umbra jubæ. » Umbra hic est sylva: aliter ibi Gronovius, quem vide in Var. Notis. — *Ipsa Medusææ*, etc. Quem vel ipsa Minervæ ægis, Medusæ

Dum vacat hæc, Cæsar, poterit lorica vocari;
Pectore quum sacro sederit, Ægis erit.

capite irato et anguineis crinibus formidabilis, timeat. — *Dea Medusæa* dicitur Pallas, quod Palladis ope Perseus Medusam interfecerit. Medusa una ex Gorgonibus, filia Phorbi fuit. Comam ejus vertit in serpentes Pallas, et ori dedit hanc vim, ut qui illud adspicerent, in lapides verterentur. *Rader.* — *Ipsa Medusææ quem timet ira comæ:* hoc est, quem thoraca vel ipsa Medusa serpentibus, quos pro capillis gerebat, munita timeret.

3. *Dum vacat hæc*, etc. Quam, ubi non gestatur a Domitiano, loricam voces; quum antem induerit eam Cæsar, jam ægis erit. Dii enim ægidas gestant; mortales vero, loricas. Ægis proprie munimentum est pectoris æreum a Vulcano fabricatum, habens in medio Gorgonis caput. Alii dicunt fabricatum ex corio Amaltheæ capræ.

4. *Sacro sederit pectore*, etc. Domitiani, æque Dei, ac Minervæ et Jovis, quorum peculiaris celebratur ægis, supra vs. 1.

Sequens epigramma cum hoc primo conjunxit Domitius, et utrumque sic conjunctum inscripsit: *Ad loricam Domitiani:* at esse distinguendum contendit Raderus: hic enim, inquit, Cæsarem ipsum alloquitur, loricam vero sequentibus distichis. Ego cum Radero existimo esse distincta duo epigrammata; et ideo quodque posui proprio Titulo inscriptum.

II.

AD IPSAM LORICAM.*

Invia Sarmaticis domini lorica sagittis,

* Ed. antiquiss. Ferrar. an. 1471. Ald. Junt. Colin. Pulman. Lang. aliæ, hoc epigramma præcedenti conjunctum exhibent. Distinctum præfert Calderina editio, quam secutæ sunt Plant. Junian. Farnab. Schrevel. et recentt. Hic ergo loricam ipsam alloquitur: superiori tetrasticho Cæsarem est affatus. Felicem enim prædicat loricam, quod pectus Dei, i. e. Cæsaris attingat, et comes eat in hostes. Inscriptio in quibusdam est: *Ad loricam Domitiani*, ut jam priori epigrammate.

1. *Invia Sarmaticis domini.* Hic loricæ præstantiam et duritiem describit. « *Lorica a loris* dicitur, ait Varro, quod de corio crudo pectoralia faciebant. » *Invia.* Domitianus ad modum Sarmaticarum loricarum sibi thoracem fieri curarat. Sarmaticæ autem loricæ tam duræ et firmæ erant, ut ictus omnes sustinerent, quod testatur Pausan. lib. I. Varia vero genera loricarum celebravit

Et Martis Getico tergore fida magis;
Quam vel ad Ætolæ securam cuspidis ictus
Texuit innumeri lubricus unguis apri.
Felix sorte tua! sacrum cui tangere pectus
Fas erit, et nòstri mente calere Dei.
I comes, et magnos illæsa merere triumphos,
Palmatæque ducem, sed cito, redde togæ.

antiquitas : nam lineas, coriaceas, æneas, ac ferreas fuisse constat : de singulis copiosissime Lipsius lib. III de Milit. Rom. dial. VI. —De Sarmatarum, seu Polonorum, ut hodie appellantur, telis, sæpe Ovid. lib. de Tristib. et de Ponto : qui fuerint Sarmatæ, docet Strabo lib. VII, Mela, Ptolemæus, Plinius et alii. Sarmatia duplex est, inqnit Ortelius, Europæa et Asiatica. Europæam *Russiam* hodie vocat, Asiaticam vero, *Tartariam*. ED.

2. *Martis Getico.* Qui loricatus tergore, colitur a Getis, vel qui e Getis oriundus est. Amplificat duritiem loricæ Domitiani a comparatione. Durissimas habent Getæ loricas, durior est tamen Domitiani lorica. Quia ergo Mars a Getis oriundus, armaturam illi poeta *Geticam* recte induit. *Rader.*

3. *Quam vel ad ætholias* Beverl. MS.—*Vel ad Ætolæ*, etc. Cuspidem Ætolam intellige telum Meleagri in Ætolia nati : vel Ætolam cuspidem interpretare lanceam, et quidem acutissimam; Ætoli enim, inquit Raderus, Plinio teste, lanceas invenerunt. — *Securam;* quæ non timet ictus vel maxime penetrabiles. ED.

4. *Texuit.* An lorica hæc squamis æneis aprinas ungulas imitantibus conserta fuit? an ex veris ungulis ad imitationem Sarmatarum qui (teste Pausania, lib. I), ex ungulis collectis, loricas instar draconum squameas consuebant. —*Innumeri apri.* Synecdoch. innumeri ungues aprorum. —*Lubricus*, politus.

5. *Felix sorte tua.* O felicem loricam, non tam quod ita firma et dura videare, quam quod mox a Cæsare induere, et cælestem ac divinum illius animum continebis. *Sacrum Dei.* Domitiani, qui se ipsum Deum vocabat; et qui deus erat Martiali adoratus. ED.

7. In codice Vaticano, *merge triumphos.*—*Et magnos*, etc. Et Domitianum incolumem restitue Urbi, triumphantem palmata indutum toga, cui intexebantur victoriæ cum ramulis palmarum.—*Illæsa*, quam hostium tela tangere vel fodere non potuerunt. ED.

8. *Palmatæque.* Dionysius *palmatam tunicam* χρυσόσημον semper appellat, hoc est, auro clavatam, vel aureos clavos habentem. Communes enim Romanorum tunicæ albæ erant, purpura clavatæ, quas *palmatas* dicebant a clavorum latitudine; postea tamen et ipsæ quoque pingi cœperunt, et *palmatæ* dici a picturæ genere, quod palmas scilicet intextas haberent. Postquam ergo et tunicæ quoque triumphales

pingi cœptæ sunt, et a picturæ argumento palmatæ sunt appellatæ, inde factum est, ut et pictis togis hoc idem nominis donaretur, et *palmatæ* passim ipsæ vocarentur. *Salmas.* Sed Brodæus vult, eam vestem a *palma*, id est, victoria, nomen invenisse. —*Palmatæ togæ.* Triumphantes et thensas ducentes ea utebantur: Jovis tunica dicta. Tarquinius a Tuscis accepit tunicam palmatam et omnem alium triumphantium cultum, ut Florus et alii tradidere. Erat ea purpurea et aureo lato clavo ornata, unde et palmata dicta est, quia clavus aureus palmi magnitudine erat, si Festo fides.

III.

AD PONTILIANUM.*

Cur non mitto meos tibi, Pontiliane, libellos?
Ne mihi tu mittas, Pontiliane, tuos.

* Hic nulla lectionis varietas est in libris calamo exaratis aut typis impressis.

1. *Cur non.* Verebatur poeta ne Pontilianus beneficium maleficio compensaret, sibique pro suis bonis mitteret pessima epigrammata. Ejusdem argumenti est lib. V, ep. LXXIII. Catullus, Carm. XIV, de eadem cruce ad Calvum queritur.

IV.

DE OPPIANO.*

Esset, Castrice, quum mali coloris,
Versus scribere cœpit Oppianus.

* *De Opiano* inscribitur in Ald. Junt. Colin. etc. Mox vs. 2. *Opianus* in iisdem.

1. *Esset.* Oppianus iste, de quo jam lib. VI, epigr. XLII, poesi animum applicuit, ratus, propter pallorem ex morbo contractum, se habitum iri nobilem Poetam, quales erant ii qui chartis impallescerent; Persius, Sat. v, 62; Juv. Sat. VII, 97; Horat. I, epist. 19. « Decipit exemplar vitiis imitabile: quod si Pallerem casu, biberent exsangue cuminum. » — *Mali coloris.* Valetudinarius et morbo pallidus. Lib. VI, epigr. XLII, vs. 2.

V.

AD CÆSAREM DOMITIANUM.*

Si desiderium, Cæsar, populique patrumque
Respicis, et Latiæ gaudia vera togæ;
Redde Deum votis poscentibus : invidet hosti
Roma suo, veniat laurea multa licet.
Terrarum dominum propius videt ille, tuoque
Terretur vultu barbarus, et fruitur.

* Hic nulla lectionis varietas invenienda est in exemplaribus scriptis, aut impressis.

—Palpat Domitianum, quem incredibili desiderio exspectari dicit a patria. Si te caritas civium tuorum movet; si Senatus et plebis vota non negligis, redi in Urbem. Horatius ad Augustum, lib. IV, Od. 5 : « Divis orte bonis, optime Romulæ Custos gentis, abes jam nimium diu : Maturum reditum pollicitus Patrum Sancto concilio, redi. Lucem redde tuæ, Dux bone, patriæ. »

2. *Togæ*. Gentis togatæ, Romanæ. Virg. Æneid. I, 286; « Romanos rerum dominos, gentemque togatam. » — *Gaudia vera*, ipsum Domitianum esse dicit, quo absente nullum gaudium populus sentit esse sincerum et integrum. Ed.

3. *Redde Deum*. Hoc est, Redi in Urbem. — *Invidet hosti*. Nempe quod dudum fruitur tua præsentia.

4. *Veniat laurea*, etc. Etsi magnam referres victoriam laureatis literis significatam, etc. ut epigr. seq. lauream de Sarmatis Domitianus intulit Jovi Capitolino.

5. *Terrarum Dominum*. En caussam, cur hosti Roma invideat, quia præsentem videt Dominum et Deum nostrum. — *Ille*. Hostis.

6. *Terretur*, etc. Vultu hostis et victoris. — *Fruitur*. Vultu specioso et augusto Dei : fruitur ut numine; terretur a victore : sic causam voluptatis habet ac timoris; numinis enim est et mortales terrere fulmine, et eosdem recreare clementia atque beneficiis. Vid. lib. V, epigr. III, vs. 5. Ovid. passim in Trist. et de Ponto. Martialis videtur simul laudare in Domitiano dignitatem oris amabilem, de qua ipse in senatu olim gloriatus erat Imperator. Ed.

VI.

DE FAMA REDITUS DOMITIANI.*

Ecquid Hyperboreis ad nos conversus ab oris
  Ausonias Cæsar jam parat ire vias?
Certus abest auctor, sed vox hoc nuntiat omnis:
  Credo tibi; verum dicere, Fama, soles.
Publica victrices testantur gaudia chartæ;

Μῶν ἀφ' Ὑπερβορέων ὁρμώμενος εἶσι πρὸς ἡμᾶς
  Ἤδη ἐς Ἰταλίης Καῖσαρ ἕτοιμος ὁδούς;
Πᾶς μέν φησι· λόγου δ' αὐτάγγελος οὐ πάρα· σοὶ δὲ
  (Σὸν γὰρ ἀληθεύειν), ὦ Φάτι, πειθόμεθα.
Πάνδημόν γε χαρὰν νικηφόρα γράμματα φωνεῖ·

* De reditu Cæsaris ait, passim rumores spargi, sed absque auctore: rogat Cæsarem, ut ipse auctor nuntiusque sit triumphi, et mox veniat. *Rader.*

1. *Ecquid Hyperboreis.* De Sarmatia, regione ad Septemtrionem, vide epigr. 11, supra.

2. *Ausonias.* Italas: Italia enim Ausonia dicta est ab Ausone Ulyssis et Calypsus filio.

3. *Certus adest auctor* exhibet codex Vaticanus.—*Certus abest auctor.* Auctorem certum non habemus, fama tamen constans est, et famæ fidem habere lubet.

4. *Verum dicere.* Immo falsum dicere solet fama. Virg. Æn. IV, 190: « Facta atque infecta canit. » Tamen videtur Poeta intelligere tunc Famam solere dicere verum, quum constanti omnium sermone aliquid celebratur; Domitiani vero reditum omnes renuntiabant. Vel quod facile credimus, quod cupimus.

5. *Publica.* Si litteræ Romam missæ testantur venturum principem, quid est quod dicat, *Certus abest auctor?* litteras intellige missas de victoria Cæsaris adversus Sarmatas, non de adventu: quamquam poeta recte conjiciat, venturum principem bello patrato, argumento a litterarum testimoniis ducto. — *Victrices chartæ.* Reportata victoria solebant duces Romani vel ad Senatum, vel ad principem mittere laureatas literas, indices victoriæ, cujus insigne est laurus. Livius, Decad. 1, lib. V: « Literæ a Posthumio laureatæ sequuntur victoriam populi Romani. » Plin. XV, cap. ultimo: Tacit. Hist. lib. III, 77: Pers. sat. VI, 43. Ed.

Martia laurigera cuspide pila virent.
Rursus, io, magnos clamat tibi Roma triumphos,
Invictusque tua, Cæsar, in urbe sonas.
Sed jam lætitiæ quo sit fiducia major,
Sarmaticæ laurus nuntius ipse veni.

Χλῶρ' ἐπὶ τῆς κορυφῆς ἔγχεα δαφνοφορεῖ·
Δεύτερον ἡ Ῥώμη σοι ἰὼ Παιὰν ἀλαλάζει,
Αἰὲν ἀνίκητον σεῖο πόλις σε βοᾷ.
Ἀλλ' ἵνα χαρμοσύνης πίσυνοι δραττώμεθα μᾶλλον,
Σαρματικῆς νίκης ἄγγελος αὐτὸς ἵκου.

6. *Laurigera*, etc. Pila et hastæ militum victoriam testantur laureata. Lauro enim et frondibus festis ornabantur pila ἐν καθορθώμασι καὶ νίκαις. Plin. l. XXXV, c. ult. « *Ipsa pacifera* (laurus scil.) *ut quam prætendi etiam inter armatos hostes, quietis sit indicium. Romanis præcipuæ lætitiæ, victoriarumque nuncia additur litteris, et militum lanceis, pilisque.* » Quare e Romano more Seneca in Agamemnoue : « Sed ecce vasto concitus miles gradu Manifesta properat signa lætitiæ gerens: Namque hasta summo lauream ferro gerit. » Herald.

7. *Io, magnos clamat*, etc. Vox est triumphi solemnis: « *Ipse gerens laurus, lauro devinctus agresti, Miles Io magua Voce* triumphe, *canet:* » Tibull. lib. II, Eleg. vi. Vid. Horat. epod. 9; et IV, Od. 2, vs. 49. Ovid. Metamorph. I, 560; Amor. I, Eleg. 11; Trist. IV, Eleg. 11.

8. *Invictusque*. Vocaris jam et proclamaris a toto populo, *invictus Imperator*. Est enim hoc solemne Imperatorum elogium, ut dicantur *Invicti:* quod veteres inscriptiones sæpe ostendunt. *Rader.*

9. *Sed jam lætitiæ*. Sed ut expleatur populi desiderium et gaudium, propera in Urbem, et ipse nuncius esto tuæ victoriæ.

10. *Nuntius ipse veni*. Tu ipse, o Domitiane.

VII.

AD CÆSAREM DOMITIANUM.*

HIBERNA quamvis Arctos, et rudis Peuce,

* Argumentum de desiderio et amore populi romani erga principem absentem. Quasi dicat: Quamvis procul ab Urbe in hostico ad Septentrionem degas; attamen es præsens animis et votis nostris.

1. *Hiberna*. Quamvis te detineant a nobis bella in regionibus septem-

Et ungularum pulsibus calens Ister,
Fractusque cornu jam ter improbo Rhenus,
Teneat domantem regna perfidæ gentis,
Te, summe mundi rector, et parens orbis,
Abesse nostris non tamen potes votis.
Illic et oculis et animis sumus, Cæsar;
Adeoque mentes omnium tenes unus,
Ut ipsa magni turba nesciat Circi
Utrumne currat Passerinus, an Tigris.

trionalibus. — *Rudis*. Rudem credo vocat, a barbarie Peucinorum. Arrianus, lib. I, et Poeta infra. — *Peuce*. Insula magna ad primum Istri ostium, teste Strab. lib. VII.

2. Codex Vaticanus exhibet : *carens Ister*. — *Et ungularum*. Vide Ovid. Trist. III, x, 29 : « Cæruleos ventis latices durantibus, Ister Congelat, et tectis in mare serpit aquis. Quaque rates ierant, pedibus nunc itur; et undas Frigore concretas ungula pulsat equi », etc. — *Calens*. Ut Virgil. dicit *semitam fervere*, quia, ubi maximus motus, calor nascitur.

3. *Fractoque cornu jam ter improbus Rhenus* codex Florentinus. — *Fractusque cornu*. Metonymia est : fractum Rhenum ter dicit pro victis Batavis et Germanis et Cattis : alludit autem noster poeta ad fluviorum cornua. Virgil. Æn. lib. VIII, 77 : « Corniger Hesperidum fluvius regnator aquarum. » Et vide etiam lib. IX, epig. CII, vs. 17 : « Cornua Sarmatici ter perfida contudit Istri. » Ælian. Var. Hist. II, 33.

4. *Teneat*. Quamvis, o Cæsar, ibi occupatus sis et detinearé, in coercendis rebellibus. — *Perfidæ gentis*. Rebellis et contumacis.

5. Juntina nostra in margine : *te parens urbis* : codex Pulmanni : *et parens orbis*.

8. *Adeoque*. Omnes enim a spectaculis avertuntur, quum aliquid narratur de tuo reditu, aut de tuis victoriis, ita ut mentes nostræ quondam ludis attentæ, jam tibi peregrinatæ, nesciant quid in Circo agatur.

10. *Passarinus* legitur in codice Palatino. Hæc sunt nomina athletarum. Vide Salmas. ad Solinum. — *Passerinus*. Equus : habet enim tabula equorum Circensium, apud Onuphrium, nomen Passerini equi Circensis. Legendum censet Salmasius : « Ut turba magni sæpe nesciat Circi, Utrumne currat Passerinus an Tigris. » Passerini et Tigridis nominibus, qui in illa ætate equi fuerunt celeberrimi, duas quadrigas intelligi debere certum est, in quibus equi illi funales sinistri erant. Non vero illi equi singulares currebant, sed in curru juncti. Per Passerinum ergo intelligit currum, ad quem Passerinus fuit præcipuus equus. Idem dici oportet et de Tigri. Vid. lib. XII, epigramma XXXVI, vs. 12. — *Passerinus*, niger; *Tigris*; maculosus equus. ED.

VIII.

DE REDITU DOMITIANI.*

Nunc hilares, si quando mihi, nunc ludite, Musæ;
Victor ab Odrysio redditur orbe Deus.
Certa facis populi tu primus vota, December;
Jam licet ingenti dicere voce, Venit.
Felix sorte tua! poteras non cedere Jano,
Gaudia si nobis, quæ dabit ille, dares.
Festa coronatus ludet convicia miles,

* Quum nunciatum esset Domitianum venturum in Urbem, eumque jam esse in itinere, alloquitur Poeta, primum Musas, deinde Decembrem, quem dicit et Januario antepoui potuisse, si redux Cæsar ipso Decembri venisset in Urbem. Postremo dicit, sua carmina valde convenire tempori, esse enim illa jocosa; mox etiam militem jocos in triumpho dicturum. *Rader.*

1. *Nunc hilares*, etc. Si unquam aliis carminibus lusi, nunc poscit tempus, ut læta canam.

2. *Victor ab Othrysio* Plant. Juniau. Lang. Delph. aliæ. *Victor ab Odrysio* codex Pulmanni; et sic Ald. Junt. Colin. Gryph. et aliæ vett. — *Odrysio*, etc. Septemtrionali, ubi Odrysa Thraciæ urbs versus Pontum Euxinum. — *Othrysio.* Othrys mons Thraciæ. Othrysæ, vel Odrysæ populi sunt Thraciæ, quos aliqui hodie vocant, *Moldavenses.* Claudianus tamen de III Consul. Honor. vs. 147; « Othrysium pariter Getico fœdavimus Hebrum Sanguine. »

3. *Certa facis.* Mense enim Decembri litteræ Romam sunt allatæ de reditu Domitiani, quem populus votis omnibus exposcebat.

5. *Poteras non.* Sensus est : Si mense Decembri Urbem ingressurus esset Cæsar, poterat ille non cedere Januario, a Jano Deo, in cujus honorem multa sacrificia fiebant, sic dicto, Ovid. Fast. I, quo nempe mense Romam erat rediturus Cæsar. December felix quod reditum nuntiavit; felicior foret, si videre præstaret Cæsarem ingressum Romam. Ed.

6. *Gaudia si nobis, quæ dabat* ed. antiq. Ferr. an. 1471. Ald. Junt. Colin. Gryph. et Lang. *dabit* codex Pulmanni; recte : eo quod Domitianus a subacta Germania non ante Januarium rediturus erat Romam. Vide lib. VIII, epigr. VIII.

7. *Festa coronatus.* Triumphum comitari milites lauro coronati, et in ipsum Imperatorem jocosa convicia jacere solebant. Lib. I, v, vs. 3. Appianus scribit tubicinas etiam militibus permixtas, immo totum

Inter laurigeros quum comes ibit equos.
Fas audire jocos, levioraque carmina, Cæsar,
Et tibi : si lusus ipse triumphus amat.

populum coronis in diebus triumphorum ornatum fuisse. Ed.

8. *Inter laurigeros.* Ovid. Trist. IV, 2, 21 : « Vinclaque captiva reges cervice gerentes, Ante coronatos ire videbit equos. »

9. Codex Vaticanus, *leviori carmine.* — *Levioraque.* Hoc est, audire mea epigrammata jocosa.

10. *Sit tibi, si lusus* ed. antiq. Ferrar. an. 1471. Ald. Juni. Colin. Gryph. Plant. Junian. Pulman. Calderin. Lang. Delph. aliæ. *Et tibi, si lusus* codd. Vat. et Gruteri, qui primus in textum recepit. Janus Rutgersius legendum censet : *Et tibi sit : lusus ipse.* — *Lusus ipse.* Solemnis enim et magnificus triumphus, admittit quosvis, et quorumvis militum ac hominum jocos.

IX.

DE CASCELIO.*

Quum sexaginta numeret Cascelius annos,
Ingeniosus homo est : quando disertus erit?

* *De Casselio* inscribitur in edd. vett. quæ versu primo exhibent etiam, *Casselius* : Beverlaudi MS. *Cascellius.* — Jactabat se Cascelius de ingenio ἑξηκονταετής, volebatque videri doctus. Poeta, nimis sero te, inquit, ingeniosum dicis; a puero requirebatur ad doctrinam futuram ingenium. *Disertus*, cultum ingenii, disciplinam, artem et studium; *ingenium* naturam hominis spectat.

2. *Quando disertus erit.* Disertus scil. futurus post ducentos annos, et acturus causas apud inferos, in quo tandem sexagenario ingenium ad doctrinam futuram elucere incipit. — *Quando?* Nunquam : hactenus enim nihil studuit, et in posterum non poterit; ætas enim negat.

X.

IN OLUM.*

Pædicatur Eros, fellat Linus : Ole, quid ad te,

* *In Olum fugitivum* lemma est in Beverlandi MS.

1. *Pædicatur Oros* in edd. vett. *Pædicatur Orus* codex Florentinus.

De cute quid faciant ille, vel ille, sua?
Centenis futuit Matho millibus : Ole, quid ad te?
Non tu propterea, sed Matho pauper erit.
In lucem cœnat Sertorius : Ole, quid ad te,
Quum liceat tota stertere nocte tibi?
Septingenta Tito debet Lupus : Ole, quid ad te?
Assem ne dederis, erediderisve Lupo.
Illud dissimulas, ad te quod pertinet, Ole,
Quodque magis curæ convenit esse tuæ.
Pro togula debes : hoc ad te pertinet, Ole.
Quadrantem nemo jam tibi credet : et hoc.
Uxor mœcha tibi est : hoc ad te pertinet, Ole.
Poscit jam dotem filia grandis : et hoc.
Dicere quindecies poteram, quod pertinet ad te :

Pitus pro *Linus* in codice Vaticano. *Ole quid ad te? De cute quid faciat*, etc. exhibent edd. vett. *Olle, quid ad te De cute quid faciant ille vel ille sua?* legendum censet Salmasius; nam « de alieno corio ludere » proverb. in eos dicitur qui de alieno liberales : sed chamæleon non de alieno, sed de suo plane corio ludit, quod ita pro libitu versipelle habet ac versatile. Vide Turneb. lib. XXIV, cap. 28. — *Pædicatur Eros*, etc. Olus aliis obtrectabat, aliosque prodigere sua dicebat, quum et ipsemet nihil haberet.

2. *Faciant* etiam exhibet codex Florentinus; alii *faciat*.

5. *In lucem cœnat*. Pernox in comessationibus, compotationes in lucem protrahit; sic l. I, epigr. XXIX.

7. *Septingenta*. Sestertia nempe.

8. *Assem num dederas crediderasve Lupo?* legit Antonius *de Rooy*. — *Assem ne dederis*. Si te sollicitum reddunt nomina Lupi quæ Tito debet; tu nil illi credas, cura vacabis.

11. *Pro togula debes*. Nondum solvisti togam, quam gestas; hoc taces et dissimulas, aliorumque debita recenses.

12. *Jam tibi credis*, codex Palmanni. — *Quadrantem*. Hoc est, quartam assis partem.

14. *Poscit jam dotem*. Nam filiæ debitor est pater, quum eam dotare teneatur; lib. XIX, D. de ritu nupt. l. 1 §. Quare Artemidorus observat eleganter, filias in somnis sumptum et damnum portendere, quia dos iis debetur. *Herald.*

15. Ald. Junt. Colin. Gryph. Plant. Junian. Lang. et Delph. *quid pertinet ad te?* Lectionem nostram testatur codex Palmanni. — *Dicere quindecies*. Sensus est : Ole, tam curiosus es in alienis negotiis, ut pluries dicere tibi nec immerito potuerim : Quid ad te?

Sed quid agas, ad me pertinet, Ole, nihil.

16. *Sed quid agas*, etc. Sed neque ego in aliena rep. curiosus, neque tu aut tua tanti. — Poetæ objicere poterat Olus : Quid tu, o Martialis, satagis rerum mearum? Quapropter illum occupat Poeta.

XI.

AD AULUM PUDENTEM.*

Cogis me calamo manuque nostra
Emendare meos, Pudens, libellos.
O quam me nimium probas, amasque,
Qui vis archetypas habere nugas!

* *Ad Pudentem* inscriptio est in Ald. Junt. Colin. Gryph. Pulman. Plant. Junian. Lang. etc.

1. *Cogis me*. De Pudente jam dictum lib. I, epigr. XXXII. Nescio an hic idem sit : utut est, Poetæ erat amicissimus, qui in memoriæ simul et amicitiæ argumentum ab illo peteret versus propria ejus manu scriptos et emendatos, quos Martialis vocat *archetypas nugas*, primum exemplar. In magno pretio solent haberi monumenta ipsorum auctorum Archetypa.

3. *Nimium probas*. Nam si in meis versibus aliqua fuerint menda, in librarium culpam rejicere handquaquam potero.

XII.

AD FAUSTINUM.*

Sic me fronte legat dominus, Faustine, serena,
Excipiatque meos, qua solet aure, jocos;

* Clancularius poeta, ut Nostro periculum crearet, famosa quædam carmina Martialis nomine ediderat. Jurat Poeta nihil a se scriptum, quod cuiquam ruborem adferret, aut notam inureret. *Rader.*

1. *Sic me fronte*. Hoc est, Sic me legat et amet Domitianus, quem maxime lectorem velim, ut ego nec lædo quos etiam jure odi.

2. *Qua solet aure*; id est, solita benignitate et indulgentia Ed.

Ut mea nec, juste quos odit, pagina lædit,
Et mihi de nullo fama rubore placet.
Quid prodest, cupiant quum quidam nostra videri,
Si qua Lycambeo sanguine tela madent?
Vipereumque vomant nostro sub nomine virus,
Qui Phœbi radios ferre diemque negant?
Ludimus innocui : scis hoc bene : juro potentis
Per genium Famæ, Castalidumque gregem :
Perque tuas aures, magni mihi numinis instar,
Lector, inhumana liber ab invidia.

3. Ald. Junt. et Col. *pagina lesit.*

4. *Mihi de nullo*, etc. Non famam capto ex aliena infamia; vid. Epist. lib. I, not. 2, pag. 51, vol. I, edit. nostræ, ubi hæc explico. Ed.

6. *Si qua Lycambeo.* Archilochus Poeta Lacedæmonius versus iambicos tam acerbos scripsit in Lycamben, quod desponsam ipsi suam filiam negavisset, ut laqueo suspendere se simul cum filia illum coegerit. Sensus est : Quid prodest occulto poetæ versus mordaces et contumeliosos edere, quum omnes noverint candidum meum ingenium? Vid. X, III et XXXIII.

8. *Qui Phœbi radios.* Qui non audent versus suo nomine edere in lucem.

9. *Ludimus innocuis verbis hoc juro* ed. antiquiss. Ferrar. an 1471. Ald. Junt. Colin. Gryph. Pulmau. Delph. etc. Lectionem nostram testantur codd. Bodl. Thuan. et Florent. quam restituit Scriverius.

10. *Castaliumque* in codd. Pulmanni, Thuan. Vat. et Florent. *Castalidumque cetum* Juntina nostra in margine, i. e. *cœtum*, metro obstante; *cetum* et *gregem* non multum differunt in codd. ob similitudinem literarum *t* et *c*, et *c* et *g*, charactere Longobardico. Ex mendosa hac lectione facile eruas *chorum*, quod propius accedit ad literarum tractum in voce *gregem*. Sic « Pieridum chorus » ap. Ovid. Trist. V, III, 10; «Pierii chori» ex Pont. V, I, 58; « Naiadum chori » Fast. I, 512. Cf. Fast. V, 80; Nostri I, LXXVII; VII, LXIX; XII; III, et sic passim apud poetas. *Grex* proprie dicitur de quadrupedum congregatione, atque translate de vili hominum multitudine usurpatur. Cicero tamen et Terent. de hominum numero bono sensu utuntur. Confer. Nostri lib. IX, epigr. LXXXVII, et lib. XII, epigr. XI, ubi de lectione *grege* non dubitari potest. — *Per genium Famæ.* Me innocuum esse a maledicentia, juro per famam nominis mei, et per tuum favorem, lector. *Genius* enim est rei cujuscumque gratia, venus, lepos. Vid. lib. VI, epigr. LX, vs. 10.

11. *Numinis instar.* Lectori, tanquam Deo suæ sortis arbitro, preces fundit ac vota nuncupat scriptor; ut Jul. Cæsar Romæ quam *summum numen* vocat et precatur, in Pharsal. lib. I, vs. 199. Ed.

XIII.

DE LYCORIDE.

Dum Tiburtinis albescere solibus audit
Antiqui dentis fusca Lycoris ebur,
Venit in Herculeos colles : quid Tiburis alti
Aura valet? parvo tempore nigra redit.

1. Gruterus ex codice Palat. primus dedit, *albescere solibus;* quicum consentiunt codex Florentinus et egregius iste Thuan. quem contulit Gronovius. *Albescere collibus* exhibent edd. vett. et alii qui nuper reduxerunt vulgatum; scilicet ignari *soles* κατ' ἐξοχὴν pro aprico et delicato sole dici. Florus de Hannibale : « invictum Alpibus, indomitum armis, Campaniæ soles et tepentes fontibus Baiæ subegerunt. » Ovidius Fast. I, 157 : « Tum blandi soles, ignotaque prodit hirundo » ; et lib. II, 366 : « Solibus et campo corpora nuda dabant ». Id. Metam. XIII, 793 : « Solibus hibernis, æstiva gratior unda. » Noster lib. VI, ep. XLIII, vs. 5 : « Baiani soles » ; et lib. X, ep. LI, vs. 6 : « O soles, o tunicata quies ». — *Dum Tiburtinis.* De Lycoride idem est argumentum lib. IV, ep. LXII, ubi egimus de cælo Tiburtino ; et lib. I, epigr. LXXIII, vs. 5. Ed.

2. *Antiqui dentis.* Id est, vetusti eboris, quod fit ex dente elephantis : fit etiam ex aliis ejusdem belluæ ossibus, si credas Plinio. Ed.

3. *Quid Tiburis alti Aura.* Silius Italicus, Pun. lib. XII, 229 : « Quale micat, semperque novum est, quod Tiburis aura Pascit ebur : » ibi *pascit* pro, sustentat et conservat. Vid. infra VIII, XXVIII, vs. 12. Ed.

4. *Nigra redit.* Lycoris audierat cælo Tiburis ebur ex vetustate reparari et ad primum nitorem redire : ergo venerat Tibur, quia *fusca*, cupiebat colorem suum mutari. Poeta credulam ridet, quæ sibi *nigræ*, quod ebori *candido* factum, speraverat : nam *nigra* rediit, quæ *nigra* venerat. Ed.

XIV.

AD AULUM, DE LUCTU SUÆ PUELLÆ.*

Accidit infandum nostræ scelus, Aule, puellæ,

* *De sua Puella* lemma est in Ald. Junt. Colin. Gryph. Pulman. Calderin. Plant. Junian. Lang. etc.

1. *Infandum scelus.* Parcarum

Amisit lusus deliciasque suas :
Non quales teneri ploravit amica Catulli
Lesbia, nequitiis passeris orba sui;
Vel Stellæ cantata meo, quas flevit Ianthis,
Cujus in Elysio nigra columba volat.
Lux mea non capitur nugis, nec amoribus istis,
Nec dominæ pectus talia damna movent.
Bis denos puerum numerantem perdidit annos,
Mentula cui nondum sesquipedalis erat.

nempe : ad finem usque epigrammatis mentem lectoris lepide suspendit Poeta : ait enim puellam suam amisisse lusus et delicias; et quoniam Lesbis passerem, Violantilla columbam perdidit, putamus tale aliquid amicæ Martialis accidisse; sed aliud est, obsceno sensu insignius, quod ultimo versu declarat. Hoc lascivæ nequitiæ genus nimium feliciter æmulatus est epigrammatibus suis Nostras *J. Bapt. Rousseau*, magnus Lyrici carminis artifex. Ed.

4. *Lesbia.* Vide Catulli Carm. II de passere mortuo Lesbiæ.

5. In edd. sup. citat. *quam flevit Hiantis :* Beverlandi MS. *modo quam flevit Ianthis.*—*Vel Stellæ cantata.* Id est, columba, de qua lib. I, epigr. VIII. De *Ianthide* uxore Stellæ vide lib. VI, epigr. XXI.

6. *In Elysio.* Hoc est, cujus columbæ umbra est apud Inferos, secundum Antiquorum opinionem, qui existimabant mortuorum omnium animalium umbras esse in Inferis.

7. Codex Florentinus: *neque amoribus istis;* codex Vaticanus : *neque moribus istis;* et sic Gruterus e codice Palatino.

XV.

AD ARGINUM PUERUM IANTHIDOS.*

Quis puer hic nitidis absistit Ianthidos undis,

* *Ad Arginum puerum* inscribitur in edd. vett.

1. Nonnulli legunt : *adsistit Hiantidos;* et sic est in codice Pulmanni. — *Puer hic nitidis.* Arginus scilicet. — *Absistit Ianthidos.* Qui abstinet, qui refugit. Alii *adsistit.* — *Undis.* De hoc fonte vide lib. VI, epigr. XLVII. In ædibus Stellæ erat fons, cujus Nympham a Violantilla, seu Ianthide, Stellæ uxore, Ianthidem denominat, ad quam

Et fugit ad dominam Naiada? numquid Hylas?
O bene, quod sylva colitur Tirynthius ista,
Et quod amatrices tam prope servat aquas!
Securus licet hos fontes, Argine, ministres;
Nil facient nymphæ: ne velit ipse, cave.

Violantillam confugiebat hic servus, ne a Nymphis raperetur. Vide lib. VI, epigr. XXI.

2. *Et fugitat dominam* Beverlandi MS. *Naida* legit Gronovius, ut est in omnibus vett. Vide ad lib. VI, epigr. LXVIII. — *Et fugit ad dominam Naiada.* Argini effigiem intellige positam in nemore propter fontem, ut modicum intervallum interesset. Ideo fingit Poeta puerum sic locatum, quasi vereretur casum Hylæ, quem, quum appropinquasset nimium aquæ, Nympha rapuit. De hoc Hylæ raptu vid. lib. V, epigr. XLIX.

3. *O bene*, etc. O bene tibi est, quod proximo nemore cultus Hercules tibi præsidio est et tutela, ne rapiaris a Nymphis te amantibus. Epigr. L infra. *O bene, quod*, usitata φράσις et elegans. Ovid. Trist. lib. I. Eleg. II, 41: « O bene, quod non sum mecum conscendere passus. » Sic Græcis ὡς εὐτυχῶς ὅτι.

4. Beverlandi MS. *jam prope.*

5. *Argynne* codex Florent. — *Securus*, etc. Sine metu potes ex hoc fonte haurire aquam, quam ministres. Ianthis Nympha hujus fontis non rapiet te, ut Hylam quondam Nymphæ fl. Ascanii: cave aut ab Hercule ab ipso Stella.

6. *Nil faciunt Nymphæ* Ald. Junt. Colin. Gryph. Pulman. Junian. Plant. Lang. Delph. aliæ.

XVI.

AD REGULUM.

Æra domi non sunt; superest hoc, Regule, solum,
Ut tua vendamus munera: numquid emis?

1. *Regule tantum* ed. antiquiss. Ferrar. an. 1471. Ald. Junt. Colin. Calderin. Gryph. Plant. Junian. Lang. Delph. etc. *Regule solum* codex Pulmanni; et sic Grut. Scriv. Farnab. Schrevel. et recentt. — *Superest hoc.* Nihil quicquam habeo domi, præter munera quæ a te accepi: hoc autem facete dicit Poeta sperans Regulum ea non redempturum, sed liberaliter subventurum suæ inopiæ. De Regulo dictum lib. I, epigr. XIII.

2. *Numquid emes*, Beverlandi MS.

XVII.

AD BIBLIOTHECAM JULII MARTIALIS.*

Ruris bibliotheca delicati,
Vicinam videt unde lector Urbem;
Inter carmina sanctiora si quis
Lascivæ fuerit locus Thaliæ,
Hos nido licet inseras vel imo,
Septem quos tibi mittimus libellos,
Auctoris calamo sui notatos :
Hæc illis pretium facit litura.
At tu munere dedicata parvo,
Quæ cantaberis orbe nota toto,
Pignus pectoris hoc mei tuere,
Julî bibliotheca Martialis.

* Autographum septem librorum epigrammatum dedicat bibliothecæ Julii Martialis, cujus hortos et villulam elegantem in Janiculo suburbano descripsit.

1. *Rudis bibliotheca* in codice Vaticano.

4. *Lascivæ Thaliæ*. Hoc est, jocosis meis carminibus. Vide lib. IV, epigr. VIII, vs. 12.

5. *Hos modo licet* in Vatic. cod. *inseras vel uno* codex quidam apud Beverlandum. — *Nido imo*. Infima statione, ordine : *nidi* enim foruli sunt librorum, in quibus velut capsis, certo ordine graduque reponuntur, ut diximus, lib. I, epigr. CXVIII, vs. 15. — *Nido vel imo*. Hoc est, vel in ultimo ordine collo-ces, modo collocatum aspiciam.

8. *Hoc illis pretium* codd. Vat. et Florent. — *Hæc illis pretium*, etc. Quod auctoris autographi sunt, et quos epigr. x supra, dixit archetypos. — *Litura*. Et majori in pretio erunt, quod manu mea exaratos vere eos fuisse, ex litura multiplici facile patebit.

9. *Tu munere*. Cui consecro et dono hos libellos meos. — *Dedicata*. Donata, consecrata. Bibliothecæ enim Musis et Apollini sacræ erant. Dedicabantur et statuæ et imagines in bibliothecis.

10. *Nota*. Carmine meo.

11. *Pectoris hoc mei pignus*, librum scilicet quo eum donavi, et qui amicitiæ magnæ *pignus* parvum est.

XVIII.

IN GALLAM.

Quum tibi sit facies, de qua nec femina possit
  Dicere; quum corpus nulla litura notet;
Cur te tam rarus cupiat, repetatque fututor,
  Miraris? Vitium est non leve, Galla, tibi.
Accessi quoties ad opus, mixtisque movemur
  Inguinibus; cunnus non tacet, ipsa taces.
Di facerent, ut tu loquereris, et ipse taceret!
  Offendor cunni garrulitate tui.
Pedere te mallem : namque hoc nec inutile dicit
  Symmachus, et risum res movet ista simul.
Quis ridere potest fatui poppysmata cunni?
  Quum sonat hic, cui non mentula mensque cadit?
Dic aliquid saltem, clamosoque obstrepe cunno :
  Et si adeo muta es, disce vel inde loqui.

1. *De qua nec.* Id est, nec ulla fœmina, ergo nemo, potest deformitatem notare in tuo corpore.

2. *Dicere,* etc. Se talem habere nequeat, seu tibi contendere, tibi se æquiparare; præferre saltem non ausit. — *Nulla litura notet.* Quum non opus sit ut lomento rugas uteri condas, quæ nullæ sunt. Vide lib. III, epigr. XLII. Aliter intelligit Poeta nullam mendam, aut nævum esse in toto corpore pulcherrimæ, quam tamen carpit, puellæ.

7. *Et ille taceret,* Pulmanni codex.

9. *Pedere,* crepitum ventris emittere: Horat. I, Sat. 8, vs. 46. Noster, X, epigr. XIV; et XII, epigr. LXXVII.

11. *Poppysmata.* Vox fictitia, a sono quo equis necdum domitis blandimur. Politianus Miscell. cap. 32 : demulsio, attrectatio blanda, ut quæ fit ad cicurandum equum. Vide lib. III, epigr. LXXII, vs. 8.

XIX.

DE FRAGMENTO ARGUS.*

FRAGMENTUM, quod vile putas et inutile lignum,
 Hæc fuit ignoti prima carina maris.
Quam nec Cyaneæ quondam potuere ruinæ
 Frangere, nec Scythici tristior ira freti.
Sæcula vicerunt: sed quamvis cesserit annis,
 Sanctior est salva parva tabella rate.

* De Argo nave, doctissime disertissimeque unus in paucis Hieronymus Columna ad Ennii Medeam disputat, pag. 314. Hujus fragmentum tempore Martialis Romæ exstabat, in quod est hoc epigramma. *Rader.*

1. *Fragmentum.* Navis scilicet Argus, quod Romæ tunc ostendebatur. De illa nave et Argonautis vide Valerii Flacci poema.

2. *Hoc fuit* Beverlandi Ms. — *Ignoti prima*, etc. Non prius tentati mortalibus; « Nullaque mortales præter sua litora norant. » Argonautas primum tentasse mare navigio volunt poetæ.

3. *Cyaneæ quondam*, etc. Duæ insulæ in Ponti Euxini ostio, quæ et Symplegades, vel Syndromades vel Planctæ dictæ sunt, quod eminus intuentibus moveri loco et in se incurrere videbantur: Argonautæ non sine periculo, mutilata summa puppis parte, has transmisere, Phinei monitu, præmissa viæ duce columba. *Ruinæ* addit, quia ad Cyaneos hosce scopulos, naufragiis infames, magnum adiere discrimen. Vide quæ ad vs. 1210 Herc. fur. et vs. 341 Medeæ Senecæ notavit Farnabius.

4. Edd. vett. habent, *unda freti:* Pulmanni codex, *ira freti;* et sic Plant. Junian. Delph. Grut. Scriv. Farnab. Schrevel. et recentt. — *Ira freti.* Hoc est, tempestas Ponti Euxini.

5. *Sæcula vicerunt, et quamvis* Beverlandi MS. — *Secula vicerunt*, etc. Fluctus, scopulos, Syrtes prætervectam et superantem, vicit tandem ætas; hoc est, et quæ nullis cesserat fluctibus, scopulis, Syrtibus, cessit tandem tempori, quod exedit, consumitque omnia.

6. *Sanctior est*, etc. Fragmentum hoc religione et antiquitatis veneratione vel ipsam integram, vel alias quasvis naves superat.

XX.

IN SANCTRAM.*

Nihil est miserius, nec gulosius Sanctra,
Rectam vocatus quum cucurrit ad cœnam,
Quam tot diebus, noctibusque captavit;
Ter poscit apri glandulas, quater lumbum,
Et utramque coxam leporis, et duos armos :
Nec erubescit pejerare de turdo,
Et ostreorum rapere lividos cirros.
Buccis placentæ sordidam linit mappam.
Illic et uvæ collocantur ollares,

* Raptorem cœnarum, et venditorem earumdem Sanctram describit.

1. *Miserius.* Tum labore et officiis quibus cœnam captavit : tum maxime avaritia, qui analecta vendidit. — *Gulosius Sanctra.* Rapacius, qui tantum suffuratus est.

2. *Rectam vocatus.* Quam revocaverat Domitianus, sublatis sportulis. Vide lib. II, epigr. LXIX. *Recta* cœna, sive honesta et liberalis, in qua clientes *vocati* accumbebant cum patronis. Ed.

4. *Ter poscit.* Liberaliores convivatores clientibus et convivis potestatem faciebant posceudi, quæ vellent. — *Glandulas.* Vide lib. III, epigr. LXXXI, vs. 20. Sunt carnes quædam callosæ et delicatæ circa cervicem apri : lumbus vero est media pars apri in tres partes divisi. Ed.

5. *Utramque coxam.* Coxa posteriorum pedum pars est superior; armus, anteriorum : leporis utraque optima. Ed.

6. *Pejerare.* Hoc est, quum subduxit turdos, non pudet ipsum jurare sibi non fuisse appositos.

7. *Ostreorum lividos cirros.* Cirri proprie crines sunt; sed hic sumuntur pro fibris ostreorum carnis colorem referentibus, unde *lividos* vocat. Sensus est : Ab illo helluone rapi etiam ostrea. Forte per *ostrea* intelligam locustas, astacos, squillas et cancros quorum pedunculi et caudæ, velut cirri, crispantur et protenduntur. Ed.

8. *Dulci placenta* ed. ant. Ferrar. an. 1471. Ald. Junt. Colin. Gryph. Plant. Junian. Lang. Delph. aliæ. *Dulcis placenta* Pulmanni codex. *Buccis placentæ* codex Florentinus, pro « bucceis », i. e. frustulis. — *Buccis placentæ.* Quam et clam subductam mappa involvebat. Lib. X, epigr. V; et lib. III, epigr. VII.

9. *Uvæ ollares.* Quæ nempe in

Et Punicorum pauca grana malorum,
Et excavatæ pellis indecens vulvæ,
Et lippa ficus, debilisque boletus.
Sed mappa quum jam mille rumpitur furtis,
Rosos tepenti spondylos sinu condit,
Et devorato capite turturem truncum.
Colligere longa turpe nec putat dextra
Analecta, quidquid et canes reliquerunt.
Nec esculenta sufficit gulæ præda,
Mixto lagenam replet ad pedes vino.
Hæc per ducentas quum domum tulit scalas,

ollia servabantur. Plin. V, c. 17; Colum. XII, c. 43. Ed.

11. *Et excavatæ pelvis*, Beverlandi MS. — *Et excavatæ*. Exesa enim carne sola pellis supererat. Apicius, lib. VII, cap. 1. Ed.

12. *Et lippa ficus*. E qua matura lacteus humor, lippitudinis instar, fluit. — *Debilisque boletus*. Quia parum durat, non optimus, inquit Farnabius: immo recisus vel nullo aut debili caule. *Gronovius*. — Quidni mollem et tenerrimum intelligas, velut quæ apud helluones istos maxime in pretio et deliciis, *anseris medullula*, etc. Ed.

13. *Rumpitur cunis*, codex Florentinus. — *Mille furtis*. Hoc est, esculentis in mappa involutis.

14. *Spondylos sinu condit*. Vertebrasne animalium? an pisces, cum Macrobio et Seneca, qui vulgo *schinoli*? an salsamenta, cum Athenæo? Salmasius vero de aliis spondylis non hoc intelligendum dicit, quam de ostrearum cervicibus. Petronio cochlearum cervices dicuntur, qui Græcis τράχηλοι. — *Spondyli* sunt etiam vertebræ quibus constat spina dorsi. Plin. XXXII, c. 11. Ed.

15. *Indevorato capite* Ald. Junt. Colin. Gryph. etc. Sed Plant. Junian. et Delph. *Inde vorato capite*. — *Et devorato*, etc. Sanctra turturem capite detracto furatus est.

16. *Nec pudet* ed. antiq. Ferrar. ann. 1471. Aldin. Juntin. Colin. Gryph. Lang. Plant. Junian. Pulman. Delph. aliæ. Lectio nostra debetur Dousæ P., probante Pulmanno. — *Longa*. Porrecta: longæ latronum manus.

17. *Analecta*. Quæ sub mensam cadebant, vel projiciebantur, erantque ministris relegenda. Vide lib. XIV, epigr. LXXX.

18. *Nec esculetis*, Pulmanni codex. *Nec esculentus*, Beverlandi MS. *Gulæ prædari*, codex Vat. — *Nec esculenta*, etc. Nec cibos tantum rapit, et escas furatur.

19. *Ad pedes mero*, codex Flor. male, ut ex numeris patet. — *Mixto lagenam*. Subducit etiam vinum aqua temperatum, quod servi ad pedes bibebant; vel lagenam, quam habet paratam ad pedes, vino mixto implet.

20. *Hoc per ducentas* in codice

Seque obserata clausit anxius cella,
Gulosus ille postero die vendit.

Vaticano. — *Per ducentas scalas.* His verbis indicat Sanctram istum sub tegulis pauperum more habitasse. Lib. I, epigr. CXVIII.

22. *Vendit.* Ἀπροσδοκήτως, exspectabatur uti rapax et gulosus Sanctra voraret ista : ille vero avarus et miser vendidit.

XXI.

DE NATALI LUCANI.*

Hæc est illa dies, quæ magni conscia partus,
Lucanum populis, et tibi, Polla, dedit.
Heu! Nero crudelis, nullaque invisior umbra,
Debuit hoc saltem non licuisse tibi.

* Natalem diem et fatalem Lucani, eodem epigrammate canit et deplorat. C. Cæsare Germanico, iterum, et L. Cæsiano coss. Cordubæ, quæ Hispaniæ Bæticæ provincis, natus est Lucanus, IV Nonar. Novembr.

1. *Magni conscia partus.* Lucani, nobilis poetæ.

2. *Polla, dedit.* Polla Argentaria, uxor Lucani.

3. *Nulla est invisior umbra* in codice Vaticano. — *Heu! Nero crudelis.* Conspiraverat Lucanus in Neronem, quod fama carminis ejus premebatur a Nerone et illud in lucem edere prohibebatur; contra quem, ut canit Papinius, est in theatro coronatus. — *Nullaque invisior umbra.* Nullius cæde invisior quam Lucani. Sic de Cicerone lib. V, epigr. LXX, vs. 2.

4. *Non licuisse.* Interficere tam egregium Poetam. Videtur ad Neronis dictum respicere, qui multis occisis, nescisse hactenus Cæsarem, quantum Imperatori liceret, dicere solebat. *Rader.*

XXII.

DE EODEM.

Vatis Apollinei magno memorabilis ortu

1. *Vatis*, etc. Lucani poetæ sub Apollinis præsidio. — *Memorabilis*, etc. Clarus et celebrandus et dignus memoria dies natalis.

Lux redit: Aonidum turba favete sacris.
Hæc meruit, quum te terris, Lucane, dedisset,
Mixtus Castaliæ Bætis ut esset aquæ.

2. *Aonidum turba favente* Beverlandi MS. *Aonidum turma* Janus Guilielmus in Pseud. Plaut. Quæst. cap. 6. De harum vocum permutatione frequenti consule Heins. ad Ovid. Art. Am. III, 2. Drakenb. ad Sil. Ital. V, 277; XII, 185, et XIV, 209. — *Turba favete.* Turba est nomen collectivum, quapropter verbum ponitur in plurali. — *Sacris;* sacrificio in honorem Lucani vestri faciendo. Ed.

3. *Hæc meruit.* Hæc dies vel propter te, o Lucane, editum meruit, ut Bætis patrium flumen numeraretur inter fontes Musarum perinde in scriptis poetarum et canerelur ac Apollineus amnis permissus, et quem Castalidum labra sæpius tetigere fons hippocrene.

4. *Baccus ut esset* Beverlandi MS. — *Bætis.* Cordubæ natus est Lucanus, quæ est ad Bætim Hispaniæ Bæticæ fluvium, hodie *Guadalquivir*.

XXIII.

DE EODEM, AD PHŒBUM.

Phoebe, veni; sed quantus eras, quum bella tonanti
Ipse dares Latiæ plectra secunda lyræ.
Quid tanta pro luce precer? tu, Polla, maritum
Sæpe colas, et se sentiat ipse coli.

1. *Bella canenti* edd. vett. *Bella tonantis* Beverlandi MS. Lectionem nostram primus dedit Gruterus. — *Veni.* Nempe ad hæc sacra, quæ facimus natalem Lucani diem celebrantes. — *Bella tonanti:* quæ voces indicant Pharsaliæ stylum inflatum, ac sæpe plus fragoris quam dignitatis habentem, dum canit *bella plus quam civilia* inter Cæsarem et Pompeium. Ed.

2. *Plectra secunda.* Hoc est, cui Lucano tu ipse, o Phœbe, secundam a Virgilio carminis epici gloriam concessisti.

3. *Tu, Polla.* Diu vivas, ut maritum sæpius colere possis, anniversaria renovando, et ipse, ubi est, sentiat cum gaudio se post obitum a te quotannis coli. Ed.

4. *Sentiat ille coli* in Pulmanni codice legitur.

XXIV.

IN MALEDICUM.*

Cum Juvenale meo quæ me committere tentas,
  Quid non audebis, perfida lingua, loqui?
Te fingente nefas, Pyladen odisset Orestes:
  Thesea Pirithoi destituisset amor.
Tu Siculos fratres, et majus nomen Atridas,
  Et Ledæ poteras dissociare genus.
Hoc tibi pro meritis, et talibus imprecor ausis,
  Ut facias illud, quod, puto, lingua, facis.

* *Ad Detractorem* lemma est in codice Pulmanni.

1. *Cum Juvenale meo quid me committere temptas* Beverlandi MS. — *Cum Juvenale.* Hoc est : O lingua, quæ tentas contentionis et dissidii semina jacere inter me et Juvenalem poetam Satiris notum, et amicum meum.

3. *Pylades odisset Oresten* codex Palatinus. — *Pyladen.* Horum heroum historia omnibus nota est, vel pueris. De Pylade, vid. lib. VI, epigr. XI. — *Te fingente nefas;* fictis criminibus odia inter tales amicos excitante. Ed.

4. *Thesea.* Vid. lib. X, epigr. XI. Adi, si lubeat, vol. I nostri Claudiani, pag. 147, notam vs. 186. Ed.

5. *Siculos fratres.* Intellige Amphinomum et Anapiam natos Catanæ, hodie, *Catania*, in urbe Siciliæ, non longe a monte Ætna, quorum pium in parentes amorem refert Strabo lib. VI; Senec. III de Benefic. c. 17. — *Atridas.* Agamemnonem et Menelaum, celebriores Siculis istis fratribus.

6. *Ledæ genus.* Castorem et Pollucem : lib. V, epigr. XXXV.

8. Gruterus ex Palat. codice legit, *lingua facis*, pro vulg. *lingua facit :* alloquitur enim ipsam linguam. — *Facis.* Videtur alloqui linguam, cui precatur, ut adhæreat rebus turpibus. Lib. II, epigr. LXI.

XXV.

IN MALUM POETAM.

Dulcia quum tantum scribas Epigrammata semper,
 Et cerussata candidiora cute;
Nullaque mica salis, nec amari fellis in illis
 Gutta sit : o demens, vis tamen illa legi!
Nec cibus ipse juvat morsu fraudatus aceti;
 Nec grata est facies, cui gelasinus abest.
Infanti melimela dato, fatuasque mariscas;
 Nam mihi, quæ novit pungere, Chia sapit.

* *In malum Poetam, qui Epigrammata sine turpibus scribit*, inscriptio est in Beverlandi MS.

1. *Dulcia quum.* Insulsa, nec imbuta illa mordacitate quæ his versibus convenit.

2. *Candidiora.* Hoc est, In quibus inest sensus candidior cerussa, quæ erat eximii candoris. Vide lib. I, epigr. LXXIII. Candidus vero album quidem significat, sed et simplex etiam, ut sumitur hic.

3. *Salis.* Ingenii, argutiæ, urbanitatis.—*Fellis.* Amarulentiæ, acerbitatis : prius ad oblectandum est; posterius ad pungendum. Ed.

5. *Nec cibus ipse.* Acerba enim irritant stomachum, lectorem quoque alliciunt sales.

6. *Gelasinus.* Gelasini sunt sulculi qui a ridentibus (γελῶσι) in ore fiunt, inquit Raderus. Rob. Stephanus in suo Thesauro ait : Gelasini sunt lineæ quæ ridendo efficiuntur, et summam gratiam ori conciliant. Gelasini sunt etiam dentes anteriores, qui ridendo nudantur. Gelasinus scurram quoque significat. — *Nec grata est facies*, etc. Qualem ori gratiam addunt rugæ illæ inter ridendum contractæ : tale epigrammati decus addunt quæ risum movere valent.

7. *Infanti melimela dato*, etc. Infantibus mellita, seu mustea poma dato, et propter dulcedinem insipidas ficus, quasi dicat : Insulsis placeant epigrammata dulcia, nec ingenio nec acerbitate condita; mihi placet epigramma salsum, acre, mordax, et piperatum. — *Mariscas.* Genus quoddam ficus insulsæ; infantibus enim placent dulcia, quorum teneriori palato sales repugnant.

8. *Chia.* Ficus nempe acerbi saporis : hoc est, ut in ficu amaritiem volo, ita et in epigrammate garum et sal. Cæterum de Chia ficu adi lib. XIII, epigr. XXIII.

XXVI.

SCAZONTA MITTIT AD APOLLINAREM.

Apollinarem conveni meum, Scazon,
Et si vacabit, ne molestus accedas,
Hoc qualecumque, cujus aliqua pars ipse est,
Dabis : hoc facetum carmen imbuant aures.
Si te receptum fronte videris tota,
Noto rogabis ut favore sustentet.
Quanto mearum, scis, amore nugarum
Flagret : nec ipse plus amare te possum.
Contra malignos esse si cupis tutus,
Apollinarem conveni meum, Scazon.

* Apollinaris hic extra aleam magnus clarusque vir erat; si modo is est, ad quem Secundi leguntur epistolæ : doctissimum eumdem fuisse constat ex hoc carmine, quo testatur hunc aliquam epigrammatum suorum partem esse; monetque Scazontem suum, ut in sinum Apollinaris confugiat, ubi tutum fore librum pollicetur. Et de eo jam actum lib. IV, epigr. LXXXVII. *Rad.*

1. *Scazon.* Scazon Iambus est claudicans; in sexto enim pede ponitur Spondæus : lib. I, epigr. XCVII.

2. *Et si vacabit, non molestus* codex Pulmanni. — *Et si vacabit.* Tamen tempus maxime opportunum captabis. *Vacare* impersonale est hic. Virgil. Æn. I, 372 : « O Dea, si prima repetens ab origine pergam, Et *vacet* annales nostrorum audire laborum. »

3. *Pars ipsa est* Beverlandi MS. — *Cujus aliqua pars.* Nam nostri Poetæ versus emendabat Apollinaris : et limam adhibens, emendans, interpolans, *partem* habet in *hoc qualicumque* opere.

4. Gronovius scribi jussit, *facetæ.* — *Hoc facetum.* Quomodo *facetum*, quod modo vocabat *qualecumque?* cui modestiæ istud haudquaquam convenit. Scribe *facetæ :* aures *facetas* vocat ejus qui facetus est, qui scit eleganter audire; ut dictum est de Græcis, qui *soli audire sciebant ;* nihil enim rarius est. En.

5. *Tota.* Plane læta et benigna.

8. *Nec ipso plus* Beverlandi MS.

9. *Esse si voles* in eodem.

XXVII.

DE APRO SIBI A DEXTRO MISSO.*

TUSCÆ glandis aper populator, et ilice multa
Jam piger, Ætolæ fama secunda feræ,
Quem meus intravit splendenti cuspide Dexter,
Præda jaces nostris invidiosa focis.
Pinguescant madido tetri nidore Penates,
Flagret et exciso festa culina jugo.
Sed coquus ingentem piperis consumet acervum,
Addet et arcano mixta Falerna garo.

* *De apro a se occiso* in edd. vett. *Ad aprum missum* codex Pulmanni. — *De apro.* Leguut slii. *De apro a se occiso;* et in tertio versn *culter pro Dexter :* sed huic lectioni repugnat ultimum distichum : ad Dextrum enim suum amicum videtur remittere aprum, cui condiendo non snfficerent suæ opes; quem nec cspit ignis modestus.

1. *Tuscæ glandis.* In agro nempe Tnsco aper glandibus saginatus lente incedebst, pinguedine piger.

2. *Impiger Ætolæ;* sic Gruterus legi posse credit. *Jam piger Ætoliæ fama* exhibent Codd. Vat. et Florent. invito metro.—*Ætolæ fama.* Hic scilicet aper proximus erat ab ingenti spro Calydonio, quem in Ætolorum sgros immiserat irsta Disna. Vide lib. Spect. epigr. xv.

3. Edd. vett. *splendenti cuspide culter;* et tunc ad Martialem debet referri. — *Cuspide.* Venabulo. — *Dexter.* A quo occisum et poetæ nostro missnm nostro arguit snpremum distichon.

4. *Præda jacet* in quibusdam. — *Præda jaces invidiosa;* hoc est, major qnam ferat mea conditio; vel opima, cui possit invideri. ED.

5. Codex Pulmanni et Beverlandi MS. *madido læti.* Ald. Junt. Coliu. Gryph. Plant. Junian. Lang. Delph. etc. *madidi leto*, vel *læto.* Sunt vero *Penates* Dii domestici sumpti pro ipsa domo. Sensus est : Lauta cœna instruatur, quæ madidos ebriosque Lares et omnem focum pingui nidore spargat. ED.

6. *Exciso jugo.* Montis nimirum, id est, cæsa ligus largius reponantur supra focum, ad corpus feræ assandum. ED.

7. *Sed focus* Beverlandi MS. — *Sed coquus*, etc. Sed impensa condiendi supersbit facultates meas; satius itaque est ut remittam Dextro, nisi forte et ille mihi hos sumptus suppeditet.

8. *Addet et arcano.* Hoc est, meliori et interiori. De *garo* dictum lib. VI, epigr. XCIII. Genns erat liquaminis, de quo iterum lib. XIII,

Ad dominum redeas : noster te non capit ignis,
Conturbator aper : vilius esurio.

epigramm. cII. « Expirantis adhuc scombri de sanguine primo, Accipe fastosum, munera cara, garum. »

9. *Ad dominum*. Dextrum scilicet. — *Noster te*. Nostra culina non habet unde te condiat; seu in hoc apro condiendo conturbarentur et decoquerentur opes meæ.

10. *Conturbator aper*. Qui nempe non sunt solvendo, neque se extricare nominibus possunt et ære alieno, illi conturbant; nec enim eorum rationes explicari et expediri possunt. — *Vilius esurio*. Minoris constat fames mea; viliori cibo contenta est : minore sumptu cœnam mihi constare velim ; nisi forte mea redimatur impensa.

XXVIII.

AD FUSCUM.*

Sic Tiburtinæ crescat tibi sylva Dianæ,
Et properet cæsum sæpe redire nemus;
Nec Tartessiacis Pallas tua, Fusce, trapetis
Cedat, et immodici dent bona musta lacus;

* Ad Fuscum mittit librum Saturnalibus legendum et judicandum : hic videtur idem esse, ad quem Plinii Secundi, lib. VII, epistola 9. Ed.

1. *Sic Tiburtinæ*. Tibure sylvam habebat iste Fuscus, doctus sane causidicus, quæ Dianæ utpote nemorum præsidis esse dicitur. Sic tibi omnia feliciter cedant, precor; sic sylva, quam Tibure habes, cæsa revirescat.

3. *Tarpesiacis Pallas tua*, etc. codd. Florent. et Vat. — *Nec Tartessiacis*. Pallas, seu Minerva inventrix fuit olivæ pro qua et ipsa sumitur. Sensus est : Nec tua oliveta cedant olivetis Bæticis : Bætis vero fluvius est Hispaniæ, hodie, *Guadalquivir*, qui olim dictus est Tartessus, ad quem multæ sunt oleæ, et quidem optimæ. *Trapes* autem, seu trapetum, est mola olearia, et sumitur pro ipso prelo. Bætica provincia oleo abundabat, eoque pretioso. Papinio, in lib. II. Sylvarum, « Quæ Tritonide fertiles Athenas Unctis Bætica provocas trapetis. » Quanta fuerit Tartessi dignitas norunt qui de Bætica quidquam legerunt. Ed.

4. *Dent bona vina lacus* codex Vat. — *Lacus*. Cupæ sunt in quas vinum prelis expressum labitur. — *Immodici* : pleni et musto redundantes. Lib. IV, epigr. XLIV, vs. 2.

Sic fora mirentur, sic te Pallatia laudent,
Excolat et geminas plurima palma fores:
Otia dum medius præstat tibi parva December,
Excipe, sed certa, quos legis, aure jocos.
Scire libet verum: res est hæc ardua; sed tu
Quod tibi vis dici, dicere, Fusce, potes.

5. *Sic fora mirentur.* Te agentem causas. — *Pallatia laudent.* Hoc est, Imperator ipse te laudet.

6. *Palma fores.* Palma affigebatur januis causidicorum, qui in causis vicissent, quam Ausonius vocat *palmam forensem.* Vid. Juv. Sat. VII, 117. « Rumpe miser tensum jecur, ut tibi lasso Figantur virides scalarum gloria palmæ. » Scalas hic pro aditu domus, sive janua accipit, ut Oratorum pauperies indicetur, qui more omnium pauperum in cœnaculis habitabant. Vid. supra epigr. XX, vs. 20. Ed.

7. *Otia dum.* Saturnalium tempore a foro vacabant causidici ut et judices, et civium quicumque istius modi muneribus fungebantur.

8. *Exigis et certa* cod. Pulmanni. *Exige sed certa* in aliis. — *Excipe (Exige) certa aure jocos.* Hoc est, diligenter examina, excute certo et sagaci judicio jocosa hæc mea carmina. Ed.

9. *Scire licet verum, res est,* etc. in edd. vett. Alii, *Scire libet verum? res est hæc ardua* ex persona Fusci verum pronuntiare subtimentis, ne aut rusticus videatur, aut, quod sæpe accidit, odium pariat: respondet Poeta: Sed tu mihi dic, quid tibi in pari re dici velis, etc. Vide epist. lib. XII, et Horat. epist. ad Pisones sub fine; cf. lib. VIII, ep. LXXVI. Lectionem nostram firmat cod. Pulm.

XXIX.

AD TESTILUM PUERUM.

Testile, Victoris tormentum dulce Voconi,
Quo nemo est toto notior orbe puer;
Sic etiam positis formosus amere capillis,

1. *Testile Victuri* cod. Pulmanni. — *Tormentum Voconi.* Deliciæ et amor, qui risus lugubris, dolor suavis, timor generosus, mors viva, etc. *Victoris Voconi*, poetæ, qui Testilum suum puerum amabat.

2. *Notior urbe puer* legitur in Beverlandi codices melius forsan.

3. *Positis capillis.* Vide lib. I, epigr. XXXII, vs. 1.

Et placeat vati nulla puella tuo;
Paulisper domini doctos sepone libellos,
Carmina Victori dum lego pauca tuo.
Et Mæcenati Maro quum cantaret Alexim,
Nota tamen Marsi fusca Melænis erat.

6. *Lego parva tua* Beverlandi MS.

7. *Et Mæcenati*. De formoso Alexi, quem ardebat Virgilius, elegantissimam Eclogam scripsit ad Mæcenatem, qui tamen non desinebat legere carmina Marsi Poetæ Virgilio minus politi, quibus ille Marsus puellam suam et quidem fuscam celebrabat: ita, inquit Martialis, Voconius mea epigrammata suis versibus longe inferiora non aspernabitur. — *Melænis* a μέλαινα.

XXX.

IN CÆLIAM.

Das Parthis, das Germanis, das, Cælia, Dacis;
Nec Cilicum spernis, Cappadocumque toros;
Et tibi de Pharia Memphiticus urbe fututor
Navigat, a rubris et niger Indus aquis;
Nec recutitorum fugis inguina Judæorum,
Nec te Sarmatico transit Alanus equo.
Qua ratione facis, quum sis Romana puella,
Quod Romana tibi mentula nulla placet?

1. *Das Cattis* Ald. Junt. Colin. Gryph. *Das Parthis* in cod. Palm. — *Das Parthis...Dacis*. Tui copiam.

3. *Pharia urbe fututor;* Memphi. Lib. Spect. epigr. 1, vs. 1.

4. *Rubris et niger*, etc. A mari Erythræo, quod quum Ἐρυθραῖον diceretur Græcis, ab Erythra filio Persei et Andromedæ, qui ibi regnavit, Latini *Rubrum* verterunt; quam ridicule satis patet; et hinc mox rubri hujus coloris vel arenas vel undas esse crediderunt istius maris. Vid. Plin. lib. VI, 23; et Popma, Freinshem. ac Rader. ad Curtium VIII, 9, 14; et X, 1, 13, qui fusius probant Mare Rubrum nihil ab oceano nostro differre. Ed.

5. *Recutitorum*, etc. Quibus circumcisis succrescit cutis nova.

6. *Sarmatico*, etc. Namque Alanos Scythiæ populos in Sarmatia Europæa ponunt Plinius et Ptolemæus.

7. *Qua ratione*, etc. Non solum quare, sed quo pacto, nullum hominem Romanum, quum sis Romana, admittere? cur peregrinorum solos concubitus amas?

XXXI.

AD REGULUM.

Raucæ cortis aves, et ova matrum,
Et flavas medio vapore Chias,
Et fœtum querulæ rudem capellæ,
Nec jam frigoribus pares olivas,
Et canum gelidis olus pruinis,
De nostro tibi rure missa credis?
O quam, Regule, diligenter erras!
Nil nostri, nisi me, ferunt agelli.
Quidquid villicus Umber, aut colonus,
Aut rus marmore tertio notatum,
Aut Tusci tibi, Tusculive mittunt,

1. *Raucæ cortis aves.* Propter raucum strepitum avium domesticarum, quas describit noster poeta lib. III, epig. LVIII. «Vagatur omnis turba sordidæ cortis, Argutus anser, gemmeique pavones», etc. —*Cortis.* Pluribus tectis sive muris septæ, instar mapalii. Festus. — *Aves et ova.* Gallinæ, anseres, anates, columbæ, etc.—*Matrum.* Gallinarum, anatum.

2. *Et furvas* codex Pulmanni. Lectionem nostram exhibent edd. vett. omnes.—*Et flavas medio.* Hoc est, ficus Chias moderato calore exsiccatas, de quibus supra epigr. xxv; et lib. XIII, epigr. XXIII.

3. *Et fœtum.* Hoc est, hædillum de quo sollicita est capella. —*Querulæ.* Quæ fœtum absentem gemit.

4. *Nec jam*, etc. Olivas frigore constrictas, cui ferendo impares.

5. *Et canum gelidis.* Hoc est, modo ex horto lectum, atque adhuc cana pruina rigens.

7. *O quam.* Dedita nempe opera erras fingens te nescire sterilissimum esse meum agellum. De Regulo dictum lib. I, epigr. LXXXIII.

8. *Nil, nisi me, ferunt.* Nihil ferunt, nisi me tantum, et vix me alunt agelli mei.

9. *Quidquid villicus Umber.* Quidquid tibi vel tuus villicus ex Umbria, vel coloni ex Tusculanis agris mittunt, id mihi emendum in foro Suburrano, id est, in Urbe.

10, 11. Hi duo versus transpositi sunt in Ald. Junt. Colin. Gryph. Pulmann. Plant. Junian. Lang. et Delph. — *Marmore tertio.* Hoc est, rus ad tertium ab Urbe milliare; singula enim milliaria lapidibus notabantur.

Id tota mihi nascitur Suburra.

12. *In tota* Beverlandi MS. *Id tata tibi* codex Pulmanni. — *Id tota mihi*, etc. Id ego emo in foro olitorio, quod tamen in *Suburra* non erat: de Subnrra, vide lib. XII, epigr. XXI, vs. 5.

XXXII.

AD ATTICUM.*

Attice, facundæ renovas qui nomina gentis,
Nec sinis ingentem conticuisse domum;
Te pia Cecropiæ comitatur turba Minervæ,
Te secreta quies, te sophos omnis amat.
At juvenes alios fracta colit aure magister,
Et rapit immeritas sordidus unctor opes.
Non pila, non follis, non te paganica thermis

* Laudat currendi exercitationem in Attico.

1. *Facundæ renovas.* Memoriam nempe Pomponii Attici, cujus vitam scripsit Cornelius Nepos, ad quem Epistolas scripsit Cicero, quæ inscribuntur ad Atticum, quem moribus et doctrina imitabatur hic Atticus.

2. *Nec sinis ingentem*, etc. Nec degener pateris, ut conticescat familiæ tuæ et ortus gloria.

3. *Te pia.* Hoc est, Græci philosophi tibi semper adhærent. Cur Minerva Cecropia dicatur, vide lib. I, epigr. XL.

4. *Te sacrata quies* codex Vaticanus. *Te chorus amnis amat* in codice Florentino. — *Te secreta quies.* Hoc est, non agis causas, nec ambis magistratus; sed remotus a turba, operam das philosophiæ. — *Sophos*, sapiens; quod nomen philosophis ante Pythagoram.

5. *Fracta colit aure:* vel Gymnasiorum exercitor alios juvenes magnis clamoribus instituit: vel *fracta aure* dixit, quod quum exercitor pugilatum doceret juvenes, eorum aures verberibus contunderet. Virg. Æn. V, 435: « erratque aures et tempora circum Crebra manus, duro crepitant sub vulnere malæ. » Vide Turnebum lib. XXIV, cap. 28.

6. *Et rapit innumeras* Turneb. Adverss. XXIV, 28. — *Rapit immeritas.* Hoc est, juvenes spoliat pecunia immerita quidem, quia operam illis non utilem impendit.

7. *Non pila.* Nempe trigonalis. De quatuor pilarum generibus, scilicet de trigonali, folli, paganica, et harpasto fuse diximus lib.

Præparat, aut nudi stipitis ictus hebes :
Vara nec injecto ceromate brachia tendis;
Non harpasta vagus pulverulenta rapis:
Sed curris niveas tantum prope Virginis undas,
Aut ubi Sidonio taurus amore calet.
Per varias artes, omnis quibus area servit,
Ludere, quum liceat currere, pigritia est.

IV, epigr. XIX.—*Thermis.* Ante cœnam lavabant prisci, aute lavationem corpus exercebant.

8. *Aut nudi stipitis.* In terram figebatur palus, contra quem tanquam adversarium se exercebant tirones. Juvenalis, Sat. VI, 247, « aut quis non vidit vulnera pali, Quem cavat assiduis sudibus scutoque lacessit? » Vide et Vegetium, Stewechium, Mercurialem, et Lipsium. — *Ictus hebes.* Hebetes ergo ictus, non acuti, quia lignei gladii; *Ictus* ergo a sudibus vel rudibus, ligneis gladiis et clavis.

9. *Varra nec in lento* exhibet codex Vaticanus. *Vara nec injecto*, i. e. nec lucta obtorques brachia et lacertos quasi varos; sic Ludovicus Carion. emendavit lib. II, cap. 9, quod etiam exhibent Ald. Junt. Colin. Gryph. etc. cum codice Pulmanni. *Rara nec injecto* in aliis codd. Vide Turneb. lib. XXIV, cap. 28. — *Vara nec.* Hoc est, nec luctaris : ita vero in lucta athletæ implicabant brachia, ut vara viderentur. *Ceroma* autem erat unguentum ex oleo et luto confectum, quo ungebantur athletæ. Vide lib. III, epigr. LVIII, vs. 25.

11. *Prope Virginis undas.* Sensus est : Sed exerces te cursu ad aquam Virginem, de qua lib. V, epigr. XX, vs. 9. Vel ad porticum Europes, ubi depictus erat Jupiter in taurum conversus, qualis per mare in Cretam vexit Europen filiam Agenoris, qui Sidonem condiderat. Vide lib. II, epigr. XIV, vs. 3.

13. Legitur, et *area fervet.* Petrus Scriv. « areas » intelligit « vitæ spatia, » ut lib. X, epigr. XXIV, 9, sed vide Sen. epist. 15. — *Per varias*, etc. Literato viro conveniunt magis exercitationes faciles et breves, quæ corpus et sine mora laxent et tempori parcant, quarum præcipua est cursus, quam pigri isti ludi quibus Campus et gymnasium servit.

14. *Ludere, quum liceat.* His verbis omnibus aliis exercitationibus cursum anteponit.

XXXIII.

IN CINNAM.

Sordidior cœno quum sit toga, calceus autem
Candidior prima sit tibi, Cinna, nive;
Dejecto quid, inepte, pedes perfundis amictu?
Collige, Cinna, togam; calceus ecce perit.

1. *Sordidior cœno*, etc. Vituperat Cinnam, vel quia sordidus erat, lutoque albos ferebat calceos; vel quia cum feminis communes gerebat, hoc est, albos.

2. *Candidior*. Hinc colligere est, Romanos calceis albis usos fuisse: hunc autem Cinnam toga sordida indutum, et calceis albis utentem lepide irridet Poeta.

3. *Neglecto* Gruterus legit ex codd. Palatin. et Bodlei. male, ex mente Scriverii.

4. *Ant. de Rooy* conj. *calceus inde perit*, i. e. a sordidæ togæ vicinio. — *Collige*, etc. Tolle, ne inquinet album calceum, qui male convenit cum sordida toga. Docet enim Poeta, insanum esse Cinnam, qui majorem calcei, quam togæ rationem habeat: contrarium faciendum fuisse, togam colligendam esse, ne calceis sordidis inquinetur; non ut calcei, qui sæpe necessario collutulantur a toga sordida et contaminantur. *Rader.*

XXXIV.

AD SEVERUM, DE CHARINO.*

Quo possit fieri modo, Severe,
Ut vir pessimus omnium Charinus
Unam rem bene fecerit, requiris?

* *Ad Severum* inscriptio est in edd. vett. — Duorum impurissimorum beneficia in populum romanum inter se confert, quasi dicat: miraris, qui potuerit a malo homine aliquid boni fieri? etiam Nero pessimus, optimas exstruxit thermas. *Rader.*

2. *Ut vir pessimus*. De quo homine impurissimo dictum lib. IV, epigr. XXXIX: licet improbissimus in gratiam populi, ut Nero thermas, sic ille balnea exstruxit nobilissima.

3. *Unam rem bene gesserit* exhibet codex Vaticanus.

Dicam, sed cito : quid Nerone pejus?
Quid thermis melius Neronianis?
Non deest protinus, ecce, de malignis,
Qui sic rancidulo loquatur ore;
Quid? tu tot domini, Deique nostri
Præfers muneribus Neronianas?
Thermas præfero balneis cinædi.

4. *Dicam, sed scito* legitur in Beverlandi MS.

6. Codex Florentinus habet: *ecce, da malignus.* — *Non deest protinus,* etc. Quod si quis malignus mihi hic obstrepat, perinde ac si præferam Neronis thermas aut Charini balneas publicis Domitiani ædificiis; respondeo me id non facere, sed conferre tantum inter se Neronis et Charini opera, et illa præferre.

7. *Rancidulo.* Metaphora ducta a cibo vitiato jam, et prope corrupto. *Rancidulum* dixit, hoc est, os putidum et corruptum calumniis atque adulationibus.

8. *Ut quid tu domini* ed. antiq. Ferrar. ann. 1471. Ald. Junt. Colin. Gryph. Calderin. Plant. Junian. Pulmann. Lang. et Delph. *Quid te tot domini* codex Florentinus. *Quid tu tot domini* in optimis libris; unde recte Gruterus : *Quid? tu tot domini*, probantibus Rutgersio et Gronovio. *Ecquid tot domini* Scriverius.

9. *Neronianis* Beverlandi MS.

10. *Cinæde* codex Pulmanni.

XXXV.

AD LECANIAM.*

INGUINA succinctus nigra tibi servus aluta
Stat, quoties calidis tota foveris aquis.

* *Ad Matronam* Ald. Junt. Colin. Gryph. Lang. etc. *Ad Lecaniam* codex Pulmanni.

— *In Matronam.* Alii, *In Lecaniam.*

1. *Succinctus.* Quum in balnea veniret Lecania, jubebat sibi adstare servum obligatis pudendis, hac forte de causa, ut suspicatur Poeta, ne in aliis mulieribus latus defatigaret. Siquidem alii et promiscue cum feminis omnes nudi lavabant : ergo non præ pudore ita agebat Lecania. Vide lib. XI, epigr. LXXV et epigr. LV infra, ubi de tributo quod pendebant Judæi circumsecti; qui tegebant inguina, ne verpi viderentur.

2. *Tota foveris aquis.* Leg. *lota.* Rutgers. Fœdissimum hunc morem

Sed meus, ut de me taceam, Lecania, servus
  Judæum nulla sub cute pondus habet.
Et nudi tecum juvenesque senesque lavantur.
  An sola est servi mentula vera tui?
Ecquid femineos sequeris, matrona, recessus?
  Secretusque tua, cunne, lavaris aqua?

virorum promiscue cum feminis lavandi sustulit Trajanus. Xiphilin. in Adriano, et Spartianus. At pessimi posthac principes revocavere.

5. *Et nudi* ex cod. Palatino dedit Gruterus. Iisdem in locis lavabant viri cum mulieribus simul. *Sed nudi* Ald. Junt. Colin. Gryph. Calderin. Plant. Junian. Pulmann. Lang. aliæ. *Lavatur* pro *lavamur* in codice Pulmanni.

6. *Mentula vera.* Guilielmius censet legendum *verba*, quod plus habet speciei, quam veritatis : qui enim a Martiale alibi producuntur fibulati, quum interim essent verpi, hoc faciebant, ne penderent tributum tanquam Judæi : at *vera mentula* hic dicitur, quemadmodum infra LVIII : *Difficile est vero nubere Galla viro.* Quid quod Poeta sibi ipsi interpres lib. XI, epigr. LXXV, vs. 6 : *Omnes an tibi nos sumus spadones*, etc. Gruterus.

8. *Secretusque tua.* Nempe in secreto recessu rem habebat cum servo, cujus vires sibi totas reservabat.

XXXVI.

AD STELLAM.

Quum pluvias madidumque Jovem perferre negaret,
  Et rudis hibernis villa nataret aquis;
Plurima, quæ posset subitos effundere nimbos,

1. *Quum pluvias.* Sensus epigrammatis est : O Stella, ut tuum munus omni ex parte absolutum sit, mitte togam qua tegar, quemadmodum tegulas misisti, quibus tegeretur mea villa.

2. *Nulla nataret aquis* codex Florentinus.

3. Alii legunt, *defendere nimbos*, i. e. arcere. Vide Jan. Guilielmum, Verisimil. lib. III, cap. 25. « Qui hic mavult legere *defendere*, interrogandus erat, taleane putet fuisse formas imbricum tegularumve veterum, atque sæculi nostri? » Gruterus. « Cogitavi aliquando pro *effundere* legendum *diffundere*, quod hoc loco aptius; nam *diffundere* esset

Muneribus venit tegula missa tuis.
Horridus, ecce, sonat Boreæ stridore December;
Stella, tegis villam, non tegis agricolam.

receptos collectosque imbres in partes diversas fundere, quod solent tegulæ, atque adeo minuere.» Ant. *de Rooy*. Vide Burm. ad Ovid. Epist. epist. 8, 61. «Flere licet certe : flendo diffundimus iram.»

XXXVII.

AD CASTRICUM, DE THETA.

Nosti mortiferum quæstoris, Castrice, signum?
Est operæ pretium discere theta novum.
Exprimeret quoties rorantem frigore nasum,
Letalem juguli jusserat esse notam.

1. *Nosti mortiferum* exhibent codd. et edd. vett. *Nosti moriferum* ed. Langii ann. 1617, et in margine *mortiferum* pro v. l. ex ed. Pulmanni. *Nostri* legunt alii. — *Nosti mortiferum*, etc. Sensus est : Pro veteri illa condemnationis et mortis (Θανάτου) litera, quæstor noster novam habet notam ; emuncto scilicet naso dat carnifici signum occidendi hominis : huic aliquando opus erat distillantem nasum emungere; manum naso admoturum impedierunt quæstores collegæ ipsius, quasi daturum hinc cædis signum. Jocatur poeta misere cum illo agi, cui, modo alios populariter occidenti, jam non liceat suum nasum abstergere. Lege II, ff. *de Origine juris* officium quæstoris sic definitur. «Constituti sunt quæstores, qui pecuniæ præessent, et dicti sunt ab eo, quod inquirendæ et conservandæ pecuniæ causa creati erant : et quia de capite civis Romani injussu populi non erat lege permissum Consulibus jus dicere, propterea quæstores constituebantur a populo, qui capitalibus rebus præessent. Hi appellabantur quæstores parricidii» : de quibus agit Poeta.

2. *Theta novum*. Novum enim mortis signum invenit, ut quempiam interfecturus, nasum emungeret : hinc vocat *novum*, aliis inusitatum. *Mortiferum* vocat, quod mortis nuntium adferat ; nam θάνατος Græcis mors : et sic prima littera θ pro voce tota usurpatur. Romani prius A, quum absolverent; C, quum condemnarent; N. L. quum non liqueret, usurpabant. Lege Alexandrum ab Alexandro lib. III, cap. 5, et Tiraquel. ibid.

4. Ant. *de Rooy* scribit *jugulo*, dandi casu. «Genitivo, ait, forte occasionem dederat initialis litera

Turpis ab inviso pendebat stiria naso,
Quum flaret madida fauce December atrox.
Collegæ tenuere manus : quid plura requiris ?
Emungi misero, Castrice, non licuit.

vocis sequentis, quæ res sæpius properantibus librariis imposuit. *Jugulum* pro *jugulatione* (quo sensu hoc loco capiendum foret si genitivus retineretnr) sequioris ævi scriptoribns usurpatum. Vide *Wopkens* in Sedul. Obss. Misc. Nov. tom. IV, pag. 271; an item Martialis ævo, dubito. — *Juguli*, feriendi, secandi; hominis necandi sensn snmitnr. Ed.

5. *Stiria*. Stilla est nasi congelata, et significat Gallice, *roupie*.

6. *Cum fleret madida* codex Palatinns, improbante Farnabio. *Cum flaret media* in Beverlandi MS. *Cum staret madida* in al. codd. Lectionem nostram exhibet codex Polmanni.

7. *Collegæ*. Plures enim fuere quæstores; primum duo, mox quatuor; tum plnres.— *Tenuere manus*. Ita nasum *miser* nequivit emungere, quod signum esset hominis jugulandi, vetitus a collegis. Ed.

XXXVIII.

AD POLYPHEMUM.

Tantus es, et talis nostri, Polypheme, Severi,
Ut te mirari possit et ipse Cyclops.
Sed nec Scylla minor : quod si fera monstra duorum
Junxeris, alterius fiet uterque timor.

3. *Sed nec Scylla minor* legunt nonnulli, ut Scyllam Polyphemo non fuisse minorem accipiamus. Vide Turneb. Advers. lib. XXIV, cap. 28. — *Nec Scylla minor*. Nimirum ipso Polyphemo conservo : tantæ ergo magnitndinis erant servus iste Polyphemus, et Scylla serva, nt et ipsi Cyclopi, noto ex Theocrito et Virgilio, admirationem movere possent : immo et alter alteri terrori esse posset. Legunt alii : *Sed nec Scylla minus*. Prior lectio placet Turnebo Adv. XXIV, c. 28, hoc est : Nec Scylla servus, aut serva, ut sentiunt Interpretes, minor est Polyphemo conservo. Quidam intelligunt duas fuisse statuas ingentis magnitndinis; neque insulsum sane id est. Ego tamen intelligendum potius existimem de duobus servis tam deformibus et tam magnis, ut sibi alterutri terrori esse potuerint.

4. *Fiet uterque minor* codd. Vat. et Florentinus.

XXXIX.

DE CÆLIO.*

DISCURSUS varios, vagumque mane,
Et fastus, et Ave potentiorum,
Quum perferre patique jam negaret,
Cœpit fingere Cælius podagram.
Quam dum vult nimis approbare veram,
Et sanas linit obligatque plantas,
Inceditque gradu laborioso;
(Quantum cura potest, et ars doloris!)
Desit fingere Cælius podagram.

* Hujus epigrammatis lectio non variatur in exemplaribus, aut scriptis, aut excusis.

— Cælii fraudes et podagram irridet.

1. *Discursus varios*, etc. Officiosas clientis discursitationes in salutandis patronis superbia. — *Vagumque mane*. De matutinis salutationibus jam fuse dictum lib. I, epigramm. LVI.

2. *Potentiorum*. Divitum. Horat. Epod. II, vs. 7: « superba civium Potentiorum limina. »

6. *Et sanas*, etc. Quales impostorum quorumdam sunt artes et mendicorum.

8. *Quantum cura*. Eadem usus est ironia lib. V, epigr. XXI.

9. *Desit*. Per contractionem pro *desiit;* nam re ipsa correptus est podagra.

XL.

EPITAPHIUM PATRIS ETRUSCI.

HIC jacet ille senex, Augusta notus in aula,
Pectore non humili passus utrumque Deum;

1. *Hic jacet*. De Etrusco patre, et Etrusco filio dictum lib. VI, epigr. LXXXIII.

2. *Passus utroque* codd. Vat. et Florent. exhibent. — *Passus utrumque Deum*. Domitianum nempe propitium, atque adversum, qui iratus in exsilium miserat Etruscum, pla-

Natorum pietas sanctis quem conjugis umbris
Miscuit : Elysium possidet ambo nemus.
Occidit illa prior viridi fraudata juventa;
Hic prope ter senas vidit Olympiadas.
Sed festinatis raptum tibi credidit annis,
Aspexit lacrymas quisquis, Etrusce, tuas.

catus vero eumdem revocaverat. Lib. VI, epigr. LXXXIII.

3. *Natorum.* Geminorum, qui eodem cum matre, quæ flore ætatis exstincta est, sepulcro patrem condiderunt. Tum filius Etruscum patrem damnatum et in exsilium ejectum sponte comitatus est, nec antea destitit fatigare precibus Domitianum, quam pacem illi, reditumque impetraret. — *Conjugis.* Etruscæ; a qua summo loco nata, Etruscus maritus, et filii nomen accepere

4. *Possidet umbra* Ald. Junt. Colin. Gryph. improbante Grutero. Sed codd. Vatic. Florent. Palat. Thuan. Pulmanni, alii, cum editt. antiquiss. Ferrar. an. 1471 *possidet ambo*, imitatione Virgilii : « Si duo præterea tales Idæa tulisset Terra viros. »

6. *Hic prope ter denas* codex Pulmanni. *Hic prope ter senas vixit* codd. Thuan. et Florent. et sic in nonnullis edd. — *Hic prope ter senas.* Poeta videtur sumpsisse Olympiadem pro lustro, seu quinquennio : Statius enim in Sylv. III quæ inscribitur, *Lacrymæ Etrusci*, sic de Etrusco canit : « Dextra bis octonis fluxerunt sæcula lustris, Atque ævi sine nube tenor, » etc. Ex his versibus constat Etruscum feliciter egisse octoginta annos, antequam mitteretur in exsilium. Ovidius etiam de Ponto lib. IV, eleg. VI, 5, Olympiadem sumpsit pro lustro : « In Scythia nobis quinquennis Olympias acta est : Jam tempus lustri transit in alterius. » Apud Historicos vero Olympias accipitur pro quatuor annis integris, de quibus jam dictum supra. Si ergo Olympiadem pro quatuor annis acciperet, septuaginta annos circumcirca vixisset Etruscus, atque ita contra Statium diceret Martialis.

7. *Sed festinatis.* Hoc est : O Etrusce fili, licet Etruscus pater tuus senior interierit, fato tamen immaturo abreptum tibi illum credidit, quisquis vidit tuos planctus. Legunt alii : *Raptum te credidit annis.* In hoc versu Etruscum patrem, in ultimo Etruscum filium alloqueretur Poeta, ut aiunt. Melior longe mihi videtur prior lectio.

XLI.

AD SEMPRONIUM TUCCAM.*

Cosmicos esse tibi, Semproni Tucca, videris;
Cosmica, Semproni, tam mala, quam bona sunt.

* *Ad Sempronium* inscribitur in edd. vett.

1. *Cosmicos*. Κοσμικός · hoc est, *mundanus*. Hoc epigramma sic explicat Turnebus lib. XXV, cap. 24. Credo, inquit, Sempronium voluisse videri Socratis et philosophorum imitatorem qui se mundanos et κοσμοπολίτας dicebant, non alicujus certi definitique loci municipes: ac se mundanum esse respondit interroganti, cujas esset, Socrates: Martialis autem, qui mundum tantumdem boni quantum mali habere sciret, et multos intelligeret ambitioso philosophi nomine magna vitia occultare, cosmica et bona et mala esse dicit, ne eo nomine Sempronius nimium superbiret.

XLII.

AD CASTRICUM.*

Muneribus cupiat si quis contendere tecum,
Audeat hic etiam, Castrice, carminibus.
Nos tenues in utroque sumus, vincique parati;
Inde sopor nobis, et placet alta quies.
Tam mala cur igitur dederim tibi carmina, quæris?
Alcinoo nullum poma dedisse putas?

* In hoc epigrammate exhibendo nullam lectionis varietatem produnt exemplaria:

1. *Muneribus*. Hic Castricus et divitiis et doctrina abundavit, cui primas dat Poeta.

3. *Nos*. Ego. — *Vincique parati*. Opibus et carminibus.

5. *Tam mala*. Rationem reddit, cur ad Castricum versus miserit; quia, nempe, inquit, et Alcinoo Phæacum regi in insula Corcyra, hodie, *Corfou*, cujus horti pomis nobilissimis abundarunt, aliquis forsan obtulit poma, et quidem suis longe inferiora. Hujus Alcinoi hortos describit Homer. Odyss. Z. Attamen illa accepit in bonam partem; sic tu eruditus inerudita carmina non repelles. Ed.

XLIII.

IN CINNAM.*

PRIMUM est, ut præstes, si quid te, Cinna, rogabo;
Illud deinde sequens, ut cito, Cinna, neges.
Diligo præstantem; non odi, Cinna, negantem:
Sed tu nec præstas, nec cito, Cinna, negas.

Πρῶτα ἐμοὶ παρέχῃς ἐθελούσιος, ὅττι σ'ἀπαιτῶ·
Αἶψ' ἀποειπεῖν αὖ, δεύτερόν ἐστι γέρας.
Δόντος ἐρῶ χάρτ', οὐ μισῶ γ' ἀρνούμενον ἔμπης,
Κίννα, σύ δ', οὔτ' ἀρνῇ αἶψα μάλ', οὔτε δίδως.

* Aut dandum, aut cito negandum significat.

1. *Primum est.* Vide lib. VI, epigr. XX et XXX.

2. *Illud deinde sequens si*, etc. in codice Pulmanni. Nostram lectionem exhibent alii codd. cum edd. vett. omnibus.

XLIV.

DE IMAGINE MAXIMI CÆSONII, AD Q. OVIDIUM.*

MAXIMUS ille tuus, Ovidi, Cæsonius hic est,
Cujus adhuc vultum vivida cera tenet.
Hunc Nero damnavit: sed tu damnare Neronem

* *Ad Ovidium* inscriptio est in edd. vett.

—Maximus Cæsonius, vir consularis a Nerone damnatus et in exsilium missus, comitem voluntarium habuit Q. Ovidium, qui expressam Cæsonii postea mortui imaginem servabat, ad quam hoc epigramma scripsit Poeta. *Rad.*

1. *Maximus ille.* In cera nempe ad vivum expressus Cæsonius, qui, damnatus a Nerone in conjuratione Pisoniana, exsul aut in Siciliam aut in Africam fuit missus. De eo Tacitus, Annal. XV.

2. *Vivida cera.* Quæ ad unguem refert Cæsonium. Ita enim mortuos solebant quasi in vitam revocare.

3. *Sed tu damnare.* Quum sponte tua Cæsonium ut innocentem se-

Ausus es, et profugi, non tua, fata sequi.
Æquora per Scyllæ magnus comes exsulis isti,
Qui modo nolueras consulis ire comes.
Si victura meis mandantur nomina chartis,
Et fas est cineri me superesse meo,
Audiet hoc præsens, venturaque turba, fuisse
Illi te, Senecæ quod fuit ille suo.

cutus es, per mare Siculum, in provinciam, cui modo præfuerat: proconsuli te comitem negabas; exsuli te offerebas. Ed.

4. *Ausus et non profugi* codex Florentinus: *non tua facta sequi* in eodem codice.

5. *Æquora per Scyllæ.* Scylla scopulus est in mari Siculo.

6. *Consulis ire comes.* In Africam, quam paulo ante administraverat Cæsonius.

7. *Si victura,* etc. Si vitale fuerit hoc carmen meum, scient inde præsentes et posteri, Ovidium id præstitisse Cæsonio, quod Cæsonius prius Annæo Senecæ, philosopho hujus ævi clarissimo a Claudio in Corsicam relegato.

9. *Audiet hæc præsens* Ald. Junt. Colin. Gryph. aliæ. *Audiet hoc præsens* codex Pulmanni.

10. *Senecæ quod fuit.* Hinc colligere est, Cæsonium in Corsicam comitem olim sese adjunxisse Senecæ exsulanti.

XLV.

DE EADEM.*

Facundi Senecæ potens amicus,
Caro proximus, aut prior Sereno,
Hic est Maximus ille, quem frequenti

* *Ad eumdem* lemma est in Ald. Colin. Gryph. etc.

— Ovidii fidem, et charitatem in Cæsonium, antepouit Pyladis officio Orestem comitantis.

1. *Facundi*, etc. Ejusdem argumenti cum præcedenti epigr. versu ultimo. — *Senecæ proximus amicus* Beverlandi MS.

2. *Claro proximus* in eodem. — *Caro proximus.* In amore nempe erga Senecam. Carus autem et Serenus, et hic Maximus Cæsonius, Senecæ amicissimi fuerunt. Vide Senecæ Epist. lxxxvii. — Quidni *caro* pro *dilecto, amatissimo?* Ed.

3. *Quem frequenti.* Ad quem Cæsonium toties scripsit Seneca.

Felix litera pagina salutat.
Hunc tu per Siculas secutus undas,
O nullis, Ovidi, tacende linguis,
Sprevisti domini furentis iras.
Miretur Pyladem suum Vetustas,
Hæsit qui comes exsuli parentis.
Quis discrimina comparet duorum?
Hæsisti comes exsuli Neronis.

4. *Felix litera* dicitur, ut opinor, quod bearet ipsum Cæsonium.

5. *Hunc tu.* Vide epigr. præced.

7. *Domini.* Neronis.

8. *Miretur Pyladem.* Qui se comitem adjunxit Oresti exsulanti, ne a matre sua Clytæmnestra, ut Agamemnon pater, interficeretur. Euripides in Oreste, et Sophocles in Electra. Deinde reversus matrem occidit, et rursum, sed sponte, exsulavit.

9. *Comes exsulis parentis* exhibet solus omnium codex Pulmanni.

10. *Duorum.* Pyladis nempe et Ovidii: ille enim, Orestem secutus, non tantum periculum expertus est, quantum adiit Ovidius, damnatum a Nerone sævissimo tyranno Cæsonium comitatus. Pylades nihil habebat a Clytæmnestra metuendum; tu merito timere poteras, ne in te etiam sæviret Nero: itaque Pyladem longe superasti. Ed.

XLVI.

AD PRISCUM.

Commendare tuum dum vis mihi carmine munus,
  Mæonioque cupis doctius ore loqui;
Excrucias multis pariter me teque diebus;
  Et tua de nostro, Prisce, Thalia placet.

1. *Commendare,* etc. Priscus pollicitus fuerat Martiali munus; trahebat autem moram ut carmine suo, quod Poetæ approbari voluit, munus exornaret: at Poeta, quem premebat egestas, petit sibi mitti id muneris, vel sine carmine; quod utrique minori foret molestiæ.

2. *Mæonio.* Cur Homerus vocaretur Mæonius dictum est lib. V, epigr. x.

4. *Prisce, Thalia tacet* codex Pulmanni; sic legit Turnebus, Advers. lib. XXIV, cap. 18. — *Et tua de nostro.* Et tibi jucundum est meditari carmina cum meo damno: munus enim promissum non mittis. Quod enim versus se scribere accu-

Divitibus poteris Musas, elegosque sonantes
Mittere : pauperibus munera pexa dato.

ratos simularet Priscus, vel etiam reipsa meditaretur, nec interea dona remitteret, silentium ejus merito, utpote conqueritur sibi damnosum Martialis.

6. Beverlandi MS. *munera, Prisce, dato.* Legunt alii *plana*, id est, sine carminibus. Alii *plena*, hoc est, inquit Farnabius, quorum gratiæ nil deminuitur mora. J. Vossius vero interpretatur, non polita instar Elegorum sonantium, sed crassa et pinguia et incondita, magni attamen ponderis. — *Munera pexa.* Raderus vestem pexam intelligit; ita ut laudat in ambiguitate τοῦ pexa (carmina sc.) pauperi pexa dato (vestimenta).

XLVII.

AD LICINIUM SURAM.*

Doctorum Licini celeberrime Sura virorum,
Cujus prisca graves lingua reduxit avos,
Redderis, heu quanto fatorum munere! nobis,
Gustata Lethes pæne remissus aqua.
Perdiderant jam vota metum, securaque flebant

* *Ad Licinium* inscribitur in Ald. Junt. Colin. Gryph. Pulman. Lang. et aliis.

— Gratulatur Licinio reditum in vitam, quæ jam ab omnibus deplorata et conclamata fuerat, hortaturque ut reliquam vitæ partem genio indulgeat. *Rader.*

1. Edd. sup. citt. : *celeberrime, summe virorum.* Lectionem nostram testantur optimi codd.—*Licini.* Cujus mentionem facit et Plinius junior lib. IV, epist. 30 : « Attuli tibi, inquit (nempe Licinio Suræ), ex patria mea pro munusculo quæstionem, altissima ista eruditione dignissimam. »

2. *Cujus prisca.* Cujus oratio gravitatem et mores antiquorum sapit, ac majores nostros, summos cives atque oratores nobis æque repræsentat. Ed.

3. *Redderis*, etc. Quanto nos bearint munere Parcæ, quæ te prope mortuum vitæ restituerunt.

4. *Gustata Lethes.* Lethe, Inferorum fluvius; hoc est, fere mortuus, ad lucem resurgis.

5. *Vota metum.* Spe enim tuæ vitæ deposita jam desieramus timere, et certam tuam mortem lugebamus. — Priora hujus distichi quid sibi velint, non extrico plane. Conjeceram olim : *Perdiderant jam vota*

Tristia cum lacrymis; jamque peractus eras.

metu, fere ut Ovid. Fast. VI, 245. « Spem metus expulerat, quum Menti vota senatus Suscipit. » Adeo ut verbum activum *perdiderant* passive capiatur, vel absolute; qua de construendi ratione vide Gell. lib. XVIII, cap. 12; Vechner. Hellenol. lib. I, p. 1, cap. 6; Pompon. de Usu Antiquar. Locution. lib. II, cap. 1. Cort. Excurs. VI, ad Sallust. Jugurt. cap. 85. Voss. Anal. lib. III, cap. 3. Jens. Singul. Observ. lib. I, 36. Sed non satisfacit. Receptam lectionem Farnabius explicat: « Tanquam in certa morte deposueramus spem, et cum votis metum curamque pro te. » Hoc voluisse forsan Poetam, non plane iverim inficias. Attamen an hæc sententia e vulgatæ lectionis verbis exsculpi commode queat, viderint me oculatiores: ego certe ex illis colligere nondum possum, *vota*, i. e. spem cum metu cessare. An autem, quemadmodum *servitia* pro *servis*, et *operas* pro *operariis* passim legimus (vide et erudit. Gruner. ad Sedul. lib. I, v. 20, et Brant. ad Cæs. B. Gall. lib. VII, 32), ita et *vota* dixit Martialis pro amicis, qui Licinii salute vota conceperant? qua de consuetudine vide Brisson. Form. lib. I; Broukh. ad Tibull. I, 5, 10; Thomasin. de Tab. Vocat. cap. 34, vide et infra lib. XII, epigr. XCII. Amici itaque non amplius metuebant; quia pro defuncto habebatur Licinius. An vero scribendum, *Perdiderant jam vota, metus*, conjunctione omissa, ut sæpius? vide Scheffer. ad Phædr. lib. I, fabul. 9. vs. 3; Ovid. Heroid. Epist. 2, vs. 31, « Jura, fides ubi nunc, commissaque dextera dextræ? » et τὸ *Perdiderant* iterum pro *Perdita erant*, vel absolute. Sed an *secura* tristitia? cur ergo *flebant?* Fletus commoti animi indicium, non autem securi. *Securus* significat quietum, tranquillum: malim itaque: *sinceraque flebant Tristia.* Quæ vox aptissime affectum erga Licinium exprimit. Ita et *sincerus* in *securus* transierat apud Ovid. Nuc. v. 35, ubi vide Burman. Sed est præterea, quod aliquando mihi in mentem venit. Exstat nimirum in aliquibus edd. [scil. Ald. Junt. Colinæan. Gryph. Calderin. Plant. Junian. Lang. Delph. etc.] *securaque flebat Tristitia, et lacrymis jamque peractus eras.* Respuit hanc lectionem Scriverius: puto, quod virum offenderet τὸ *jamque*, præcedente jam copula *et*. Neque mihi valde arridet; quanquam, sæpius particulam *que* abundare, non ignorem. At quid? si legas: *sinceraque flebat Tristitia, in lacrymis jamque peractus eras*, hoc est, respectu lacrymarum: vel, tot jam lacrymæ fundebantur, ac si re vera diem tuum obiisses. Hoc pacto certe interdum hæc præpositio est exponenda; ut apud Flor. lib. II, cap. 6, « Tota insula in una urbe superata est. » Justin. lib. XIV, cap. ult. « Ut Alexandrum posses in moriente matre cognoscere. » Curt. VI, IX, 12: « In vobis liberos, parentes, consanguineos habeo. » Horat. IV, Od. 4, 4: « Expertus fidelem Jupiter in Ganymede flavo. » Ipse Martialis lib. IV, epigr. XXIX: « Sæpius in libro memora-

Non tulit invidiam taciti regnator Averni,
 Et raptas fatis reddidit ipse colos.
Scis igitur, quantas hominum mors falsa querelas
 Moverit; et frueris posteritate tua.
Vive velut rapto, fugitivaque gaudia carpe;
 Perdiderit nullum vita reversa diem.

tur Persius uno, Quam levis in tula Marsus Amazonide. » Sulpic. Sever. Vit. Martin. cap. 2 : « Vere memor Dominus . . . se in paupere professus est fuisse vestitum. » Ant. *de Rooy.*—*Tristia cum lacrymis* dedit Scriverius e membranis et Junii margine. Videtur legendum : *securaque flebant Tristia jam lacrymæ.* Jam lugentium lacrymæ, hoc est, lugentes lacrymis, flebant tristitia secura, id est, certum et creditum nec amplius pro dubio habitum casum tuum. *Gronovius.*

7. *Non tulit*, etc. Vidit ac sensit Pluto, se non fore parem ferendo invidiam et querelas hominum te lugentium ipsiusque rapacitatem detestantium; itaque eripuit Parcis colos fusosque et te vitæ restituit.

8. *Et raptum fatis reddidit ipse solo* codex Pulmanni. *Et raptas fatis reddidit ipse colos* conj. Gronovius, ut Seneca : » Abrupit stolidæ regalia tempora vitæ. »

10. *Frueris posteritate tua.* Ipse velut redivivus scis quam fueris carus nobis, tuis nimirum posteris, quum mortuum te crediderimus. Plin. II, epist. 1.

11. *Vive velut rapto.* Hoc est, percipe voluptates perinde ac si ex rapto viveres. Vid. lib. I, ep. XVI.

12. *Perdiderit nullum diem.* Qui metuebant et cavebant ne dies ita perderent, *vitam* se *rapere* dicebant. Unde Flaccus ad Leuconoen : » *Carpe* diem »; et in lib. Epod. » *Rapiamus*, amici, Occasionem de die ». Eleganter Plinius lib. XIV, cap. 22, de iis qui hesterna crapula mentem opprimebant : « Rapere se ita vitam prædicant quum priorem diem quotidie perdant, immo vero et venientem. » Sic *lethum non perdere* dicunt eos, qui non inulti moriuntur. Lucanus, lib. III : *Non perdere lethum Maxima cura fuit.* Perdere se diem illum putabant, quem non indulgebant genio, voluptati.

XLVIII.

AD ANNIUM.*

QUUM mensas habeat fere ducentas,

* *De Annio* inscribitur in edd. vett. omnibus.

1. *Habeat fere trecentas* codex Pulmanni. — *Fere ducentas.* Nume-

Pro mensis habet Annius ministros;
Transcurrunt gabatæ, volantque lances.
Has vobis epulas habete, lauti.
Nos offendimur ambulante cœna.

rus certus adponitur pro incerto.

2. *Pro mensis.* Hoc est, mensarum vicibus funguntur ei ministri, cibos et opsonia in gabatis sive paropsidibus circumferentes, nec quidquam apponunt convivis. Turnebus, lib. XXV, cap. 24, sic explicat hos versus. Puto, inquit, ita intelligendum : suppetunt illi plurimæ mensæ ad ducentas, non tamen in eis opsonia reponit : sed eas semper servi gerunt, nec epulis frui possunt convivæ, ita ambulatoriam cœnam potius spectant, quam comedunt; quum ministri celeriter paropsides et gabatas ante convivas præferant, etc. Mensas accipere videtur Turnebus pro gabatis ipsis et lancibus escariis.

5. *Nos offendimur:* Quia ambulatoriis his epulis frui non possumus, et præferimus cœnam appositam, qua famem et ventrem, non oculos pascamus. Ed.

XLIX.

AD SEVERUM.

Parva suburbani munuscula mittimus horti:
Faucibus ova tuis; poma, Severe, gulæ.

1. *Pauca suburbani* exhibet codex Palatinus. Vide Interpp. ad Propert. IV, 10, 20; Ovid. Met. II, 788, Fast. III, 66 et Pont. III, 1, 60, et Burm. ad Fast. III, 192.

2. *Faucibus ova.* Hoc est, quæ tuæ raucitati medeantur (notum quippe quam ad molliendam vocem ova faciant); poma autem, quæ palato grata sint, famemque stimulent.

L.

AD FONTEM IANTHIDOS.*

Fons dominæ, regina loci, quo gaudet Ianthis,

* *Ad fontem Hiantidos*, transposito τῷ *h*, lemma est in edd. vett.

1. *Quo gaudet Hiantis* in iisdem. —*Ianthis.* Vid. lib. VI, epigramma

Gloria conspicuæ deliciumque domus,
Quum tua tot niveis ornetur ripa ministris,
Et Ganymedeo luceat unda choro;
Quid facit Alcides sylva sacratus in ista?
Tam vicina tibi cur tenet antra Deus?
Numquid Nympharum notos observat amores,
Tam multi pariter ne rapiantur Hylæ?

XLVII, et epigramma XV, supra.

4. *Ganymedeo*, etc. Pueris delicatis, instar Ganymedis, quorum niveos vultus repercutit unda. Ed. — *Luceat unda thoro* codex Pulmanni. Sed *thoro*, sive *toro*, et *choro* vix distingui possunt in codicibus. Vide nos ad Tibull. II, 1, 88.

7. *Notos*. Bene *notos* quum rapto sibi Hyla, Hercules norit quantis amoribus ardeant Nymphæ ergà juvenes egregios. *Observat*, ut Græcis ὁρᾷ et φυλάττει, id. qu. invigilat, cavet, ne illi pariter rapiantur. Ed.

LI.

AD URBICUM.*

Mercari nostras si te piget, Urbice, nugas,
Et lasciva tamen carmina nosse libet;
Pompeium quæras (et nosti forsitan) Auctum;
Ultoris prima Martis in æde sedet.
Jure madens, varioque togæ limatus in usu,

* Pompeium Auctum celebrat, qui Poetæ versus, ut suum nomen, tenebat, poteratque carentibus libro, ipse liber esse: hunc ut adeat, monet Urbicum, si velit inemptum possidere Martialem.

3. *Pompeium quæres* codex Vaticanus. *Pompeium quæris* codex Florentinus. — *Pompeium quæras*, etc. Adeas Pompeium Auctum, quem et tute fortasse nosti.

4. *Ultoris prima*. Quam Marti bello Philippensi pro ultione paterna suscepto voverat Augustus. Suet. in Augusto, cap. 29; Juven. Sat. IV; et Dio, lib. LIV. — *Primam ædem* vocat aditum templi. Ed.

5. *Lunatus* in codice Vaticano, propter similitudinem syllabarum *im* et *un* in membranis. Ant. *de Rooy* conj. *ab usu*. Vide Micyll. ad Ovid. Trist. IV, 10, 16. Idem Ovid. Art. Am. III, 91: « Conteritur ferrum, silices tenuantur ab usu. » — *Jure madens*. Alii intelligunt, coqui instar jusculo unctum

Non lector meus hic, Urbice, sed liber est.
Sic tenet absentis nostros, cantatque libellos;
Ut pereat chartis litera nulla meis.
Denique, si vellet, poterat scripsisse videri;
Sed famæ mavult ille favere meæ.
Hunc licet a decima, nec enim satis ante vacabit,
Sollicites : capiet cœnula parva duos.
Ille leget, bibe tu : nolis licet, ille sonabit;
Et quum, Jam satis est, dixeris, ille leget.

fuisse hunc Auctum, cujus etiam toga, qua ad varios usus uteretur, attrita esset : ego vero et jurisperitum fuisse, et studiis pacis, et vario causarum genere exercitatum libenter dixerim. Vide epigr. LXIX, infra, et lib. I, epigr. XL.

6. *Sed liber est.* Adeo ad unguem tenet et memoriter recitat! Liber vivus est.

7. *Sic tenet absentis.* Pro *absentes* : ita et alii auctores locuti sunt. Sensus est : Ita memoria Pompeius Auctus tenet mea Carmina, ut ea sine ullo errore, ne minimæ quidem syllabæ, recitare possit. Heraldus mavult *absentis* esse in genitivo : Martialis scilicet. — Scite quidem, et ad id facit horatianum illud : « Quum mea nemo Scripta legat vulgo recitare timentis ». Ed.

9. *Poterat*, etc. Se auctorem profiteri, nisi meæ faveret famæ. Vide Senecæ prolog. Declam. ubi refert exempla quædam memoriæ. Ed.

11. *Nunc licet* Beverlandi MS. — *Licet a decima.* Prius enim propter sua negotia non vacabat Auctus. Hora vero nona cœnare incipiebant Antiqui. De horis dictum lib. IV, epigr. VIII. Sensus est : Si Auctum rogaveris ut mea carmina legat, te ad cœnam invitabit et leget ad nauseam usque : ita meas amat nugas! Ed.

12. *Sollicitos* codex Pulmanni.

LII.

AD AUCTUM.

Gratum est, quod Celeri nostros legis, Aucte, libellos;

1. *Quod Celeri.* De Aucto vide et Epigramma præcedens. Celeris vero mentionem facit Plinius junior lib. IV, epist. 11, qui ob Corneliam Vestalem incesti accusatam in Comitio virgis cæsus est : de quo sane hic non loquitur Poeta, sed de altero, qui præfectus fuit Hispaniæ, patriæ Martialis. Celtæ autem Iberi ripas incolentes, dicti

Si tamen et Celerem quod legis, Aucte, juvat.
Ille meas gentes, et Celtas rexit Iberos,
Nec fuit in nostro certior orbe fides.
Major me tanto reverentia turbat; et aures
Non auditoris, judicis esse puto.

sunt Celtiberi, notissima gens Hispaniæ.

2. *Si tamen*, etc. Nisi molestum sit Celeri audire hujusmodi nugas.

4. *Nec fuit*, etc. Nec alius quisquam majori fide, et abstinentia administravit nostram Celtiberiam. — *In nostro orbe*. In Hispania patria mea, quæ mari et Pyrenæis montibus clausa, quasi orbis alter est.

5. *Major me tanti* Ald. Junt. Colin. Gryph. Calderin. Pulmann. Plant. Junian. Lang. Delph. aliæ. *Major me tanti* codd. Thuan. Palat. et Florent. *Major me tanta* codex Vaticanus. — *Major*, etc. Terreor viri tanti majestate, nec minus sanctum exspecto judicem carminis mei, quam olim gentis meæ.

6. *Non auditores* Beverlandi MS. — *Non auditoris*. Neque enim auditorem tantum, sed ut Celtiberorum olim, sic et nunc Musarum judicem vereor Celerem.

LIII.

IN UMBRUM.*

Omnia misisti mihi Saturnalibus, Umber,
Munera, contulerant quæ tibi quinque dies:
Bis senos triplices, et dentiscalpia septem;
His comes accessit spongia, mappa, calix;
Semodiusque fabæ cum vimine Picenarum,

* Umbri munera Saturnalibus sibi missa, ironice elevat.

1. *Misisti*, etc. De Saturnalibus dictum lib. V, epigr. LXXXIV.

2. *Contulerant*, etc. Quæ ab aliis tibi missa sunt per Saturnalia, quæ ad V dies protraxit Caligula. Vid. lib. IV, epigr. XLVI.

3. *Bis senos triplices*. Hoc est, duodecim pugillares: dicuntur autem triplices a tribus foliis: fiebant ex citro, ebore, aliisque generibus materiarum; ut hodie ex membrana, lapide, lignis, lib. XIV, epigr. VII. — *Dentiscalpia*. Quibus dentes purgantur. Vide lib. VI, epigramm. LXXIV, et lib. XIV, epigramm. XXII.

4. *Spongia*. Ad tergendas mensas, lib. XIV, epigr. CXLIV.

5. *Semodiusque*. Lib. IV, epigr. XLVI, vs. 6.—*Vimine Picenarum*. Fi-

Et Laletanæ nigra lagena sapæ;
Parvaque cum canis venerunt coctana prunis,
Et Libycæ fici pondere testa gravis.
Vix puto triginta nummorum tota fuisse
Munera, quæ grandes octo tulere Syri.
Quanto commodius nullo mihi ferre labore
Argenti potuit pondera quinque puer?

scella olivarum Picenarum, ut lib. XIII, epigr. xxxvi.

6. *Et Laletanæ*. Hoc est, vinum fæcis plenum ex Laletania, in Hispania Tarraconensi. Sapa proprie vinum est decoctum; at ponitur hoc loco, quia hoc vinum crassius: unde et alibi *fæx Laletana*. Tum dicit *nigra lagena*, quod ad vinum refero, quod *purpureum* vocat Ovidius.

7. *Coctana*. De quibus lib. XIII, epigr. xxviii, et lib. IV, epigr. lxxxix, 6. Ficus parvæ ex Syria. — *Canis venerunt prunis*. Quæ lib. V, epigr. xviii, senes dixit Damascenos: vide lib. XIII, epigr. xxix.

8. *Et Libycæ ficus* Pulmanni codex. — *Et Libycæ fici testa*. Et vas grave Africanis et hibernis ficis. Vide lib. IV, epigr. xlvi, 10.

9. *Vix puto*, etc. Puto vix valuisse 30 HS. Quod nostræ monetæ efficit circiter quinque franc. Ed.

10. *Syri*. Hoc est, servi ex Syria, quibus solitum bajulare.

12. *Argenti pondera quinque*, hoc est, libras argenti. Vid. Tab. numer. quæ ad calcem primi vol. Ed.

LIV.

IN NASIDIENUM.

Semper mane mihi de me mera somnia narras,
Quæ moveant animum sollicitentque meum.
Jam prior ad fæcem, sed et hæc vindemia venit;

1. *De me tua somnia narras* codex Pulmanni exhibet; et sic etiam Beverlandi MS. Cætera, in hoc epigrammate nulla exstat lectionis varietas. — *Semper mane mihi*. Ut munera captaret a Poeta, Nasidienus usque fingebat plena terroris somnia, quæ aliquid mali portenderent Martiali: atque ab illo, modo thus, modo vinum petebat ad ea placanda. Quid autem de somniis crediderint Antiqui, vide Macrobium in Somnio Scipionis.

3. *Jam prior*, etc. Ad expianda infausta tua de me somnia, in sacrificiis absumpsi vinum omne

Exorat noctes dum mihi saga tuas.
Consumpsi salsasque molas, et thuris acervos;
Decrevere greges, dum cadit agna frequens.
Non porcus, non cortis aves, non ova supersunt.
Aut vigila; aut dormi, Nasidiene, tibi.

meum superioris et hornæ vindemiæ. Tantum vini mei exhausisti ad peragendas expiationes tuas, ut neque ex priori, neque ex hac vindemia quidquam mihi supersit. Martial. lib. XI, ep. I, vs. 7: « Amphora nunc petitur nigri cariosa Falerni, Expiet ut somnos garrula saga tuos. » Nam vini usus erat in sacrificiis, et post molam salsam sæpius fundebatur. Quum vinum non haberent, aqua utebantur.

4. *Exorat noctes.* Id est, dum saga expiat infausta tua somnia. — *Saga*, somniorum interpres et expiatrix. Lib. XI, epigr. I, vs. 8.

5. *Consumpsi salsasque.* In sacrificiis, quæ fiebant ad omen aliquod avertendum, Antiqui adhibebant vinum, hostiam, thus, et salsas molas.

6. *Decrevere*, etc. Decrescunt mihi greges crebra immolatione.

7. *Cortis aves.* Epig. XXXI supra, vers. I, etc. — *Non ova supersunt.* Hæc dicit, quia ova adhibebantur ad expiationes. Vide Alexandr. ab Alexandro lib. V, cap. 27.

8. *Aut vigila*, etc. Aut nunquam dormias precor; aut de te somnies, quæ scilicet male somniaveris, tuis, non meis impensis piaturus.

LV.

IN CHRESTUM.

NULLI munera, Chreste, si remittis,
Nec nobis dederis, remiserisque;
Credam te satis esse liberalem.
Sed si reddis Apicio, Lupoque,
Et Gallo, Titioque, Gellioque;

1. *Nulli munera.* Chrestus acceptis muneribus nihil remittebat, sed irrumatoribus, qui dederant, fellando satisfaciebat: si, inquit Poeta, ita omnibus satisfacis, mihi reddes mea dona, fellando non me qui probus, sed servum meum qui Judæus est.

4. *Apicio, Lupoque*, etc. Turpitudinis tuæ conscii irrumatoribus.

5. *Titioque Cæsioque* in codd. Palat. Bodl. Oxon. et Pulmanni.

Lingas non mihi (nam proba et pusilla est),
Sed quæ de Solymis venit perustis
Damnatam modo mentulam tributi.

Sunt qui legant: *Titioque Celioque.*

6. *Linges* scriptus codex Turnebi, ut et Palatinus exhibet. — *Non mihi*, etc. Non meam mentulam, quæ castior est, sed servi mei Judæi damnati ad tributum, vel nomine tributi in servitutem damnati: grave autem tributum pendebant, quum Judæi, tum qui Judaicæ sectæ initiabantur circumsecti. Suet. Domit. cap. 12. — *Et pusilla est.* Palat. aperte *puella est*. Et cur non admittam, quum eamdem alibi nominet *anum*, mentionemque faciat, « chartæ virginis? » *Gruter.*

8. In edd. vett. *tributis*. Lectio nostra debetur Turnebo lib. XXIV, cap. 28. — *Damnatam tributi* vocat, quia, Solyma incensa, Domitiano tributa a Judæis exigente, multi originem dissimulabant, ne pendere cogerentur: frustra sane, quum perspicuæ nimium fraudis admoniti qui administrabant fiscum per inquisitores inspicerent an circumcisi, et deprehensos damnarent. Ed.

LVI.

AD RABIRIUM.

Astra polumque tua cepisti mente, Rabiri;
Parrhasiam mira qui struis arte domum.
Phidiaco si digna Jovi dare templa parabit,
Has petat a nostro Pisa Tonante manus.

1. *Pia cepisti mente* in quibusdam. Scriverius legit: *tua percepsti mente.* — *Astra polumque.* Sensus est: Palatium tam superbum Domitiano exstruxerat Rabirius, ut cælum ipsum mente concepisse videretur, ad cujus imaginem, alter Phidias Homero plenus, Palatium illud ædificaverat. Rabirii rursus meminit lib. X, epigr. LXXI.

2. *Parrhasiam.* Id est, Palatinam, in monte nempe Palatino, ubi Evander Arcas ex urbe Parrhasia primus domum exstruxit. Sic Interpretes hunc locum explicant Virg. Æneid. XI, 31: « Parrhasio Evandro Armiger ante fuit. » — Editionis nostræ, vol. IV, p. 203. Ed.

3. *Jovi dare templa parabit*: ita legit Turnebus, lib. XXIV, c. 28; *paravit* alii. — *Phidiaco si digna.* Pisa urbs Peloponnesi ad fluvium Alpheum si voluerit Jovi exstruere templum dignum illo simulacro, quod ex ebore Phidias statuarius nobilissimus formavit, a Domitiano, nostro Jove, petat Rabirium architectum.

LVII.

DE ACHILLA.*

Castora de Polluce Gabinia fecit Achillam;
Pyxagathos fuerat, nunc erit Hippodamus.

Ιππία ἐκ Πολυδεύκοις Κάστορα θῆκεν Αχιλλᾶν·
Πὺξ ἀγαθός ποτ' ἔην· νῦν δ' ἔσετ' ἱππόδαμος.

* Nullam leclionis varietatem in hoc epigrammate exhibendo produnt exemplaria.

1. *Gabinia.* Dives femina equestri censu donavit Achillam, ut eques fieret. Alludit autem ad illum versum Homeri in Iliados γ. Κάστορά θ' ἱππόδαμον, καὶ πὺξ ἀγαθὸν Πολυδεύκεα : *Castora equorum domitorem, et Pollucem pugnis fortem.* Et solenne quidem Græcis, sive ob hunc Iliados versiculum, sive ob quosdam Hesiodi, Theocriti, etc. pro Castore dicere *Hippodamon*, et pro Polluce *Pyxagathon.* Achillas ergo antea quidem pugil erat strenuus : jam vero est equorum domitor; id est, eques factus est, et Gabiniam inibit. Lib. III, epigr. xci. Poeta autem jocum quærit in ambiguitate τοῦ πὺξ, quod significat *pugnis :* atque idem pro πυγὴ usurpatur Aristoteli in physiognom. Ita Achillas puer exoletus et modo πὺξ strenuus, jam factus est ἱππόδαμος eques, *per maneggiare e cavalcare la donna Gabinia;* hoc est, e Castore versus est in Pollucem.

LVIII.

AD GALLAM.*

Jam sex, aut septem nupsisti, Galla, cinædis;
Dum coma te nimium pexaque barba juvat.
Deinde experta latus, madidoque simillima loro
Inguina, nec lassa stare coacta manu,
Deseris imbelles thalamos, mollemque maritum :

* Et hic nulla lectionis varietas apparet in libris impressis aut calamo exaratis.

1. *Cinædis.* Dum ex cultu et elegantia eos judicabas strenuos ad κλινοπάλην, te forma decepit.

Rursus et in similes decidis usque toros.
Quære aliquem Curios semper Fabiosque loquentem,
Hirsutum, et dura rusticitate trucem.
Invenies; sed habet tristis quoque turba cinædos:
Difficile est vero nubere, Galla, viro.

6. *Similes toros.* Mollium et imbellium cinædorum.

7. *Quære aliquem*, etc. Ne ulterius te decipiant pexi isti et comati, quære aliquem ex iis qui sermone et cultus neglectu et horridum comante barba gravitatem et virilitatem profitentur. Lib. I, epigramm. XXV.

9. *Sed habet*, etc. Cave tamen, nam et hi sunt nonnunquam Socratici cinædi.

10. *Difficile est vero nubere viro.* Juv. Sat. II, vs. 8: «Fronti nulla fides. Quis enim non vicus abundat Tristibus obscœnis?» neque enim minus hispidi illi philosophi et μακροπώγωνες, quam formosi et læves sunt *veræ sponsæ*, non sponsi, non *viri*. Ed.

LIX.

DE CÆCILIANO.*

Non cœnat sine apro noster, Tite, Cæcilianus.
Bellum convivam Cæcilianus habet!

* Neque in hoc epigrammate quidquam variant libri scripti aut excusi.—Helluonem quemdam carpit qui solus opipara convivia consumebat.

1. *Sine apro.* Unde Juven. Sat. I, 141: «quanta est gula, quæ sibi totos Ponit apros, animal propter convivia natum», etc. Aprum ergo sibi soli apponebat Cæcilianus, quem facete ejus convivam appellat. Domitius tamen mavult de Apro homine intelligere, cujus meminit Poeta lib. X, ep. XV. Eligat lector.

LX.

AD JOVEM CAPITOLINUM.*

Tarpeiæ venerande rector aulæ,

* *Ad Jovem*, dempto nempe τῷ *Capitolinum*, lemma est in edd. vett.

1. *Tarpeiæ aulæ.* Hoc est, Capitolii, in quo colebatur Jupiter.

Quem salvo duce credimus Tonantem,
Quum votis sibi quisque te fatiget,
Et poscat dare, quæ Dei potestis;
Nil pro me mihi, Jupiter, petenti
Ne succensueris, velut superbo:
Te pro Cæsare debeo rogare;
Pro me debeo Cæsarem rogare.

2. *Quem salvo*. Quem Jovem Deum credimus, salvo Domitiano, qui noster Deus Capitolium incensum instauravit. Sic l. V, ep. 1, vs. 8. Ed.

4. *Quæ Dei potestis*. Alii, *quæ Dei potestas*. Idem est sensus.

7. *Te pro Cæsare*, etc. Tu mea et publica prece rogatus, serva Cæsarem, « mearum Dulce decus columenque rerum »; ille me servabit: tu illi donato, ille mihi donabit. Potest enim Domitianus mihi suppeditare quidquid necessarium est. Turpis hæc est erga Domitianum adulatio; quasi vero ille velut Deus potuisset Martialem tueri ab omnibus casibus quibus obnoxia est humana vita.

LXI.

AD CÆSAREM GERMANICUM.

Abstulerat totam temerarius institor Urbem,
Inque suo nullum limine limen erat.
Jussisti tenues, Germanice, crescere vicos;
Et modo quæ fuerat semita, facta via est.
Nulla catenatis pila est præcincta lagenis;

1. *Abstulerat*, etc. Institores, tonsores, caupones, coqui, etc. vicos omnes Urbis occuparant tabernis suis, et pergulis (quod apud nos in publicis nundinis factum videmus) fores et limina præstruxerant. *Institor* ergo proprie dicitur is, qui tabernis, vinis vendendis, vel alicui alteri negotio est præpositus; sic dictus, quod gerendo negotio et longius provehendo perpetuus instet.

2. *Inque suo*. Hoc est, nullum ante ædes suas liberum euntibus per Urbem transitum relinquebant mercatores.

3. *Germanice*. Sic vocat Domitianum ob devictos Germanos; vid. lib. V, epigr. 11, vs. 7. Ed. — *Crescere*. Remotis tabernis, ampliores et latiores fieri.

5. *Nulla catenatis*, etc. Nullus caupo vendit vinum ad pilas in ta-

Nec prætor medio cogitur ire luto.
Stringitur in densa nec cæca novacula turba;
Occupat aut totas nigra popina vias.
Tonsor, caupo, coquus, lanius sua limina servant.
Nunc Roma est; nuper magna taberna fuit.

bernis quæ lagenis sunt refertæ, et quæ catenis fixæ sunt (Juven. sat. III, vs. 304); nisi forte et ipsæ lagenæ pilis affixæ sunt catenis; signum nempe vini venalitii. — Pilæ erant etiam columnæ ad quas libri vendebantur. Horatius, I, sat. IV: «Nulla taberna meos habeat, neque pila libellos.»

6. *Nec prætor.* Vicis enim laxatis jam transitus liber est juxta tabernas; nec per mediæ viæ cœnosum canalem ire prætor cogitur. Ed.

7. *Stringitur in densas nec cæca novacula turbas* exhibet codex Pulmanni. — *Stringitur in densa.* Hoc est, inquit Domitius, novacula non nudatur amplius media via; cellæ enim tonsoriæ media via collocatæ, uti et cauponum tabernæ dejectæ sunt, et jam tonsores domi tondere coguntur. Raderus conjicit hoc referri posse ad saccularios, qui media in turba marsupia exsecarent. *Cæca novacula* dicitur, vel quod sit recondita theca sua, vel non videatur in turba, quum res brevis sit et exigua. — Vel quod ob incommodam transeuntium multitudinem non *videat* tonsor, et huc illuc velut *cæcus* novaculam vagari sinat.

9. *Limina servant.* Hoc est, hi omnes non exstruunt amplius tabernas media via, sed domi suæ exercent suas artes.

10. *Roma est.* Idem fere dixit lib. Spect. epigr. II: «Reddita Roma sibi est», quæ antea magna videbatur officina, et popina.

LXII.

IN AMILLUM.*

Reclusis foribus grandes percidis, Amille,
Et te deprendi, quum facis ista, cupis;
Ne quid liberti narrent, servique paterni,
Et niger obliqua garrulitate cliens.

* *In Hamillum* inscribitur in quibusdam; et sic apud Juvenalem, ut exhibent plurimi codd.

1. *Præcidis* in aliquot. — *Percidis.* Vid. Nos ad lib. II, ep. LXXII, vs. 3.

3. *Narrent*, etc. Te gravius aliquid pati.

4. *Et notet* in edd. vett. *Et niger*

Non pædicari se qui testatur, Amille,
Illud sæpe facit, quod sine teste facit.

codex Pulmanni; et sic legit Gruterus ex codd. Palat. et Bodl. — *Et niger :* ut *niger* ille, designet garrulum quem, Horatianæ picturæ non dissimilem.

5. *Te qui testatur* codex Pulman. — *Testatur,...teste facit.* Ludit in *testatur* et *teste*, necnon in ambiguitate τοῦ *teste :* hic autem ὄρχεις intelligit, id est, λείχει ἢ φοινικίζει.

LXIII.

DE SILIO ITALICO.*

Perpetui nunquam moritura volumina Sili
Qui legis, et Latia carmina digna toga;
Pierios tantum vati placuisse recessus
Credis, et Aoniæ Bacchica serta comæ?
Sacra cothurnati non attigit ante Maronis,

* Non *De Silio Italico*, sed *De Silio* lemma est in codd. et edd. vett. omnibus.

1. *Nunquam peritura* Beverlandi MS. — *Perpetui.* De Silio Italico poeta vide lib. IV, epigr. XIV, et Plin. lib. III, epist. 7. Silii opera latuere per multa sæcula; nunc vero tenebris eruta et in lucem vindicata vivunt. Ed.

2. *Et Latia.* Hoc est, inquit Domitius, digna rebus gestis Romanorum : Silius enim scripsit secundum bellum Punicum. Farnabius interpretatur carmina digna majestate oratoris Romani, et consulis; Raderus vero intelligit carmina tam egregia, quam natus in Urbe Poeta scribere poterat : Silium enim natum in urbe Italica metropoli Pelignorum, ex qua dictus est *Italicus*, affirmat. Secundum alios Italica hodie, *Sevilla la veja*, urbs fuit Hispaniæ Bæticæ, patria Silii poetæ. (Falso utrique, cum ex τῷ *Italica*, *Italicensis* efformandum; crede *Italicum* antiquitus Siliæ gentis quibusdam adhæsisse cognominis loco, cum ex Italia Urbem primum devenerint. Ed.) — Legunt alii : *Latia carmina digna lyra.*

3. *Pierios.* Vide lib. I, ep. LXXVII, vs. 3. Sensus est : Credisne Silium poesi tantum vacavisse?

4. *Serta.* Quibus more Bacchico caput coronant Musæ Aoniæ.

5. *Sacra coronati* in codice Vaticano. Martialis alibi, V, x, 9 : « Rara coronato plausere theatra Menandro. » — *Cothurnati.* Propter carminum gravitatem. De cothurno lib. V, epigr. XXX. — *Sacra.* Tum sacri

Implevit magni quam Ciceronis opus.
Hunc miratur adhuc centum gravis hasta virorum,
Hunc loquitur grato plurimus ore cliens.
Postquam bis senis ingentem fascibus annum
Rexerat, asserto qui sacer orbe fuit;
Emeritos Musis et Phœbo tradidit annos;
Proque suo celebrat nunc Helicona foro.

ipsi poetæ, ut recte Turnebus notat, lib. Adv. XXI, cap. 6. Poetæ enim inter vates et prophetas censentur, qui sacri habentur. Valer. Flaccus, lib. I Argonaut. : « Ecce sacer, totusque Dei », etc. Nota, *Totusque Dei*, id est, Deo plenus, et furore divino adflatus. *Herald.* Lib. III, epigr. xx, vs. 7, et lib. V, epigr. v, vs. 8.

6. *Implevit magni.* Hoc est, non prius se Musis tradidit, quam Ciceronis opera implevisset legendo, et imitando.

7. *Centum gravis*, etc. Judicium centum virorum qui de testamentis et hæreditatibus in suo foro hasta posita judicabant, quemadmodum auctionarii in atrio auctionario hasta præconis posita. Vid. lib. VI, epigr. xxxviii, vs. 5, et consule Cornelium Vitell. Annotat. in Merulam, cap. 21.

8. *Hunc loquitur.* Quos defendit clientes, illum prædicant.

9. *Postquam bis senis.* Postquam consul fuerat eo anno, quo Nero periit. Plin. Sec. lib. III, epist. 7.— *Ingentem...asserto*, etc. Quo terrarum orbis in libertatem assertus est, tyranno Nerone ad vim sibi inferendam adacto et occiso.

11. *Emeritos Musis*, etc. Foro et honoribus emeritus secessit in Campaniam, ubi Musis vacavit scripsitque carmine heroico xvii libros de Punico bello secundo.

12. *Proque suus celebrat* conject. Ant. *de Rooy*. *Suus*, h. e. liber curis publicis, et quasi sui juris, ut vocat otia senectæ. Supra, lib. IV, epigr. xxv, vs. 8 : « Si juris fuerint otia nostra sui. » Quo sensu et *meus* occurrit in Pers. Sat. V, 88 : « Vindicta postquam *meus* a Prætore recessi. » Nec quemquam offendat remotior a suo casu præpositio. Conf. Horat. III, od. 27, 51; Eleg. in Obit. Mæcenat. vs. 12; Ovid. Epist. ix, 96; xiii, 161; Eleg. ad Liv. Aug. vs. 254. Vide etiam Jens. Observ. Sing. L. L. § 16. Quamvis *pro sua foro* haud incommode exponi possit, tanquam suum forum. Vid. Heins. ad Ovid. Epist. iii, 98, et Snakenh. ad Curt. IV, 10, 4. Pro *foro* Beverlandi MS. habet, *thoro*. — *Proque.* Pro causis agendis, jam Musis vacat.

LXIV.

IN CINNAMUM.*

Qui tonsor fueras tota notissimus urbe,
Et post hæc dominæ munere factus eques;
Sicanias urbes Ætnæaque regna petisti,
Cinname, quum fugeres tristia jura fori.
Qua nunc arte graves tolerabis inutilis annos?
Quid facit infelix et fugitiva quies?
Non Rhetor, non Grammaticus, ludive Magister,
Non Cynicus, non tu Stoicus esse potes;
Vendere nec vocem Siculis plausumque theatris;
Quod superest, iterum, Cinname, tonsor eris.

* Ex tonsore, beneficio feminæ factus eques Cinnamus, et a nescio quo vocatus in jus, abiit in Siciliam exsulatum. Poeta inscitiam illius irridens, ait illum rediturum ad artem assuetam, quum aliam non teneat; iterumque tonsorem fore.

1. *Qui tonsor fueras*, etc. Hunc credo innuere Juv. Sat. I, vs. 25.

2. *Et demum dominæ* Beverl. MS. — *Dominæ*. Amicæ nempe, quæ censu equestri Cinnamum donaverat.

3. *Sicanias urbes*, etc. In jus vocatus mutavit solum, et exsulatum abiit in Siciliam, ut grave judicium *fugeret*. — *Ætnæaque*. Ætnam Siciliæ montem esse norunt omnes.

5. *Inutilis annos*. Nulla honesta, immo nec sordida arte instructus. — *Graves annos*. Hoc est, ingravescentem in dies senectutem.

6. *Fugitiva quies*. Qua frueris in tuo exsilio, in tua fuga miser.

7. *Ludive Magister*. Literatorem intelligit Raderus : nam ut a Rhetore, inquit, ad Grammaticum, ita a Grammatico ad Literatorem descendit Poeta : hoc sensu Ludi magister sumitur lib. X, epigr. LXII. Lanistam interpretatur Domitius. Raderi explicatio mihi videtur melior. — Haud dubie; nam duobus his versiculis enumerat noster genus omne literarum et σοφίας; quorsum, hæc inter, gladiatoriæ scholæ mentio? Ed.

8. *Non Cynicus*, etc. Nullius sectæ philosophus.

9. *Vendere nec vocem Siculum* in codice Thuaneo. *Vendere nec vocem sagulis* codd. Vatic. et Florent. — *Vendere nec*. Nec potes sollicitis reis verba vendere; hoc est, nequis esse causidicus. Lib. V, ep. XVI. Intelligunt alii de præcone : quod minus placet. — *Plausumque*. Hoc est, nec histrio nec citharœdus in theatrum venire potes.

LXV.

IN GARGILIANUM.*

Lis te bis decimæ numerantem frigora brumæ
Conterit una tribus, Gargiliane, foris.
Ah miser, et demens! viginti litigat annis
Quisquam, cui vinci, Gargiliane, licet?

* Hic nulla lectionis varietas offendit in libris manu scriptis aut impressis.

2. *Conterit una tribus.* De triplici foro lib. III, epigr. XXXVIII, vs. 4.

4. *Cui vinci.* Qui enim semel vincitur, plus lucri facit, quam si, lite ad tot annos prorogata, tandem vincat adversarium, post molestias et impendia viginti annorum. Ed.

LXVI.

DE LABIENO.*

Hæredem Fabius Labienum ex asse reliquit;
Plus meruisse tamen se Labienus ait.

* Neque in hoc epigrammate ullo modo variant exemplaria, aut scripta, aut excusa.

1. *Ex asse.* Id est, hæredem omnium bonorum: hæreditas enim vulgo dividitur in duodecim uncias quibus *as* constat.

2. *Plus meruisse.* Labienus enim multis donis captaverat hæreditatem Fabii decoctoris, atque ita hæres institutus ex asse, minus acceperat quam donaverat. Sensus autem is est: Labienus dicit se plus meruisse, hoc est, dignum esse majori præmio; quum intelligat Poeta, illum majori pœna esse dignum, qui malis artibus hæreditatem Fabii captavisset.

LXVII.

IN PHILÆNIM.

PÆDICAT pueros tribas Philænis,
Et tentigine sævior mariti
Undenas vorat in die puellas.
Harpasto quoque subligata ludit,
Et flavescit haphe, gravesque draucis
Halteras facili rotat lacerto,
Et putri lutulenta de palæstra
Uncti verbere vapulat magistri:
Nec cœnat prius, aut recumbit ante,

1. *Pædicat pueros*. Τῷ ὀλίσβῳ. — *Tribas Philænis*. Lacerata carmiue Polycratis, quum mulierum omnium esset castissima, si verum quod de ea scribit *Æschrion* apud Athenæum, l. VIII. Sed *Æschrionis* apologia nihil eam juvit apud posteros. *Herald.* — *Tribas*. Fricatrix.

2. *Tentigine*, etc. Libidinis prurigiue magis iuflammata quam maritus.

3. *Vorat in die puellas*. Λεσβιάζουσα, φοινικίζουσα, καὶ τρίβουσα. Gruter. legit *dolat*.

4. *Harpasto quoque*. Lib. IV, ep. XIX, vs. 6. — *Subligata ludit*. Veste subducta; vel, subligari usa.

5. *Flavescit haphe*. In palæstra flavescit aspergiue arenæ: ita Achelous cum Hercule luctans in Ovidii Met. IX, 36, « fulvæ tactu flavescit arenæ. » Ἀφὴ autem *tactus* est. Epictet. Enchir. cap. 26: Ἔστι δὲ ὅτε χεῖρα βαλεῖν, σφυρὸν στρέψαι, πολλὴν ἀφὴν καταπιεῖν. — *Gravesque*, etc. Et pondera illa plumbea seu ferrea, corpori exercendo in Gymnasiis et Balneis adhibita, vel ipsis grandibus draucis gravia, agili versat manu. Vide lib. XIV, epigr. XLVIII et XLIX; et Juven. Sat. VI, 422, quæ huic epigrammati consonat.

6. *Alterno facili* in edd. vett. *Alteras* h. l. substituit Turneb. non e conjectura, ut ait, sed libraria fide. Codex Pulmanui *Alternans* exprimit.

7. *Putri*. Male olenti ab oleo. — *Lutulenta*, etc. Ceromate e luto inuncta.

8. *Uncti magistri*. Aliptæ manus crepitu inter ungendum. Vide Juvenal. loco supra citato. — *Verbere vapulat*. Nam et hi magistri, quos ἐπιστάτας Græci dicunt, jus virgæ habebant.

9. *Nec cœnat*, etc. Juven. Sat. VI, 429. « sextarius alter Ducitur ante cibum, rabidam facturus orexim », etc. Vide lib. V, epigr. LXX.

Quam septem vomuit meros deunces;
Ad quos fas sibi tunc putat redire,
Quum coliphia sexdecim comedit.
Post hæc omnia, quum libidinatur,
Non fellat : putat hoc parum virile;
Sed plane medias vorat puellas.
Di mentem tibi dent tuam, Philæni;
Cunnum lingere quæ putas virile.

11. In edd. vett. *tunc putat reverti*, et sic legit Delph.

12. *Quum coliphia.* Luctatorum panes, qui vires palæstritarum membris addunt, a κῶλον et ἶφι, ut vult Dom. Calderinus, quam etymologiam asserere laborat Cornel. Vitellius contra Merulam Annotat. c. 12. Certo enim ciborum genere ad palæstras et cæteras ejusmodi exercitationum formas præparabantur. Juvenal. Sat. II, 53 : « Luctantur paucæ, comedunt coliphia paucæ. »

15. *Medias*, etc. ut supra vs. 3.

16. *Mentem tuam, Philæni*, etc. Mentem sanam, sui compotem (*suus* enim pro *sui juris* usitatum), vel quæ feminean appetat libidinem. Locum istum nonnulli exagitant : at Grutero elegans videtur ; ut videlicet usurus voto aut imprecatione, id præter omnem omnium exspectationem optet, quod jam habebat. Eodem fere græc. ep. XXIV, supra : « Ut facias illud, quod puto, lingua, facis. » Nec admodum dissimiliter Turnus apud Virgil. Æn. XI, 408, « Nunquam animam talem dextra hac, absiste moveri, Amittes : habitet tecum, et sit pectore in isto ». Sic apud Senecam in sui nominis Medea, 968, « Mihi me relinque ». Et Symmachus, lib. IV, epist. 48 : « Dii illos mentibus suis puniant. »

LXVIII.

AD INSTANTIUM RUFUM.*

COMMENDARE meas, Instanti Rufe, Camœnas
Parce, precor, socero : seria forsan amat.

* Hujus Epigrammatis lectionem non variant membranæ, aut libri impressi.

1. *Instanti.* Socero, inquit Raderus, ratus scilicet esse τὸ *Instanti* dandi casum a τῷ *Instans*; ego vero puto esse in vocativo, et referri ad Rufum, cujus meminit Poeta lib. VIII, epigr. LI, 21; « Instanti litera Rufi », et lib. XII, epigr. XCVI, vs. 4.

Quod si lascivos admittit et ille libellos,
Hæc ego vel Curio Fabricioque legam.

4. *Hæc ego.* Carmina legam viris vel gravissimis. Curius et Fabricius noti ex Livio, Floro, Horatio, aliis, et sumuntur pro viris gravissimis. Hinc Juven. sat. II, vs. 3 : «Qui Curios simulant.»

LXIX.

DE THEOPHILA AD CANIUM.*

Hæc est illa tibi promissa Theophila, Cani,
Cujus Cecropia pectora dote madent.
Hanc sibi jure petat magni senis Atticus hortus,
Nec minus esse suam Stoica turba velit.
Vivet opus quodcumque per has emiseris aures;
Tam non femineum, nec populare sapit.
Non tua Pantænis nimium se præferat illi,

* Sponsam Canii poetæ Theophilam, ab exquisita doctrina et singulari castimonia laudat. — *De Theophila* sine alio additamento in edd. vett.

1. *Promissa Theophila.* Puella erudita, sponsa Canii, de quo lib. III, epigr. xx; et lib. I, epigr. LXII et LXX.

2. In edd. vett. *pectora voce madent.* Beverlandi MS. exhibet : *pectora rore madent.* Nostram lect. testantur optimi codices. — *Cujus Cecropia pectora dote.* Hoc est, erudita literis Græcis : hunc loquendi modum explicuimus lib. I, ep. XL.

3. *Magni senis altus in hortis* Ald. Junt. Colin. Gryph. etc. *magni senis Atticus hortus* codex Pulmanni. — *Atticus hortus.* Sensus est : hanc sibi discipulam jure vindicet Plato, vel quilibet alius magister, qui philosophiam doceat in horto ab heroe Academo Athenis in usum scholæ consecrato. Sunt qui referant hunc hortum ad Epicurum, qui, ut ait Raderus, hortum 80 minis emerat, et vixit nonaginta circiter annos, unde magnus senex dicitur.

4. *Stoica turba.* Theophilam exspectant quoque Stoici suæ disciplinæ æmulam.

5. Gruterus ex codice Palatino legit ; *per has emiseris aures*, et sic est in Vaticano. *Per istas miseris aures* exhibent edd. vett.

6. *Jam non femineum* in Beverlandi MS.

7. *Non tua Porthenis* Ald. Junt. Colin. Gryph. Pulm. Plant. Junian.

Quamvis Pierio sit bene nota choro.
Carmina fingentem Sappho laudavit amatrix;
Castior hæc, et non doctior illa fuit.

Lang. Calderin. Delph. aliæ. *Non tua Panthenis* ex codd. suis dedit Gruterus. Lectio nostra debetur Scriverio.—Eruditam nescio quam poetriam intelligere videtur.

9. Sunt qui *laudaret*, vel *laudarit*, legi debere putant. — *Laudavit.* Hoc est, ipsa Sappho Poetria nobilis, cujus historia satis nota est, et cujus exstant adhuc carmina aliis poetis lyricis juncta, laudaret Theophilam. Amatricem vocat Phaonis, scil. Lesbii juvenis forma egregia, a quo quum repulsam pateretur, se in mare præcipitem dedit.

10. *Castior hæc*, etc. Theophila vincit Sappho verecundia; ingenio et doctrina illi non cedit.

LXX.

IN PHILÆNIM.*

Ipsarum tribadum tribas, Philæni,
Recte, quam futuis, vocas amicam.

* In hoc epigrammate exhibendo consentiunt membranæ, atque exemplaria excusa.

2. *Vocas amicam.* Male sonat, dicta viro, «amica»; mulieri, bene: quam vero Philænis *amicam* vocat, male audit, quum ipsa Philænis sit tribas. Καλοῦσι γοῦν καὶ αἱ ἐλεύθεραι γυναῖκες καὶ αἱ παρθένοι τὰς συνήθεις καὶ φίλας, ἑταίρας, κ. τ. λ. Καλοῦσί γε τὰς μισθαρνούσας, ἑταίρας. Athenæus, lib. XIV, cap. 4.

LXXI.

DE FAMILIA FICOSA.

Ficosa est uxor, ficosus et ipse maritus;
Filia ficosa est, et gener, atque nepos.

1. *Ficosa est uxor.* Tota hæc familia turpi ulcere laborabat, quod ficum vocant medici: de quo Celsus, lib. VI, cap. 3. Vide lib. I, epigr. LXVI; et lib. IV, epigr. LII.

2. In edd. vett. *et gener atque socer.* Lectionem nostram ex codd. suis primus reposuit Gruterus.

Nec dispensator, nec villicus ulcere turpi,
Nec rigidus fossor, sed nec arator eget.
Quum sint ficosi pariter juvenesque senesque,
Res mira est, ficos non habet unus ager.

6. *Ficos non habet.* Ludit in ambigua significatione *fici* : hoc est, solus ager non habet ficos, vel ficus, poma nempe; Cf. Catulli lepidum epigr. quo sic in ambiguam vocem *hircus* ludit.

LXXII.

AD PAULLUM.

Gratus sic tibi, Paulle, sit December;
Nec vani triplices, brevesque mappæ,
Nec thuris veniant leves selibræ;
Sed lances ferat, aut scyphos avorum,
Aut grandis reus, aut potens amicus,
Seu quod te potius juvat capitque.
Sic vincas Noviumque Publiumque

1. *Sic* bene vel male precandi formula est.—*Sit December.* Saturnalia tibi sint fructuosa. Vide lib. IV, epigr. XLVI.

2. *Vani triplices.* Pugillares nullius pretii. Epigr. LIII supra.

3. *Levesve libræ*, lectio codicis Palatini, perplacet Grutero. Vide lib. VIII, epigr. LXXI. *Breves selibræ* habent Beverlandi MS. et codex Pulmanni.

4. *Sed lances.* Epig. XLVIII supra. — *Scyphos avorum.* Hoc est, pocula antiqua, et magni pretii.

5. *Grandis reus.* Cliens dives quem defendisti.

6. *Sed quod* Beverlandi MS.

7. *Noviumque Publiumque.* Peritissimos nempe calculorum lusores. Calcagninus, de calculorum ludo, sic calculos explicat : « Quin et latronum et canum nomine celebratos calculos agnosco : erant scilicet in abaco, quem et πλίνθιον vocaverunt, seu tu laterculum dixeris, regiones lineis distinctæ ; has urbes nuncupabant. Erant hæ regiones plerumque quinque lineolis, transversariisque, et decussationibus alternatim dimensæ, quinque et viginti numero : singulis latrones quinque insidebant, præter mediam, cui tantum quatuor tribuebantur : excubabant itaque utrinque latrones, nisi canes mavis eos dicere, coloribus distincti, hostili

Mandris et vitreo latrone clausos;
Sic palmam tibi de trigone nudo
Unctæ det favor arbiter coronæ,
Nec laudet Polybi magis sinistras :
Si quisquam mea dixerit malignus
Atro carmina quæ madent veneno;
Ut vocem mihi commodes patronam,
Et, quantum poteris, sed usque, clames;
Non scripsit meus ista Martialis.

animo insidiantes. Ea fuit ludi ratio, ut si unus ex hostili agmine incomitatus deprebenderetur, ita ut circumveniri posset, captivus ex acie traheretur. Et paulo infra, De calculis, inquit, meminerunt Martialis, lib. XIV, epigr. xx, « Insidiosorum si ludis bella latronum, Gemmeus iste tibi miles, et hostis erit » ; et Ovidius de Arte amandi, II, 207 « Sive latrocinii sub imagine calculus ibit, Fac pereat vitreo miles ab hoste tuus. » Nec tamen me præterit, sic pergit Calcagninus, gemmeos, quin et vitreos, a Martiale calculos appellari : « Sic vincas Noviumque Publiumque Mandris, et vitreo latrone clausos. » Mandras enim dictas puto, quas regiones Pollux vocat, et Eustathius : quum vero distincti forent suis coloribus calculi, et ex iis ille deperiret qui inter duos deprehensus facile circumveniri posset, hinc ab eodem Martiale dictum putamus : « Discolor hic gemino victus ab hoste perit. » Idem Calcagninus putat hunc calculorum ludum diversum esse a scapis, Gallice, *Echecs*, quos alii « Latrunculos » vocant. Vide Salmasium.

9. *Sic palmam*, etc. Sic tibi victoriam in ludo trigonalis pilæ adjudicent uncti gymnastæ. Vide lib. IV, epigr. XIX. — *Nudo*, etc. Quem ludum nudi unctique exercebant.

10. *Nuncta te favor* in codice Florentino.

11. *Polybi manus sinistras* codex Palmanni. — *Polybi.* Lusoris sane periti sinistra non magis laudetur quam tua. Observa sinistram maxime usui fuisse in hoc ludo. Vide lib. XIV, epigr. XLVI ; et lib. XII, epigr. LXXXIII.

12. *Si quisquam*, etc. Ut, si quis famosa et maledica et plus quam epigrammatico sale sparsa epigrammata sub meo nomine ediderit mihique adscripserit, patrocineris mihi, meque ab hac calumnia defendas. Vide epigr. XII supra.

LXXIII.

AD MAXIMUM.*

Esquiliis domus est, domus est tibi colle Dianæ,
Et tua patricius culmina vicus habet:
Hinc viduæ Cybeles, illinc sacraria Vestæ;
Inde novum, veterem prospicis inde Jovem.
Dic, ubi conveniam? dic, qua te parte, requiram?
Quisquis ubique habitat, Maxime, nusquam habitat.

* In Maximum ludit pluribus in locis habitantem, quem nusquam reperire poterat, ut salutaret.

1. *Esquiliis.* Vide l. V, epigr. xxii. Una nempe erat Urbis regio. — *Colle Dianæ.* Hoc est, monte Aventino, ubi templum Dianæ. Lib. VI, epigr. lxiv, vs. 13: « Laudat Aventinæ vicinus Sura Dianæ. »

2. *Et tua patricius.* « Patricius vicus Romæ dictus, eo quod ibi patricii habitaverunt, jubente Servio Tullio. » Festus.

3. *Hinc biviæ Cybeles* codex Pulmanni; unde Lipsius legit, *biviræ*, propter Saturnum et Atym. — *Hinc viduæ Cybeles.* Hoc est, Matris Deum templum hinc vides. Viduam vocat propter Atym puerum mortuum, quem illa deperibat. De templo Cybeles et Vestæ dictum jam lib. I, epigr. lxxi.

4. *Inde novum.* Hoc est, Capitolium novum et vetus.

6. *Quisquis ubique.* Sen. epist. 2: « Nusquam est qui ubique est. »

LXXIV.

PRO CARO ET NORBANA VOTUM.*

Cyllenes cælique decus, facunde minister,
Aurea cui torto virga dracone viret;

* *Ad Mercurium* lemma est in edd. vett.

1. *Myllenes* Beverlandi MS. — *Cyllenes.* Montis in Arcadia, ubi Maia a Jove compressa peperit Mercurium. Horat. lib. I, od. x, 1.

2. *Aurea cui torto.* Caduceum intellige, draconibus masculo et fœmina involutum. Hæc ad generationem spectare putabant Ægyptii;

Sic tibi lascivi non desit copia furti,
Sive cupis Paphien, seu Ganymede cales;
Maternæque sacris ornentur frondibus Idus,
Et senior parca mole prematur avus;
Hunc semper Norbana diem cum conjuge Caro
Læta colat, primis quo coiere toris.
Hic pius antistes sophiæ sua dona ministrat :
Hic te thure vocat, fidus et ipse Jovi.

qua de causa Mercurium invocat Poeta, ut Norbanæ et Cari nuptiis propitius sit.

3. *Lascivi furti.* « Callidus» quidem fuit Merc. « quidquid placuit, jocoso condere furto » : hic tamen *lasciva furta* intelligas *adulteria, amores* propter versum sequentem.

4. *Sive cupis Paphien, seu Ganymede cales.* Ita in Idyll. II, cui titulus Pharmaceutria, Theocritus : Εἴτ' αὐτῷ νῦν παῖς παρακέκλιται, εἴτε θέαινα.

5. *Maternæque.* Turnebus lib. XXV, cap. 24, ait : De Mercurii natali et feriis intelligendum est, ut ostendit versiculus ille lib. XII, epigr. LXVII. « Maiæ Mercurium creastis Idus. »

6. *Et senior parca.* Atlas scilicet, Maiæ pater, qui cælum humeris sustinere dicitur.

9. *Hic pius.* Carus nempe colit sapientiam et eloquentiam, cujus tu Deus es.

10. *Fidus et ipse Jovi.* Domitiano nostro Jovi, quemadmodum et tu fidus es Jovi cælesti.

LXXV.

IN ANUM DEFORMEM.*

Vis futui gratis, quum sis deformis, anusque.
Res perridicula est : vis dare, nec dare vis.

* Hic nulla varietas invenitur in libris calamo exaratis, aut prelo excusis.

1. *Vis gratis*, etc. Vide lib. III, epigr. XC.

2. *Vis dare.* Tui copiam, qua ellipsi nil Nostro usitatius. — *Nec dare.* Pecuniam, pretium renuis ei quem provocare vis, et anus et deformis. Ed.

LXXVI.

AD PHILOMUSUM.*

Quod te diripiunt potentiores
Per convivia, porticus, theatra,
Et tecum, quoties ita incidisti,
Gestari juvat, et juvat lavari;
Nolito nimium tibi placere.
Delectas, Philomuse : non amaris.

Ἁρπάζουσι πρόμοι σε καὶ δυνασταὶ
Πὰρ τοῖς συμποσίοις, στοαῖς, θεάτροις,
Καὶ δὴ καὶ ἅμα σοι, ὅταν τύχ' οὕτως,
Αἰωρεῖσθαι ἀδεῖ, φίλον λούεσθαι·
Αὐθάδη γ' ἄγαν ἔμμεναι φύλαξον.
Εὐφραίνεις, Φιλόμουσ', οὐ φίληαι.

*Neque hic quidquam variantiæ produnt exemplaris typis excusa, aut manu exarata.

— Scomma in scurram Philomusum, qui cum ab omnibus cupiatur, rapiatur, ob ingenii elegantiam aut indolis amœnitatem id honoris sibi contigisse existimat; haud merito, quum non viri, sed morionis locum occupet apud proceres Romanos. Satis autem notum imperatorum temporibus habuisse Urbis optimates in deliciis, immo et sæpius immensa pecunia emisse moriones.

1. *Diripiunt.* Certatim invitant, ut alius huc, alius illuc te trahat, quod gallice dictum *s'arracher.*

6. *Delectas.* Ridiculis tuis dictis moves illis risum. — Pro scurra et morione haberis, non pro amico. Δι' ἡδονὴν ὡς εὐτράπελον, οὐ κατὰ σεαυτὸν καὶ ὡς φίλον σ' ἀγαπῶσι. Arist. VIII, Nicom. Eth. cap. 3.

LXXVII.

IN TUCCAM.*

Exigis, ut nostros donem tibi, Tucca, libellos.
Non faciam : nam vis vendere, non legere.

* Neque in hoc ullam lectionis varietatem exhibnere membranæ, aut impressi.

— Illiberalem et sordidnm animum Tuccæ declarat : uempe qui facere quæstum in dono destinarat.

1. *Exigis*, efflagitas, usque et usque petis.

LXXVIII.

IN PAPILUM.*

Quum Saxetani ponatur cauda lacerti,
Et bene si cœnas, conchis inuncta tibi est;
Sumen, aprum, leporem, boletos, ostrea, mullos,
Mittis : habes nec cor, Papile, nec genium.

* *In Pamphilum* codex Pulmanni. — Docet Papilum stultum, qui velit videri lautus foris, et domi egeat, bona sua aliis largiatur, ut ipse careat. *Rader.*

1 *Cum saxetam.* Junt. an. 1512. *Cum Sexitani* in quibusdam aliis. Vide Strab. III, 105; Athen. III, 20. — *Quum Saxetani.* Piscis nempe vilissimi : Saxitani a patria Bætica meminit Plinins lib. XXXII, cap. 11, et forte sic legeudum.

2. Non quadrant *ponatur* et *est;* itaque censeo delendum esse τὸ *est.* Constat enim satis oratio, si ex præcedenti versu hic quoque intelligas τὸ *ponatur.* Gronovius. — *Conchis inuncta.* Faba valde insnlsa, nisi multo oleo perfundatur : *inunctus* tamen sumitur etiam pro uncto. Horatins : « Qnum tua pervideas oculis male lippus *inunctis.* » — *Conchis*, etc. Virides fabæ, neque eæ oleo perfusæ.

3. *Sumen.* Papillæ porcæ, a fætu edito statim resectæ. — *Mullos.* Pisces.

4. *Pamphile* codex Pulmanni. — *Habes nec cor.* Hoc est, stultus es : homo enim prndens *cordatus* dicitur. — *Nec genium.* Cni uempe, neque voluptatibus indulges; optimos enim cibos aliis mittis, tu vilissimos comedis, et quum foris lautus videri velis, domi temet ultro excrucias inopia.

LXXIX.

AD SEVERUM.*

Potavi modo consulare vinum.
Quæris, quam vetus atque liberale?
Ipso consule conditum : sed ipse,
Qui ponebat, erat, Severe, consul.

* In hoc Epigrammate exhibendo consentiunt libri impressi et manuscripti.

1. *Consulare vinum.* In hoc verbo ludit Poeta, nam *consulare vinum*, ut vulgo sumitur, vetus est vinum, et quidem Opimianum, de quo dictum lib. I, epigr. xxvii, vs. 4. Sed addit fuisse hornum, et ipso, qui poetam invitarat, consnle diffusum, atque adeo appositum. Vid. Turn. Adversaria lib. XXV, c. 24.

2. *Quam vetus*, etc. Quam generosum et nobile?

3. *Ipso consule conditum.* Pendebat e vasis vinariis tabella, in qua vini ætas scripta erat; id est, quo tempore, quibusque Consulibus conditum esset. Hinc jocus pendet Martialis.

4. *Erat*, nunc scilicet, hoc anno: novum igitur et insulsum vinum.

LXXX.

AD FAUSTINUM, UT LIBELLOS SUOS MARCELLINO MITTAT.*

Quatenus Odrysios jam pax Romana Triones
Temperat, et tetricæ conticuere tubæ,
Hunc Marcellino poteris, Faustine, libellum
Mittere : jam chartis, jam vacat ille jocis.
Sed si parva tui munuscula quæris amici

* *Ad Faustinum.* lemma est in edd. vett.

1. *Quatenus Othrysios* in codice Pulmanni. — *Odrysios*, hoc est, hyperboreos, Geticos. Vide epigr. vii, supra. — *Triones*. Id est, ursam, lib. VI, epigr. lviii.

3. *Hunc Marcellino.* Ad quem est,

Commendare, ferat carmina nostra puer :
Non qualis Geticæ satiatus lacte juvencæ
Sarmatica rigido ludit in amne rota;
Sed Mitylenæi roseus mangonis ephebus,
Vel non cæsus adhuc matre jubente Lacon.
At tibi captivo famulus mittetur ab Istro,
Qui Tiburtinas pascere possit oves.

lib. VI, epigr. xxv, victis autem Dacis et Getis pax concessa fuerat.

7. *Satiatus lacte.* Getarum enim et Sarmatarum pueri lacte vescebantur.

8. *Sarmatica gelido* Ald. Junt. Colin. Gryph. Calderin. Plaut. Junian. Pulman. Lang. Delph. etc. — *Sarmatica rigido.* Inculti quippe erant illi pueri, qui trocho luderent super glaciem fluminis frigore concreti. De trocho lib. XIV, epigramm. CLXVIII.

9. *Sed Mitylenæi.* Mitylene urbs est Lesbi insulæ, unde formosi pueri accersebantur. Græcia autem nequitiarum officina. — *Mangonis,* Mangones hominum genus improbissimum, qui pueros exsecabant, et frangebant in Venerem. Lib. I, epigr. LIX, vs. 1.

10. *Matre vidente Lacon.* Junt. nostra in margine. — *Vel non cæsus.* Ad aram Dianæ pueros verberibus cædere solebant Lacedæmonii, ut ferendis laboribus illos assuefacerent. Vid. Plutarchus in Lycurgi vita.

11. *Captivo Istro.* Hoc est, a Dacia (quam præfluit Ister) devicta famulus mittetur ad pascendas oves.

12. *Qui Tiburtinas...oves.* Tibure villam habebat Faustinus. Adi lib. IV, epigr. LVII.

LXXXI.

AD LAUSUM.*

Triginta toto mala sunt epigrammata libro :
Si totidem bona sunt, Lause, liber bonus est.

* Hic non variant libri, aut manu scripti, aut prelo excusi.

1. *Triginta.* Carpit Lausum, qui forte in uno libro triginta epigrammata mala esse judicaret, et illum docet bonum nihilominus judicandum esse librum, modo totidem bona reperiantur. Qua sententia plurimum gaudet Noster. Sic lib. I, ep. XVII: «Sunt bona, sunt quædam mediocria, sunt mala plura, Quæ legis hic : aliter non fit, Avite, liber.» Prior versiculus in ore Lausi; altero vates illi respondet. Ed.

LXXXII.

DE MENOPHILO.

Menophili penem tam grandis fibula vestit,
  Ut sit comœdis omnibus una satis.
Hunc ego credideram (nam sæpe lavamur in unum)
  Sollicitum voci parcere, Flacce, suæ :
Dum ludit media, populo spectante, palæstra,
  Delapsa est misero fibula; verpus erat.

1. *Menophili pennem* in edd. vett. Ald. Junt. Colin. et Gryph. — *Menophili penem tam grandis*, etc. Quo loco notant interpretes duo fibularum genera fuisse : sc. indumentum, quo comprimebantur simul et tegebantur verenda; tum filum æneum argenteumque præputio trajectum. Utrumque falsum. Nam neque filum fuisse Celsus indicat, qui a filo fibulam distinguit, et filo exempto fibulam inditam docet : neque vestimentum fuit. Annulus enim fuit promiscuus ex ære, in pædagogiis ad luxum argenteus; isque, ne facile solvi posset, a fabro igne glutinabatur, et ab eodem, quum opus esset, refibulabatur, sive solvebatur. Quid ergo theca illa et aluta, fibulaque penem vestiens apud Martialem fuit? Nempe subligaculum et vagina quædam, cujus usus non ad custodiendam vocem; qui enim fieri poterat, si tam facile removebatur, et sponte cadebat? Sed honestatis causa adhibebatur, præcipue a Judæis ad celandam præcisionem, qui tamen non infibulati, nec enim poterant, quum pellicula carerent, quæ trajiciebatur; quod Josepho Scaligero negotium facessebat : sed quia ferme, qui infibulati erant, etiam thecam hujusmodi, et alutam gestabant; sive ut laterent, sive ne nimio motu atque incussu annulus cutem læderet, sive aliam ob causam. Propterea improprie eam Martialis fibulam appellavit, quæ fibula non erat, sed potius fibulæ ipsius tutamen; quum præterea Celsus fibulam meliorem dixerit quo levior : at hæc quæ ad celandum inventa, adeo gravis, ut *Judæum pondus* Martialis dixerit, quo recutitorum inguina trahebantur. *Ferrarius.*

6. *Verpus erat.* Judæus, vel recutitus : utebatur autem fibula (illa priore modo dicta) ad velandam περιτομὴν, vel ne cogeretur solvere tributum, de quo supra, LV, 8.

LXXXIII.

DE EUTRAPELO.

EUTRAPELUS tonsor dum circuit ora Luperci,
Expingitque genas, altera barba subit.

2. *Expungitque genas* Ald. Junt. Colin. Gryph. aliæ. *Expingitque* ex codd. suis reposuit Gruterus; et sic codex Pulmanni, nec aliter lib. VIII, epigr. LII. — *Expingitque.* Scite radit, et pingit. Alii *expungit*, hoc est, pilos evellit: sed male, inquit Gruterus. — *Altera barba subit.* Tardus, seu circumspectus tonsor, tantam operi impendit moram, ut vel radenti altera per id temporis succrescat barba.

LXXXIV.

AD LIBRUM.

DUM mea Cæcilio formatur imago Secundo,
Spirat et arguta picta tabella manu,
I, liber, ad Geticam Peucen, Istrumque tacentem;
Hæc loca perdomitis gentibus ille tenet.
Parva dabis caro, sed dulcia dona sodali;
Certior in nostro carmine vultus erit.

1. *Cæcilio.* Raderus et Farnabius putant hunc Cæcilium esse Plinium Secundum, qui Pontum et Bithyniam provincias obtinuit, ut patet ex ipsius epistola. Quisquis tandem ille fuerit, imaginem nostri Poetæ ad se mitti optaverat: quod amici discessuri factitabant mutuo ad memoriam absentium sibi revocandam. ED.

2. *Spirat et argutam picta tabella manum* in codice Pulmanni.

3. *Ad Geticam Peucen.* Insulam nempe ad Danubii ostia, de qua epigr. VII sup. Getæ autem ad Danubii ostia incolebant. — *Istrumque tacentem.* Vel quod undas placide volvat, vel quod frigore concrescat. Vide supra epigr. cit. Legunt alii, *Istrumque jacentem*, ut Pulm.

6. *Certior*, etc. Epigrammata Cæcilio grata, et quæ ingenii mei imaginem certiorem expresserint et diuturniorem retinuerint, quam tabula quævis ab artifice peritissimo effecta, et ad vivum expressa.

Casibus hic nullis, nullis delebilis annis
Vivet, Apelleum quum morietur opus.

7. *Hic.* In meis carminibus, *nullis casibus* obnoxia erit imago.
8. *Vivet Appellæum* Junt. an. 1512. *Vivet Apollineum* codex Palmanni. — *Apelleum.* Vivent mei versus, quum opera Apellis pictoris nobilissimi peribunt. De quo Plinius, Hist. Nat. lib. XXXV, cap. 10.

LXXXV.

AD SABELLUM.*

Quod non insulse scribis tetrasticha quædam,
Disticha quod belle pauca, Sabelle, facis;
Laudo, nec admiror: facile est epigrammata belle
Scribere; sed librum scribere, difficile est.

* Facile esse ait, unum alterumve epigramma commodum condere; sed librum totum, hoc difficile, nec cujusvis: desideratur in tanto numero epigrammatum magna rerum varietas, et tot argumenta quot sunt epigrammata; nec quilibet aptus, nec quod faciendo libet epigramm.
3. *Epigramma, Sabelle,* pro *Epigrammata belle*, Scriverius legendum putat.
4. *Sed librum.* In quo nempe conficiendo magna rerum varietate et largo ingenii fonte opus est.

LXXXVI.

IN SEXTUM.*

Ad natalitias dapes vocabar,
Essem quum tibi, Sexte, non amicus.

* Ait Sextum munera venari suis cœnis; eamque ob causam se præteritum, quod nihil donasset Sexto, in ipsius natali.
1. *Ad natalitias.* Natalem diem solenni convivio celebrabant antiqui; ad quod iste Sextus invitabat ignotos, a quibus gratiam pro honoris et amicitiæ testatione relaturis munera acciperet.
2. *Non amicus.* Soli amici et quidem intimi ad epulas vocabantur.

Quid factum est, rogo, quid repente factum,
Post tot pignora nostra, post tot annos,
Quod sum præteritus vetus sodalis?
Sed causam scio : nulla venit a me
Hispani tibi libra pustulati,
Nec levis toga; nec rudes lacernæ;
Non est sportula, quæ negotiatur.
Poscis munera, Sexte, non amicos.
Jam dices mihi, Vapulet vocator.

4. *Pignora nostra*, etc. Amicitiæ mutua pignora.

5. *Præteritus vetus sodalis.* Metaph. ab iis qui a Censoribus senatu moti in recitatione Senatorum non nominabantur, et dicebantur *præteriti*. Heraldus dicit esse verbum juris, ubi is, cujus testator non meminit, dicitur *præteritus*. Nihil crebrius : id παρελθεῖν et παραλείπειν Græci dixerunt.

7. *Argenti tibi libra postulati* ed. antiq. Ferrar. Ald. Junt. Colin. Gryph. etc. Gruterus *Hispani tibi libra pusulati* reposuit ex codice suo. — *Hispani tibi libra pustulati* (*postulati*). Pustulatum, vel pusulatum interpretatur Turnebus lib. XXIV, cap. 2, argentum purum, quodque pustulas et tumores habet. Argenti pustulati mentionem facit Suetonius in Nerone, c. 44. *Argenti pusulati*, quod melius plerisque visum et adoptatum est, fit mentio in lege 31, ff. Locati : ad quam vide notas Gothofredi in verbo *pusulatum*. Cujacius Observ. lib. VII, cap. 39, existimat, *postulatum* vel *pustulatum*, idem valere quod *pusulatum*; gallice, *argent de coupelle*.

8. *Nec tenuis toga* codex Florentinus; et sic Gruterus ex codd. suis. — *Rudes lacernæ*. Novæ, inquit Raderus, quæ togis injiciebantur, ut hodie pallia.

9. *Non est sportula*. Sed potius mercatura, quum sportulam gratis non des, sed ex ea majora te accepturum munera speres. Nundinatio quædam, negotiatio, auctio dicenda potius est, quam munus et beneficium. Ed.

10. *Pascis* in quibusdam.

11. *Vah pudet vocetur* codex Pulmanni. — *Vapulet vocator*. Hoc est: Jam te mihi excusabis, culpam rejiciens in eum servum, qui curam habet invitandi tuos amicos, quasi me oblivione prætererit : dabit pœnas, quod te neglexerit. Ed.

LXXXVII.

DE SE. *

Si meus aurita gaudet glaucopide Flaccus;
Si fruitur tristi Canius Æthiope;
Publius exiguæ si flagrat amore catellæ;
Si Cronius similem cercopithecon amat;

* Alia aliis in deliciis esse, se Labyca delectari puero formosissimo; ita ut hic sit sensus totius epigrammatis: si multi aves aut alia animalia amant, cur ego, inquit Poeta, non amabo formosum puerum? forte item monstrosum; namque ob luxum tandem distortis et prodigiosis corporibus gaudebant Romani. Quintilian. Declam. 298, et Institut. lib. XI, cap. 5. Idem de Mulieribus romanis Clemens Alex. et Amm. Marcell. lib. XIV.

1. *Gaudet glaucopide (lagopode).* Lagopodem avem esse docet Plinius lib. X, cap. 48, sic dictam a pedibus leporinis. Horatius II, sat. II primam hic productam corripuit: « Nec scarus, aut poterit peregrina juvare lagopis. » (Merito, siquidem Græcos imitatus, quorum e lingua λαγώς, λαγώπους, etc. Ed.) Hinc variæ in MSS. et excusis lectiones. Dum enim *lagopode* Ald. Junt. Colin. Gryph. Plant. Junian. Lang. etc. *lagalopece* G. Vossius de Art. gramm. P. II, p. 128 (ita apud Catullum *chenalopex*, *cercalopex*, et apud Festum *cercalopex*; alii *lagopece* (male) et *lagagopece*; novissimus tandem Scaliger *glaucopide*; melius Raderi et Farnabii judicio qui interpretantur ululam, seu bubonem. Sic vero loquitur Scaliger ad Propert. lib. IV, eleg. 3. Primum lagopodem non esse auritam: est lagopus quam perdicem albam Inalpini vocant. Deinde prima syllaba corripitur. Postremo avis illa est pulcherrima, ideoque non videtur inter monstra et portenta numeranda; quum tamen hoc agat Martialis, ut ostendat monstra placuisse illis viris, quos ordine recenset: at contra glaucopis, seu bubo, et aurita est, et sane non inter venusta animalia adnumeranda.

2. *Tristi Canius.* De Canio Poeta Gaditano, lib. III, epig. XX. *Tristi*, hoc est, atro, vel quia infausti ominis erat, si mane quis occurrisset Æthiopi. Juv. sat. VI, 601 et 602.

3. *Publius.* De Catella Publii vide lib. I, epigr. CX.

4. *Cercopithecon.* Cercopithecus est caudatus, cætera simio similis. Lib. XIV, epigr. CCII: « Callidus emissas eludere simius hastas, Si mihi cauda foret, cercopithecus eram. » — *Similem* dixit: Æthiopi-ne? an catellæ? an simiæ? an sibi similem? ut lib. XIV, epigr. citat. — Fortean *similis* pro *imitator*, *simulator*; ob id autem nulla vox τῷ *simi-*

Delectat Marium si perniciosus ichneumon;
Pica salutatrix si tibi, Lause, placet;
Si gelidum collo nectit Glacilla draconem;
Lusciniæ tumulum si Thelesina dedit:
Blanda Cupidinei cur non amet ora Labycæ,
Qui videt hæc dominis monstra placere suis?

lem ut regimen sociata, quod non illi, non huic, non Cronio, non catellæ magis aut minus quam alii cuilibet obvio similem sese ferat cercopithecus. Ed.

5. *Ischemon* codex quidam ap. Beverl. *icaneumo* Florent. habet, *ichemon* codex Vaticanus.—*Ichneumon*. Quem describit Plinius lib. VIII, cap. 24, et *perniciosum* dicit aspidi præsertim et crocodilo, quibus est hostis infensissimus. Conf. et Plinius, loco laudato; et Ælianus, lib. VIII, cap. 25, et Athenæus lib. IX, cap. 10.

7. In codice Palat. *Gladella:* Beverlandi MS. *Gadilla;* in codice Pulmanni, *Galathia;* alii, *Gradilla*, vel *Flaccilla*. —*Gelidum*, solenne Græcis, mox Latinis, ad serpentes, colubros et id genus animalia ἐπίθετον. Theocr. Idyll. xv: ἵππον καὶ τὸν ψυχρὸν ὄφιν. Ed. Cæterum æstivis mensibus dracones sinu gerebant, quibus et collum involvebant mulieres Romanæ, ut se refrigerarent. Senec. de Ira. Lucian. in Alexandro. Suet. Tiber. cap. 72; Plin. lib. XXIX, cap. 4.

9. *Blanda Cupidinei*. Cur mihi non liceat amare Labycam forma parem Cupidini?

LXXXVIII.

DE SUIS LIBRIS.

Fertur habere meos, si vera est fama, libellos
Inter delicias pulchra Vienna suas.
Me legit omnis ibi senior, juvenisque, puerque,
Et coram tetrico casta puella viro.
Hoc ego maluerim, quam si mea carmina cantent,
Qui Nilum ex ipso protinus ore bibunt;

2. *Pulchra Vienna*. Urbs Galliæ ad Rhodanum, quæ inter Allobrogum, immo et Viennensis totius civitates principem olim locum obtinuit; quæ hodie etiam vocatur *Vienne*.

6. *Qui Nilum*. Hoc est, remotissimi Æthiopes. De fontibus Nili

Quam meus Hispano si me Tagus impleat auro,
Pascat et Hybla meas, pascat Hymettos apes.
Non nihil ergo sumus, nec blandæ munere linguæ
Decipimur : credam jam, puto, Lause, tibi.

dictum lib. Spect. epigr. III : « Et qui prima bibit deprensi flumina Nili. »

7. *Quam meus Hispanus* Beverlandi MS. — *Meus*. Id est, popularis, qui Hispaniam patriam meam pervagatur. Ed.

8. *Pascat et Hybleas pascat* in Beverlandi codice. — *Hybla... Hymettos*. Hybla mons est Siciliæ apibus et melle delicatissimo abundans, ut et Hymettos mons Atticæ.

9. *Blande murmure* Junt. an. 1512. In aliis vett. *blandæ murmure*; et sic Delph. *Blandæ munere* codex Pulmanni; *magnæ munere* Beverlandi MS. — *Blandæ munere*. Sensus est : Quum Viennæ legantur mei libri, credam tot in illis bona esse epigrammata, quot mala, atque adeo bonos esse, licet, o Lause, aliter sentias. Vide epigr. LXXXI supra.

LXXXIX.

APOLLINARI MITTIT CORONAM ROSEAM. *

I, felix rosa, mollibusque sertis
Nostri cinge comas Apollinaris.
Quas tu nectere candidas, sed olim,
Sic te semper amet Venus, memento.

* *Ad Rosam* inscribitur in edition. veterib. Aldin. Juntin. Collinæan. Gryphian. Pulman. Plant. Junian. Lang. etc.

— Apollinari, amicissimo suo carminumque suorum emendatori, mittit sertum rosaceum, optatque ut ei coma florida hac corolla cingatur ad multam usque senectutem et Nestoream.

2. *Apollinaris*. De quo lib. IV, epigr. LXXXVII, et lib. hujusce epigrammate XXVI. Felicem rosam dixit, quod Apollinaris comas circumdatura esset.

3. *Candidas, sed olim*. Hoc est, canas, sed multis abhinc annis. Sic optat Poeta diu vivere Apollinarem.

4. *Amet Venus*. Cui dedicata es. Rosa Veneri peculiariter dicata erat; fingebatur flos ille candidus primum, concepisse subito purpureum hunc ruborem ex Adonidis sanguine quem aper interfecerat, aut etiam ex Veneris cruore, quam spina rosæ vulneraverat. Ed.

XC.

AD CRETICUM.*

Jactat inæqualem Matho me fecisse libellum;
Si verum est, laudat carmina nostra Matho.
Æquales scribit libros Calvinus et Umber.
Æqualis liber est, Cretice, qui malus est.

* *Ad Criticum* Ald. Junt. Colin. Gryph. Pulm. Plant. Jun. Lang. etc. *Ad Creticum* in cod. Florent.

1. *Matho.* De quo jam dictnm lib. IV, epigr. LXXX.

3. *Calvianus* codex Thuan. pessime; qui enim in hexametro *Calvianus*, unica inter longas dnas brevi? — *Æquales scribit libros.* Totos malos, cui nihil admiscetur boni. Alio forte sensu, qui bonus liber esset *æqualis*, id est, varietatis egenns? — *Calvinus.* Poeta, ut divinare est, malus.

4. *Critice* in Ald. Junt. Colin. Gryph. Pulmann. Plant. Junian. Lang. etc. ut in lemmate snpra *Criticum* (perperam qunm apnd Græcos κριτὴς, κριτικὸς, et qnidquid vocum ab hoc fonte delabitur primam corripiat. Ed.) *Cretice* codex Florentinus. — *Æqualis liber* malus est, qnia, nt dixit Poeta lib. I, epigr. XVII, in nno libro quædam sunt bona, et quædam mediocria, plnra vero mala: liber ergo *æqualis* malns est, quia Martialis judicio nunquam liber totus bonus est.

XCI.

AD JUVENALEM.*

De nostro, facunde, tibi, Juvenalis, agello
Saturnalitias mittimus ecce nuces.

* Nuces mittens ad sodalem Saturnalium tempore, veniam rogat, ne nimis exigunm id xenioli videatur; ab hoc antem excusationem petit, quod sibi jam præter nuces nihil reliquum, rapto quidquid fructnum tulerat ager. — At custos aderat Priapus! — At non defendebat; puellæ enim rapiebant: puellis autem quid non sinet libidinosus et feminarum cnpidissimus Deus?

1. *Juvebalis* Juntina anni 1512; vitio, ut suspicor, operarum. Cætera, nulla est lectionis varietas.

2. *Saturnalitias*, etc. Quibus scilicet luditur in Saturnalibns. Conf. lib. V, epigr. XXX.

Cætera lascivis donavit poma puellis
Mentula custodis luxuriosa Dei.

4. *Mentula*, etc. Ipse Priapus, quem vel illius sub effigie sæpius pinxit improba antiquitas; quem φαλλον, immo et ἰθύφαλλον nominavit. Vid. lib. I, epigr. XXXVI, et lib. VI, epigr. XLIX et LXXIII.

XCII.

IN BACCARAM.*

Si quid opus fuerit, scis me non esse rogandum,
Bis nobis dicis, Baccara, terque die.
Appellat rigida tristis me voce Secundus;
Audis, sed nescis, Baccara, quid sit opus.
Pensio te coram petitur clareque palamque;
Audis, sed nescis, Baccara, quid sit opus.
Esse queror gelidasque mihi tritasque lacernas;
Audis, sed nescis, Baccara, quid sit opus.
Hoc opus est, subito fias ut sidere mutus;
Dicere ne possis, Baccare, quid sit opus.

* In vanum promissorem, et pollicitis divitem; aut potius in dissimulatorem. Veri enim amici est, etiam non roganti succurrere.

1. *Si quid opus fuerit tibi* Beverlandi MS.

3. *Appellat.* Creditor scilicet a me exigit fœnus.

4. *Audis et nescis* codex Pulmanni : alii legunt: *et nescit Baccara quid sit opus?* Illa enim sæpiuscule dixeral Martiali, Pete, si quid tibi opus.

5. *Pensio cur a me petitur* codex Pulmanni.—*Pensio.* Ædium nempe conductarum. Lib. III, ep. XXX, 3.

6. *Audis et nescis* Pulmannus.

9. *Fias ut sidere.* Sideratio morbus est, quo læsæ arbores arescunt : hinc siderationis nomen translatum est ad hominem, cujus corpus arescit. Sensus est : Sidere percussa tua lingua arescat. Idem dixit lib. XI, epigr. LXXXV : «Sidere percussa est subito tibi, Zoile, lingua.»

10. *Dicere nec possis* Beverlandi MS. — *Quid sit opus.* Ne proferas hæc verba, quibus circumvenis amicos, qui credunt te tuis promissis staturum.

XCIII.

AD NARNIAM.*

Narnia, sulfureo quam gurgite candidus amnis
  Circuit, ancipiti vix adeunda jugo,
Quid tam sæpe meum nobis abducere Quintum
  Te juvat, et lenta detinuisse mora?
Quid Nomentani causam mihi perdis agelli,
  Propter vicinum qui pretiosus erat?
Sed jam parce mihi, nec abutere, Narnia, Quinto;
  Perpetuo liceat sic tibi ponte frui.

* Rogat Narniam civitatem, ne diutius detineat Q. Ovidium agro Nomentano vicinum agrum habentem; se ægre ipsius præsentia carere. *Rad.*

1. *Circuit amnis Candidus* Beverlandi MS. — *Narnia.* Umbriæ urbs primo *Nequinum*, hodie *Narni*, quam cingit amnis Nar, hodie *Negra;* unde nomen civitati.

2. *Ancipiti jugo.* Hoc est, gemino, nempe jugo montis Apennini.

3. *Abducere Quintum.* Ovidium scilicet, de quo lib. X, epigr. XLIV.

5. *Causam.* Hoc loco causa sumitur, ut opinor, pro emolumento. Et sensus est : O Narnia, cur me privas emolumento agri mei Nomentani, in quo scilicet jam habitare nequeo propter absentiam Quinti? Domitius sic interpretatur : O Narnia, cur aufers causam amandi illum recessum, et voluptatem quam ego percipiebam propter Quintum vicinum? Judicet lector.—Ductam ego μεταφορὰν a litibus crediderim, quæ et apud nostrates usitatissima, nec a Latinorum consuetudine plane abhorret. Ed.

6. *Pro turpi vitio qui* codex Pulmanni.

8. *Perpetuo liceat.* O Narnia, sic perpetuum dii propitii sinant, ut incolumis sis cum eximio tuo ponte, qui duos abruptos montes (quos supra, anceps jugum, vocavit) subterlabente flumine jungebat. Vid. Schotti itinerarium, lib. I, p. 106.

XCIV.

DE PAPILO.*

UNGUENTUM fuerat, quod onyx modo parva gerebat;
Olfecit postquam Papilus, ecce garum est.

* *De Pamphilo* inscriptio est in Beverlandi MS. —Tam gravem ait et olentem Papili animam ex infami et impuro ore profectam, ut afflatu suo etiam pretiosissima unguenta corrumpat, et garum reddat.

1. Junt. an. 1512 *pva*, i. e. *parva*. —*Onyx*. Hoc est, vas unguentarium ex onyce factum. Lib. VI, ep. XLII. « Merito mirantur hic viri docti τὸ *onyx* femineo genere [quum et Græcis ὁ (non ἡ) ὄνυξ, et apud Flaccum IV, od. 12, vs. 17, «nardi parvus onyx.» ED.] Scribo: *quod onyx modo parve gerebas*; ut ipsum vas alloquatur, quod frequentissimum poetæ. » *Gronovius*. Sed vide Plin. lib. XXXVII, cap. 6.

2. *Olfecit*. Papilus adeo male olebat, ut, si odoraretur unguenta nobilissima, statim corrumperet. — *Garum est*. Liquamen est piscium, de quo dictum lib. VI, epigr. XCIII. Corruptum ab impuro narium olfactu. Vide lib. III, epigr. XVII, vs. 6; et Catullum XIII, 13. ED.

XCV.

IN LINUM.*

BRUMA est, et riget horridus December,
Audes tu tamen osculo nivali
Omnes obvius hinc et hinc tenere,
Et totam, Line, basiare Romam.
Quid possis graviusque sæviusque
Percussus facere, atque verberatus?

* « Linum monet, ne se basiet hyemali tempore, quum semper sit mucidus. Ille vero quum vellet ambitiosus et multis perquam familiaris videri, amicos obvios omnes naribus fluentibus basiabat. » *Calderin.*

2. *Osculo*. Osculis salutare obvios amicos Romanis moris erat, ut et Persis, Judæis, Græcis, etc. — *Nivali*. Frigido et madido.

3. *Omnes obvios* in edd. vett. *Omnes obvius* codex Pulmanni.

Hoc me frigore basiet nec uxor,
Blandis filia nec rudis labellis.
Sed tu dulcior, elegantiorque,
Cujus livida naribus caninis
Dependet glacies, rigetque barba,
Qualem forficibus metit supinis
Tonsor Cinyphio Cilix marito.
Centum occurrere malo cunnilingis;
Et Gallum timeo minus recentem.

8. *Filia nec nudis* Beverlandi MS.

9. *Sed tu dulcior elegantiorque.* Hoc sensu : at qui nec uxoris fero, nec filiolæ oscula, tua accipiam, o femina, o puellnla elegantior homuncule? εἰρωνικῶς, nt est obvium. Ed.

11. *Dependet glacies.* Hoc est, stiria mucosa; gallice, *roupie.*

12. *Qualem forcipibus* edd. vett. *Qualem forpicibus* codex Pulmanni. Lectionem nostram testatur codex Florentinus. — *Qualem forficibus.* Hoc est, qualem barbam habent hirci Cinyphii a Cilice caprario tonsi. — *Forficibus supinis.* Hoc est, acie erecla, et manubrio deorsum tendente. Cinyps, inquit Ortelius, fluvius est Africæ. Strabo lib. XVII scribit *Ciniphus,* ad quem magna est hircorum copia. — Quod autem Cinyphinm et Cilicem sociaverit Noster, plurimus viris doctis et in vano labor. « Quid enim, illi aiunt, Cilici tonsori cum hirco Cinyphio? non magis verisimile est Cinyphios tonsores suos e Cilicia petiisse qnam e Cinyphiis Cilicas. » Hinc aliis placuit *tonsor Cinyphio Chalybs marito* (*Chalybs* scil. pro omni eo qni ferrum tractat, quemadmodum et apud Catull. de coma Berenices, 15); aliis incidit in mentem esse Cinyphem fluv. apud Cilicas. Quod quidem aliquantulum firmaverit præsentia literæ *y* quam et Italicis et Africis idiomatibus citra usum exstitisse omnes norunt. At forte κακογραφία in codd. et aliunde de Cinyphe in Cilicia nihil occurrit. Sed, quid mirum, precor, in Italiam utrinsque tunc mundi principem, et vix credibili opulentia cuncta ad se trahentem, confluxisse quidqnid optimæ notæ in proviuciis, ergo et Africas pecudes, et, egregios upiliones, Cilicas? Nonne et inde aliquid varietatis et gratiæ exoritur, quod in res diversissimas legentium oculi quasi ambulent et pervagentur, et ab Occidente qui tondeat, ab Oriente qui tondeantnr, advolare circumspiciant? Ed.

13. *Cynaphio Cylex marito* in Florentino codice. — *Marito;* scil. hirco, patre et viro gregis Cinyphii. Ed.

15. *Gallum timeo.* Turnebns lib. XXV, cap. 24, sic explicat hunc versum : Puto, inqnit, significari malum odorem, quem corpore suo emittebant Galli Romam venientes, recentesque, quum intemperantins viverent, et labore itineris virus intemperantiæ augerent. An forte Gallum sacerdotem Cybeles intelli-

Quare si tibi sensus est, pudorque,
Hibernas, Line, basiationes
In mensem rogo differas Aprilem.

git, cui recens castrato gravissima erat anima? An intelligit Gallum Bæticum, nuper λείξαντα; de quo vid. lib. III, epigr. LXXXI?

XCVI.

EPITAPHIUM URBICI PUERI. *

Conditus hic ego sum Bassi dolor, Urbicus infans,
  Cui genus et nomen maxima Roma dedit.
Sex mihi de prima deerant trieteride menses,
  Ruperunt tetricæ quum mala pensa Deæ.
Quid species, quid lingua mihi, quid profuit ætas?
  Da lacrymas tumulo, qui legis ista, meo.

Ἀλγοσύνη Βάσσου παῖς Οὔρβικος ἐνθάδε κεῖμαι,
  Τοὔνομα τῷ Ῥώμῃ, καὶ τὸ γένεθλον ἔδω.
Ἕξ μου τῇ πρώτῃ τριετηρίδι μῆνες ἀπῆσαν,
  Ῥῆξαν ὅτ' ἄστοργοι τὸ βραχὺ νῆμα θεαί.
Καὶ τί στωμυλίη, νεότης τε, τί μ' εἶδος ὄνησε;
  Ξεῖνε, σὺ δ' ἡμετέρῳ δάκρυα λεῖβε τάφῳ.

* Elegans infantis bimuli tumulus dulces ciet lacrymas.

1. *Bassi dolor.* Id est, causa doloris. Audacter et poetice, ut et Virgilio, Æneidos lib. VI, sub initium, de labyrintho, *inextricabilis error*, id est, causa erroris.

2. *Cui genus.* Hoc est, qui natus sum in Urbe, atque ab ea nomen sumpsi: Urbicus enim nomen quod, ut manente republica minus usitatum, sic frequentissimum imperatorum temporibus, quum tot scilicet nova et barbara et *hybrida* et nescio unde petita nomina urbem Romam complevere. Ed.

3. *Deerant trientide menses* codex Florentinus.

4. *Quum mala.* Quum vitæ filum absciderunt Parcæ.

5. *Quid lingua.* Ut debilis et balbutiens adhuc, ita tamen præmatura et amata parentibus. — *Quid profuit ætas?* Tam tenera: etenim duos tantum annos et sex menses natus erat Urbicus quum mortuus est.

Sic ad Lethæas, nisi Nestore serior, undas
Non eat, optabis quem superesse tibi.

Οὔτως εἰς Λήθης οὐχ ὁπλότερος κίοι ὕδωρ
Νέστορος, ὃν μετὰ σὲ ζῶντα λιπεῖν ποθέεις.

7. *Nestore serius* codd. Vatic. et Florent. *Nestore serior* in edd. vett. et sic etiam Schrevel.—*Senior* quidam, sed pessime, dactylum hic imperante rhythmo. Ed.

8. *Non eat.* Non moriatur. Lethe sive oblivionis (λήθης) fluvius in Inferis est satis notus. Nestor vero diutissime vixit; de quo lib. II, epigr. LXIV.

XCVII.

AD LIBRUM SUUM DE CÆSIO SABINO.*

Nosti si bene Cæsium, libelle,
Montanæ decus Umbriæ Sabinum,
Auli municipem mei Pudentis;
Illi tu dabis hæc, vel occupato.
Instent mille licet premantque curæ,
Nostris carminibus tamen vacabit.
Nam me diligit ille, proximumque

* *Ad librum suum* lemma est in edd. vett. — Mittit librum Cæsio Sabino ex Umbria oriundo, et Auli Pudentis municipi. Quantum autem Cæsius amarit Martialem, vel ex hoc intelligas, quod omnibus negotiis anteposuerit Poetæ nova epigrammata, et ea unus omnibus legerit.

1. *Cæsium, libelle.* Vide Baptist. Fontejum de gente Cæsia, cap. 20 et 21. Vid. lib. IX, epigr. LIX.

2. *Montanæ.* Quippe quam Apenninus totam aut circuit, aut mediam tenet. — *Sabinum.* De quo Plinius Junior lib. IV, epist. x; vi, 18; ix, 2 et 18; ubi vide notas nost. editionis; nam ab hoc Cæsio diversum fuisse credam, quia hic ex Umbria, ille e Piceno oriundus fuit. Ed.

3. *Auli Pudentis.* De quo sæpe dictum amantissime, præsertim lib. I, epigr. XXXII; lib. IV, epigr. XIII; lib. V, epigr. XLVIII, etc.

4. *Hæc et occupato* codd. Val. et Florent.

5. *Instent nulla* codex Florent.

7. *Proximusque* Beverlandi codex; el mox, *legit libellis.*

Turni nobilibus leget libellis.
O quantum mihi nominis paratur!
O quæ gloria! quam frequens amator!
Te convivia, te forum sonabit,
Ædes, compita, porticus, tabernæ.
Uni mitteris, omnibus legeris.

8. *Turni.* Poetæ cujusdam satirographi ex Aurunca: lib. X, ep. XI, et Sidonius carm. Cf. et Rutilius in Itinerario, et Juvenalis interpres vetus, ad sat. 1, vs. 20.

9. *O quantum tibi numinis* codex Florent.—*O quantum mihi.* Alii, *tibi.*

10. *Quam frequens amator!* Id est, Quam multi me et mea amabunt!

11. *Sonabunt* codex Vaticanus.

13. *Uni mitteris, omnibus legeris.* Quamquam enim ad unum (Sabinum scilicet) ego te miserim, multi, immo omnes te legent; ille enim te omnibns commendabit, et legendum dabit.

XCVIII.

AD CASTOREM. *

OMNIA, Castor, emis: sic fiet, ut omnia vendas.

* Scomma in virum inopem et magnificum.

1. *Ut omnia*, etc. Quum præter facultates multa emas lauta et nitida, tandem urgente inopia eo devenies ut cogaris omnia vendere. Turnebus lib. XXV, cap. 24, ait se huic carmini appensum reperisse pentametrum in quodam codice: *Nil uxore tamen nudius esse potest.* Dispice, lector, quam conveniat. *Farnabius.*

XCIX.

AD CRISPINUM. *

SIC placidum videas semper, Crispine, Tonantem;

* Commendat Crispino librum, eumque a Crispino vult Cæsari commendari. Crispinus autem hic erat Ægyptius, qui plurimum gratia et potentia potuit apud Domitianum, et quem acerbe Juvenalis momordit satir. 1, 26; ubi eum hoc versiculo notat, «quum pars Niliacæ plebis, quum verna Canopi Crispinus.»

1. *Sic placitum* codex Pulmanni.

Nec te Roma minus, quam tua Memphis amet,
Carmina Parrhasia si nostra legentur in aula;
(Namque solent sacra Cæsaris aure frui).
Dicere de nobis, ut lector candidus, aude:
Temporibus præstat non nihil iste tuis;
Nec Marso nimium minor est, doctoque Catullo.
Hoc satis est: ipsi cætera mando Deo.

— *Crispine.* De quo Juvenalis ll. citt. Ille autem Niliacus permultum potens favore fuit in aula Domitiani. — *Tonantem.* Jovem nostrum Domitianum.

2. *Tua Memphis.* Urbs Ægypti nobilissima, de qua lib. Spect. ep. I.

3. Codex Thuan. *leguntur in aula:* Florentinus: *legantur in auram.* — *Parrhasia.* In Palatio Domitiani, quia ibi primus ædificavit Evander Parrhasius; epigr. LVI, supra. Ed.

5. Alii pro *aude*, legunt *audet.* Hoc epigrammate librum septimum claudunt edd. vett. omnes. — *Aude.* Aude, o Crispine, ut lectorem decet candidum, Cæsari legenti adspirare hoc elogio: *Certe et hic Martialis est ævi hujus tui ornamentum, o Cæsar.*

7. *Nec Marso.* De his duobus Poetis, qui epigrammata scripserunt, vide lib. II, epigr. LXXI.

8. *Mando Deo.* Domitiano, cui, quum sit erga viros magni ingenii liberalis et literarum æstimator simul ac fautor egregius, curæ erit laboris præmium mihi persolvere. Vid. lib. V, epigr. VIII, vs. I.

C.

AD PONTICUM.*

Pontice, per reges discurris, et omnia lustras;
Magna quidem sequeris, Pontice; magnus homo es.

* Nihil hoc in epigrammate variant libri.

— Hoc epigramma pro legitimo non agnoscere profitentur Raderus et Farnabius, ut et duo sequentia, sive quod e veteri exemplari Anglicano scripserit Pulmannus, sive quod, ut pronuntiat Farnabius, Martialis acumen in his desideretur. — Miror: neque enim prius illud ita illepidum, et quæ sequuntur elegantiæ et salis multum habent. An tamen Nostri opusculis adnumeranda, nil decreverim: 1° ob versuum clausulas *facis sine turba*, et *videare*, eo negligentiæ vix in libris quindecim bis delapso Martiale; 2° quia in ambigua voce et duos sensus præferente, *fodiatur*, jocus est. Ed.

1. *Per reges discurris.* Id est, per

Pontice, si qua facis, sine teste facis, sine turba;
Non adhibes multos, Pontice: cautus homo es.
Pontice, te celebrem forma natura creavit;
Dignus eras Helena, Pontice: pulcher homo es.
Pontice, voce tua posses adamanta movere;
Vox tua dulce sonat, Pontice: dulcis homo es.
Pontice, sic alios, sic te quoque decipit error;
Vis dicam verum, Pontice? nullus homo es.

domos patronorum, quos salutes; sæpe enim illa vox ut *principes* pro *optimates*, accipitur. Lib. II, epigr. XVIII, et XXXII; Juven. Sat. I, 136.

3. *Sine teste facis.* Infandum stuprum scelusve Pontico exprobrare videtur.

10. *Nullus homo es.* Hoc est, nullius omnino pretii homo, homo nihili faciendus.

CI.

DE VETULA.*

Tacta places, audita places; si non videare,
Tota places: neutro, si videare, places.

* Neque in hoc epigrammate exhibendo quidquam variant codices aut editi. An vero Martialem auctorem habeat si quæsieris, vide epigr. præced. adnotationem præeuntem.

2. *Neutro.* Hoc est, neque ex hac parte, neque ex illa: hoc est, nec tactum nec auditum delectas. Forte melius legeretur *nulli.*—Cave quidquam mutes, nisi quidquid hic acuminis est hebescere volueris. In hoc enim situm acumen, ut quæ aures, quæ manus merito, quæ, sed immerito et vi sola φαντασίας, oculos delectaverit, mox ubi visa, non solum oculis, ut par est, tædium ferat, sed et manibus, sed et auriculis. Venustam ei juraveris faciem, qui vocem audieris; raucam vocem, si aspexeris quæ facies. Ed.

CII.

DE MILONE.*

MILO domi non est; peregre Milone profecto
Arva vacant: uxor non minus inde parit.
Cur sit ager sterilis, cur uxor lactitet, edam;
Quo fodiatur ager non habet, uxor habet.

* Nihil codd. nihil edd. variant: cæterum vide supra, ad epigr. c, notam initialem.

3. *Uxor lactitet.* Hoc est, cur perpetuum habeat ubera plena lactis, quæ labris infantis admoveat.

4. *Quo fodiatur.* Hoc est, ager non habet colonum, mœchum habet uxor, ambiguo scilicet ac duplici sensu τοῦ *fodiatur.*



M. VAL. MARTIALIS

EPIGRAMMATUM

LIBER VIII.

IMPERATORI DOMITIANO[1]

CÆSARI AUGUSTO, GERMANICO, DACICO,[2]

VALERIUS MARTIALIS SALUTEM.

OMNES quidem libelli mei, domine, quibus tu famam, id est, vitam dedisti, tibi supplicant: et, puto, propter hoc leguntur.[3] Hic tamen, qui operis nostri Octavus inscribitur, occasione pietatis[4] frequentius fruitur. Minus itaque ingenio laborandum fuit, in cujus locum[5] materia successerat: quam quidem subinde[6] aliqua jocorum mixtura va-

1. *Epistola ad Domitianum Cæsarem* Beverlandi MS. præfixum habet; inde hoc: *Imperatori Domitiano*, etc. quod in edd. vett. principium est Epistolæ.

2. *Dacio* in edd. vett.—*Dacico*, sive, ut alii, *Dacio*. Sæpius supra de his nominibus actum. Hunc vero librum, in quo nullam fore verborum licentiam profitetur, Domitiano dedicat: omnes autem libros suos victuros sperat, quod illius nomen celebrent.

3. *Legentur* in vett. edd.

4. *Occasione pietatis*. Argumentum hic liber petit a tua pietate, atque a tuis victoriis, etc. — Aut potius frequentius occasiones habet quibus suam erga te pietatem testificetur. Ea enim vi est vox *pietas* ut caritatem simul et reverentiam significet, modo filii in parentes, modo uxoris in maritum, sæpe et omnium in imperantem. Ed.

5. *In cujus locum*. Amplæ quippe materiæ verba non desunt.

6. *Quoniam quid subinde* Beverlandi codex manu scriptus.

riare tentavimus; ne cælesti verecundiæ tuæ laudes suas, quæ facilius te fatigare possunt, quam nos satiare, omnis versus ingereret.[1] Quamvis autem Epigrammata[2] severissimis quoque, et supremæ fortunæ[3] viris ista scripta sint, ut mimicam[4] verborum licentiam affectasse videantur; ego tamen illis[5] non permisi tam lascive loqui, quam solent. Quum pars libri et major et melior ad majestatem sacri nominis tui allegata sit, meminerit non nisi religionis[6] purificatione lustratus[7] accedere ad templa debere. Quod ut custoditurum me lecturi sciant, in ipso libelli hujus limine[8] profiteri brevissimo placuit Epigrammate.

1. *Omnes versus ingererent* Ald. Junt. et Colin.—*Omnis*, etc. Omne epigramma.

2. *Quamvis autem*, etc. Vid. lib. IV, epist. IV, et lib. V, epist. III, Plinii Secundi sua excusantis hendecasyllaba.

3. *Summæ fortunæ* in quibusdam, et sic codice Pulmanni; unice sane admittendum, si Tullii et Maronis coævus noster. Ed.—*Et supremæ fortunæ*. Quos viros enumerat Plinius junior lib. V, epist. III, dum ostendit epigrammata quidem lasciva, sed gravissimorum virorum exemplo se scripsisse.

4. *Mimicam* vel *inimicam* codex Pulmanni habet, et ambigua scriptura. Vide nos ad Catull. Carm. LXIV, 288 et 289. Alii legunt, *mimam*; unde *nimiam* in edd. vett. Ald. Junt. et Colin. — *Mimicam* [*nimiam*]. Quam in mimicis et jocose et licenter ante Cæsarem actitatum, vel hoc conjice quod, si Plautinis *et numeris et salibus* ea contulisses, in his gravitatis et sanctimoniæ multum dixisses. Neque vero post Cæsarem imperantibus, his qui per spectacula a populo et humillimis jus redimebant in altiora prout libitum sæviendi, *evagatæ fræna licentiæ* ullus obex opponebatur.

5. *Tamen illis*. Epigrammatibus nempe, quibus conveniunt lasciviæ.

6. *Non nisi religiosa* codd. Vatt. Florent. et Pulmanni; et sic edidit Scriver. — *Non nisi religionis*. Deus enim est Domitianus. Lib. V, epig. VIII. Deos autem adire non licet nisi purgato.

7. *Lustratos*. Beverl. MS. quod etiam conject. Gruterus, dubitanter vero.

8. *In ipso libello hujus nomine* Ald. Junt. Colin. Gryph. *in ipso libelli hujus omine* Beverlandi MS.

I.

AD LIBRUM SUUM.*

Laurigeros domini, liber, intrature Penates,
Disce verecundo sanctius ore loqui.
Nuda recede Venus : non est tuus iste libellus.
Tu mihi, tu Pallas Cæsariana, veni.

* Libro Palatinam domum ingressuro mandat verborum rerumque verecundiam et reverentiam.

* — In hoc epigrammate nil variant libri scripti aut impressi.

1. *Laurigeros*. Hoc est, victricem Domitiani domum; ille enim lauream Jovi Capitolino de Sarmatis retulit (Suetonius in Domit.); quamvis et Augustas fores perpetua oruabat laurus. — *Domini*. Imperatoris, Domitiani.

3. *Nuda recede Venus*. Hoc est, hinc procul relegetur nimia verborum licentia et lascivia, et ut vocat in Arte poetica Horatius « inornata et dominantia nomina solum. »

4. *Tu Pallas*. Quam scilicet ita mira superstitione vel potius amentia coluit Domitianus, ut illius filium haberi se prope jusserit. Suetonius in ejus vita cap. 15.—Haud dissimili modo Augustus, qui et Apollinis sui oculos, faciem, habitum æmulatus, et se Dei spurium et Attiam (matrem) Dei pellicem libens audiebat.—Ab hoc autem libro removet Venerem lasciviæ Deam, Minervam pudicitiæ patronam invocat, quod Domitiano pudoris et sanctimoniæ famam assectanti dicatus sit hic liber. Ed.

II.

AD JANUM.

Fastorum genitor parensque Janus
Victorem modo quum videret Istri,

1. *Paterque Janus* codex Pulmanni exhibet. — *Fastorum genitor*. Fasti sunt libri qui singulorum annorum gesta continent, quorum patrem Janum vocat, quia ille, ut dicit infra epigr. VIII, principium dat velocibus annis. Fuit autem Janus rex Italiæ antiquissimus, cui mortuo atque inter Deos relato primus anni mensis dicatus est.

2. *Istro* in Pulm. cod. pro *Istri*.—*Victorem Istri*; sc. Sarmatarum inco-

Tot vultus sibi non satis putavit;
Optavitque oculos habere plures;
Et lingua pariter loquutus omni,
Terrarum domino Deoque rerum
Promisit Pyliam quater senectam.
Addas, Jane pater, tuam rogamus.

lentium ripas Danubii, aliter Istri. *Victorem*, Domitianum, ut patet.

3. *Tot vultus*. Janum bifrontem, alii, quod annum elapsum respiciat, incipientem vero prospiciat; alii quadrifrontem dixere, propter quatuor anni tempestates, aut quatuor elementa.—Leg. Ovid. Fast. I. Serv. ad Æneid. lib. VIII et Fab. Pictor. Hic vero quadrifrons: non enim aliter satis apte et *tot vultus* (v. 3), et *promisit Pyliam quater senectam* (v. 7), adulator dixisset. Ed.

4. *Optavitque oculos*. His verbis vehemens videndi Cæsaris desiderium exprimit Poeta.

7. *Pyliam pater senectam*. Beverlandi MS. — *Pyliam senectam*. De ætate Nestoris egimus supra. Ovid. Epist. I, vs. 63: «Nos Pylon, antiqui Neleia Nestoris arva, Misimus.»

8. *Addas Jane tuam pater* Ald. Junt. Colin. Gryph. Lang. Plant. Junian. Delph. et aliæ. Lectionem nostram exhibet codex Pulmanni. — *Addas tuam*. Immortale ævum nempe; Janus enim utpote Deus immortalis est.

III.

AD MUSAM.*

Quinque satis fuerant; nam sex, septemve libelli,
Est nimium: quid adhuc ludere, Musa, juvat?

* *Ad Musam*. Inscribunt alii: *De suo epigrammatum scribendorum studio*.

— Colloquium quo se fingit post septem epigr. libros timentem *ne quid nimis*, et missionis cupidum, a musa incitari ad prosequendum studium. Ed.

1. *Quinque satis fuerat; nam sex septemve libellis Est nimium* Ant. de Rooy proposuit: hac constructione: Satis fuerat (ludere) quinque libellis; nam nimium est ludere sex septemve. *Quinque satis fuerunt, vel sex septemque libelli* Junt. anni 1512. *Quinque satis fuerant, vel sex septemque libelli* Ald. Colin. Gryph. Lang. Pulmann. Plant. Junian. aliæque vett. Codd. Thuan. et Vat. firmant nostram lectionem.

2. *Et nimium* edd. vett. *Est nimium* habent codd. Pulmanni, Va-

Sit pudor, et finis : jam plus nihil addere nobis
Fama potest; teritur noster ubique liber.
Et quum rupta situ Messalæ saxa jacebunt,
Altaque quum Licini marmora pulvis erunt;
Me tamen ora legent, et secum plurimus hospes
Ad patrias sedes carmina nostra feret.
Finieram, quum sic respondit nona sororum,
Cui coma, et unguento sordida vestis erat :
Tune potes dulces, ingrate, relinquere nugas?
Dic mihi, quid melius desidiosus ages?
An juvat ad tragicos soccum transferre cothurnos?
Aspera vel paribus bella tonare modis?

ticanus, Florentinus et quidam alii.

5. *Messallæ saxu jacebunt* Beverlandi MS. *Messalæ* alii. — *Messalæ saxa*. Hoc est, tumuli lapidei et marmorei citius peribunt quam mei versus. Lib. X, epigr. II : « Marmora Messalæ findit caprificus. » Quintilianus lib. X, 1, 113, « Messala nitidus et candidus, et quodammodo præferens in dicendo nobilitatem suam », quem et disertum vocat Horatius de Arte Poetica.

6. *Licinia* vel *Licina* in cod. Palatino, quod ultimum si admittamus, illud *cum* erit præpositio, non adverbium. — *Quum Licini*. Hoc est, quum jacebunt marmoreæ ædes, aut potius marmorea sepulchra Licini, de quo lib. II, epigr. XXXII, et Senecæ epist. 120. Fuit autem Licinus libertus, olim tonsor, Augusti ditissimus, de quo illud distichum : « Marmoreo Licinus tumulo jacet, at Cato parvo, Pompeius nullo : quis putet esse Deos? » — *Me tamen ora legent*. Ovidium imitatur in Metamorphoseon clausula de fama sua apud posteros canentem « ore legar populi ».

7. *Me tamen orbe legent* conjicit Ant. *de Rooy*. Cf. lib. I, epigr. II, lib. V, epigr. XIII, lib. VI, epigr. LXIV, et hujus lib. epigr. LXI. Sed vide lib. III, epigr. XCV; Ovid. Met. XV, 878; ex Pont. III, 4, 54; Tibull. III, 14, 23; et illud Ennii quod imitatus est Virg. Georg. III, 9.

9. *Nona sororum*. Thaliam intelligunt Interpretes, quum illam unguento sordidam dicat Poeta : etenim ante cœnam ungebantur antiqui; Thalia vero, inquit Raderus Farnabio, apta erat conviviis; quod et ipsum nomen indicat; θαλία enim Græcis *epulæ*, *lautæ dapes*. Ed.

13. *Annuat ad tragicos soccum transire* Beverlandi MS. — *Ad Tragicos*. Soccus comœdorum erat proprius, atque cothurnus tragœdorum. Lib. III, epigr. XX. Hoc est : An placet missos facere versus leviores, graves scribere?

14. *Aspera vel patribus* in codice Florentino. Dan. Heinsius, ad Claudianum, Paneg. in Prob. et Olyb.

Prælegat ut tumidus rauca te voce magister,
   Oderit et grandis virgo bonusque puer?
Scribant ista graves nimium, nimiumque severi,
   Quos media miseros nocte lucerna videt.
At tu Romano lepidos sale tinge libellos;
   Agnoscat mores vita legatque suos.
Angusta cantare licet videaris avena,
   Dum tua multorum vincat avena tubas.

Cons. vs. 208, nostram lectionem, *bella tonare*, vindicat, quamvis in multis libris legatur, *bella sonare*. Vide ad epigr. XXIII hujus libri. —*Paribus*, hexametris, non imparibus, ut qui elegiarum scriptoribus et epigrammatistis usitati numeri. *Tonare*, pro *tonantem dicere*, fere ironice credo, ut in Persii Sat. V, vs. 3, « Fabula seu mœsto ponatur *hianda* tragœdo ». En.

15. *Perlegat ut* in edd. vett. *Prælegat ut* codex Pulmanni. Vide ad lib. I, epigr. XXXVI. — *Prælegat*. Ut hodie in scholis Virgilius, Homerus, et alii præleguntur.

16. *Oderit et grandis*. Hinc liquet et ipsas puellas olim legendis et memoriter discendis auctoribus operam dedisse; quæ quum aliquando vapularent, quod versus memoriter non tenerent, ipsis libris irascebantur, quos etiam lacerabant.

17. *Scribunt ista graves potius*, in codice manu scripto Pulmanni.

18. *Lucerna videt*. Noctu ad lucernam opera sua componebant graves auctores. Juven. Sat. I, vs. 51: « Hæc ego non credam Venusina digna lucerna? » Notum est hoc verbum de Demosthenis orationibus, τὸν λύχνον ὄζει, *lucernam olet*, quod posthac dictum de sermone quovis multo studio elucubrato.

20. *Agnoscat mores aucta* codex Vaticanus. — *Agnoscat*. Hoc est, homines meis in libris agnoscant sua vitia et suas virtutes. — Inde patet quam vere Thaliam (v. 9) intellexerint supra interpretes; cui id munus, ut vitam in theatrum trahat et *castiget ridendo mores*. Ed.

21. *Licet studearis avena*, codex Thuane: pessime.—*Angusta avena*. Licet tenues et leviores videantur tui versus, ex avenæ exili sono.

22. *Dum tua*, etc. Hoc est, modo plus laudis consequaris quam poetæ heroici. Lib. IV, epigr. XLIX.

IV.

AD CÆSAREM DOMITIANUM, VEL, UT ALII, GERMANICUM.*

Quantus, io, Latias mundi conventus ad aras
  Suscipit et solvit pro duce vota suo!
Non sunt hæc hominum, Germanice, gaudia tantum;
  Sed faciunt ipsi nunc, puto, sacra Dei.

**Ad Cæsarem Domitianum* inscriptio est in edd. vett.

— Gratulatur Imperatori, καθ' ὑπερβολὴν, ut pessimo par est, et ait non hominibus tantum, sed et diis, ob principis salutem gaudia, nec per terras duntaxat fieri sacra, sed et per Olympum. Ed.

1. *Latias mundi concentus* in Beverlandi MS. — *Mundi conventus.* Legati scilicet gentium exterarum; quibus missis, videbantur Europe, Asia, Africa, totus denique orbis in Urbem convenire. Ed.

2. *Suscipit.* In venturum annum *suscipit vota, et solvit* suscepta anno elapso pro incolumitate Domitiani reversi ex Sarmatia. Idem argumentum est, lib. X, epistolæ 44, Plinii junioris ad Trajanum. Vide Suetonium in Caligula, cap. 14.

3. *Nam non hæc* Ald. Junt. Colin. Gryph. Plant. Junian. Lang. Delph. etc. et sic legit Scriverius. *Nec sunt* Beverlandi MS. *Non sunt* codex Pulmanni.

4. *Sed faciunt ipsi.* Hoc est, ipsi Dei, quibus tot templa erexisti, et quos tam assidue colis, lætantur de tuo adventu et quidem sic lætantur ut, quamvis ipsi *Dei* sint, immolent. Vide lib. IX, epigr. IV.

V.

AD MACRUM.

Dum donas, Macer, annulos puellis;
Desisti, Macer, annulos habere.

1. Alii legunt *Annulos amicis;* id est, impuris feminis, in quas aurum et opes effundis. Melius *puellis*, cum sit in τῷ *amicis* ambiguitas; neque enim statim vides *amicos*ne poeta hic significet an *amicas*. Ed.

2. *Desisti.* Hoc est, desiisti numerari inter equites. Annulus enim equitum erat insigne; equites vero qui patrimonium dilapidaverant, annulos equestres deponere cogebantur.

VI.

IN EUCTUM.

Archetypis vetuli nihil est odiosius Eucti.
 Ficta Saguntino cymbia malo luto.
Argenti furiosa sui quum stemmata narrat
 Garrulus, et verbis mucida vina facit.
Laomedonteæ fuerant hæc pocula mensæ;
 Ferret ut hæc, muros struxit Apollo lyra.
Hoc cratere ferox commisit prælia Rhæcus
 Cum Lapithis : pugnà debile cernis opus.
Hi duo longævo censentur Nestore fundi;

1. *Nihil est studiosius illo* codd. Florent. et Pulmanni.— *Archetypis.* Archetypa pocula intellige, vetustissima et primi exemplaris.

2. *Saguntino.* Fictiles cyathos interpretare ex argilla Saguntina. Vide lib. IV, epigr. XLVI. « *Cymbia* vero, inquit Macrobius, in Saturn. lib. V, cap. 21, sunt pocula a *cymba* dicta : quod et apud Græcos, et apud nos ab illis trahentes, navigii genus est », etc.

3. *Furiosa* [*fumosa*] *sui.* Legebatur vulgo *furiosa.* Lipsius vero, lib. I, cap. 5, *fumosa.* Quod magis placeret : sic enim et Cicero et Seneca *fumosas imagines* dixere, obductas nempe caligine; et Juvenalis, Sat. VIII, vs. 8 : « Fumosos equitum cum dictatore magistros. » Sensus hic est ergo : Dum nobilitatem et antiquitatem suorum poculorum verbosius narrat Euctus, vinum interim effusum mucescit, atque vappa fit. Poeta ostendit, nimia loquacitate corrumpi cibos et quidem optimos, hoc est, convivis ingratos fieri. — *Cum stegmata narrat*, codex Vaticanus.

4. *Mucina vina* Thuan. exhibet.

5. *Laomedonteæ.* Laomedon fuit rex Trojæ, qui Neptuno et Apollini certum auri pretium promiserat, ut Trojam muris cingerent. Poeta posuit *pocula* aurea pro auro. Ovid. Met. XI, vs. 203 : « Phrygioque tyranno Ædificant muros, pacto pro mœnibus auro. »

7. *Rhætus* in edd. vett. *Rhæcus* codd. Beverlandi et Pulmanni. — *Prælia Rhæcus.* Lapitharum et Centaurorum pugnam lege apud Ovidium, Met. XII. Sed Rhæcus, inquit Ovidius, torre pugnavit, Theseus vero cratere.

8. *Cum Lapithis pugna : debile*, etc. in quibusdam distinguitur. — *Pugna debile.* Hoc est, craterem illa pugna imminutum.

9. *Hi duo.* Sensus est : Hoc po-

Pollice de Pylio trita columba nitet.
Hic scyphus est, in quo misceri jussit amicis
Largius Æacides vividiusque merum.
Hac propinavit Bytiæ pulcherrima Dido
In patera, Phrygio quum data cœna viro est.
Miratus fueris quum prisca toreumata multum,
In Priami cyathis Astyanacta bibes.

culum, quod habet duos fundos, pluris æstimandum propter senem Nestorem, ad quem pertinuit. Ab Homero Iliad. Λ, describitur, atque ab Eustathio fuse explicatur. Variæ prodeunt Grammaticorum opiniones, opusne fuerit unum, an gemini crateres, alterque alteri impositus. Id genus Ἀμφικύπελλα vocatur Græcis. Turnebus lib. XXIII, cap. 23. Hesychius, ἀμφικύπελλον, dicit, περιφερὲς ποτήριον, hoc est, *rotundum poculum*. Athenæus, lib. XI, ait poculum illud babuisse duos fundos. Consul. animadversiones Casauboni ad cap. 12 libri citati.

10. *Columna nitet* Beverlandi MS. — *Trita columba*. Hoc est, sæpius attrectata columba, quæ prominebat insculpta in illo poculo: quo enim magis aurum teritur, tanto magis nitescit. — De *Pylio* Nestore sæpius dictum.

11. *Jussit amicis*. Ulyssi, Ajaci, Phœnici, qui ab Agamemnone ad placandum ipsum Achillem missi fuerant. Vid. Iliad. I.

12. *Et bibit ipse merum* edd. vett. *Et bibit usque merum* codex Pulmanni. Lectionem nostram testantur codd. Thuan. et Florent.

13. *Bytiæ*. Virgil. Æn. I, convivium describit, quo Æneam Phrygium excepit Dido: « Tum Bitiæ dedit increpitans, » etc.

15. *Prisca toreumata*. Quæ sunt opera torno facta. Lib. IV, epigramm. XXXIX.

16. *Et Priami calathis* codd. Florent. et Pulmanni. Alii pro *bibes* legunt *bibis*. Vide Var. Notas. — *Astyanacta bibes*. Id est, ut aiunt Interpretes: Novum, hornum vinum bibendum porriget Euctus in poculis vetustissimis. Notus est senex Priamus, cujus nepos fuit Astyanax Hectoris filius. — Quidam ad hunc versum impediti hæsitant, nec quo pacto Astyanax pro *novum vinum* sumatur assequi satis queunt. At meminerint plus inesse audaciæ iis quæ per trivia et angiportus efferuntur, quam iis etiam quæ dithyrambicus effuderit calor. Meminerint quoque consulum, principum, etc. nomina indita vinis. Sic Opimianum vinum, Opimianum, et mox forsan Opimium dicebant. Inter convivium igitur, nihil crepante Architriclino aliud nisi vetera, obsoleta, iis prorumpit Poeta: « Esto sane vetus quem porrigis cyathum, esto immo Nestor, Laomedon, Priamus.... at vinum hercule est Astyanax! » Ed.

VII.

IN CINNAM.

Hoc agere est causas, hoc dicere, Cinna, diserte,
Horis, Cinna, decem dicere verba novem?
Sed modo clepsydras ingenti voce petisti
Quatuor : o quantum, Cinna, tacere potes!

3. *Si modo* codex Pulmanni. — *Sed modo clepsydras.* Quæ erant horologia aquaria; de quibus, et de temporis spatio quod metirentur singulæ clepsydræ, jam diximus lib. VI, epigr. XXXV. Sensus est : O Cinna, quum nondum orationem absolvisses decem horis, quatuor adhuc clepsydras a judicibus petiisti ad dicendum.

4. *Dicere Cinna potest* codd. Vat. et Florent. *O quantum dicere, Cinna, potes?* codex Farnabii. — *Quantum, Cinna, tacere potes.* Hoc est, adeo lente verba profers, ut potius silere quam loqui videaris.

VIII.

AD JANUM DE REDITU CÆSARIS.*

Principium des, Jane, licet velocibus annis,
Et revoces vultu sæcula longa tuo;
Te primum pia thura rogent, te voce salutent;

* *Ad Janum* inscribitur in Ald. Junt. Colin. Gryph. Plant. Junian. Lang. etc.

— Quamvis felix ita prædicari possis, quod abs te anni principium et auspicium ducatur; tuique mensis initio, consules purpuram et fasces sumant; tamen multo es felicior, quod mense tuo Domitianus victor et sospes a Sarmatis est reversus.

1. *Principium.* Veteres enim Janum præfecerunt reducendis annis et sæculis.

2. *Et renoves* codex Pulmanni. *sæcula multa* in codice Florent. — *Et revoces* (alii *renoves*) *vultu tuo;* hoc est, tuis calendis, a quibus annus ducit initium.

3. Codex Florent. *pia turba rogent;* id est, populus, plebs, ut et infra epigr. XV. Nisi velimus per *piam turbam* significari sacerdotes, quod non ita absurdum. *Te vota;*

Purpura te felix, te colat omnis honos :
Tu tamen hoc mavis, Latiæ quod contigit urbi,
Mense tuo reducem, Jane, videre Deum.

salutet Purpura codex Pulmanni.— *Te primum*. Ut Janus, qui limina servat, ad alios Deos supplicibus aditum patefaciat. Hac de causa, inquit Ovidius, Fast. I, primum Jano supplicabant Antiqui.

4. *Purpura*. Hoc est, purpurati consules, qui mense Januario fasces sumebant. Ovid. in Fast. I, vs. 81 : « Jamque novi præeunt fasces; nova purpura fulget », etc. — *Omnis honos*. Hoc est, quilibet reipublicæ magistratus.

5. *Hoc mavis*. Domitianum nempe a longo bello et externarum gentium terris *reducem* adspicere quam coli ab omnibus magistratibus mense Januario tibi dedicato. — Aut : Gloriæ plus tibi ex eo putas quod principis semel, quam quod anni multoties reditu Urbem beaveris. Ad unicam enim vocem *redux* eo modo tendit totum epigramma per ἀντιθέσιν; et in hoc certe plus argutiæ et epigrammatici acuminis. Ed.

IX.

AD QUINTUM DE HYLA.*

Solvere dodrantem nuper tibi, Quinte, volebat
Lippus Hylas : luscus vult dare dimidium.
Accipe quamprimum : brevis est occasio lucri.
Si fuerit cæcus, nil tibi solvet Hylas.

* *Ad Quintum*, dempto additamento, inscriptio est in edd. vett. Ald. Junt. Colin. Gryph. Pulman. Lang. Plant. Junian. etc.

1. *Solvere dodrantem*. Hoc est, novem uncias : plerumque summa credita, et hæreditates dividebantur in duodecim partes. Hic vero Hylas debitor quum lippiret, novem tantum uncias propter hunc morbum Quinto suo creditori solvere volebat; at mox, amisso uno oculo, sex tantum reddere voluit, quas breviter accipiendas festive monet Poeta, ne Hyla cæco facto solidum assem perderet Quintus. Cæterum voluere quidam Quintum esse Hylæ medicum : non bene.

X.

DE BASSO.

Emit lacernas millibus decem Bassus
Tyrias coloris optimi : lucrifecit.
Adeo bene emit? inquis : immo non solvit.

1. *Millibus decem.* Sestertium scilicet. De lacernis, quæ reip. ultimis et Imperii omnibus temporibus togis superinduerentur ad arcenda frigora, sæpius dictum supra.

3. *Bene emit?* Sciscitatur hic aliquis, quo modo ita lucrifecerit : Tamne vili pretio lacernas hasce sibi comparavit? — *Bene* autem emere est minore quam vendi solet pretio, *à bon marché.* — *Non solvit* (alii, *non solvet*). Respondet Noster : At non solvet; non quidem, ut plurimi voluere, quod solvendo esset Bassus impar aut quod illas lacernas forte suffuratus, sed quia ea illi consuetudo in perpetuum, ut undequaque emeret, dives quidem et ob notas opes fidem vendentibus injiciens et soluturum tacito se pollicitus, velut quisquis emens non dedit statim pretium mercatori. Non solvit, inquit Martialis, nec eo est animo, ut unquam solvat, et hoc est lucrum de quo agitur. Si accepta veste pecuniam emptor dedisset, nihil ei lucri quum baud ita bene emerit : at nunc et pecuniam, pretium lacernarum, habet et lacernas; lucrifecit. Ed.

XI.

AD CÆSAREM DOMITIANUM.*

Pervenisse tuam jam te scit Rhenus in urbem;

Ῥῆνος σεῖο πόλει σ' ἐπίδημον ἐόντα συνῆκε·

* Faustas populi et inusitatas acclamationes Cæsare redeunte, Poeta describit, quas affirmat ipsis Sarmatis auditas, unde profectus erat; indeque Cæsaris adventum in Urbem, etiam a remotissimis gentibus cognitum esse, adeoque omnium occupatos in Cæsare spectando oculos fuisse, ut nemo, quid in Circi ludis ageretur, animadverteret. *Rader.*

1. *Rhenus.* Hoc est, Rheni accolæ. — *Tuam urbem.* Sive quia magnificis operibus fuerat a Domitiano exornata, et quasi denuo exstructa Roma, sive quia eam, caput imperii et principis domicilium, præcipuo habebat in amore. Ed.

Nam populi voces audit et ille tui.
Sarmaticas etiam gentes, Istrumque, Getasque
Lætitiæ clamor terruit ipse novæ.
Dum te longa sacro venerantur gaudia Circo,
Nemo quater missos currere sensit equos.
Nullum Roma ducem, nec te sic, Cæsar, amavit;
Te quoque jam non plus, ut velit ipsa, potest.

Τοῦ λαοῦ φωνὰς καὶ γὰρ ἄκουσε τεοῦ.
Ἔθνεα Σαυροματῶν, Ἴςροιό τε ῥεῖθρα, Γέτας τε
Πάνδημος νεαρῆς θροῦς ἐτάραξε χαρᾶς.
Μέσφ' ἱερὸν σέβεταί σ' ἐπισημασίαισι θέατρον,
Δίφρα δράμον τετράκις, μηδενὸς αἰσθομένου.
Οὐχ οὕτως ἐφίλησ' ἄλλον πρόμον, οὔτε σὲ Ῥώμη·
Οὔτε πλέον σε φιλεῖν, κ' ἢν ἐθέλῃ, δύναται.

3. *Sarmaticas.* De quibus supra. — *Istrum.* Optime Istrum, non Danubium, quum sit Danubii nomen flnvio a fontibus nondum procul evagato, et Istri. ubi latior et Ponto Enxino jamjam illapsurus: hic autem ferocissimæ gentes et armis Romanis minus prospere semper (nisi demum imperante Trajano) lacessitæ. Ed.

4. *Lætitiæ clamor terruit.* Inexspectata et item felici verborum sociatione. Qualem et in Gallica Iphigenia ad Aulidem, Act. V, sc. 2.

....Troie en alarmes
Redoute mon bucher et *frémit de vos larmes* Ed.

6. *Nema quater*, etc. E viginti spatiis a carceribus et septem flexibus circa metas, ad victoriæ palmam quater cucurrisse equos, populus, dum tibi nni studet, in te oculos et mentem convertens non advertit; quamvis sæpius nihil amplius optet quam *panem et Circenses*, ut ait Juvenalis. Vide lib. VII, epigr. VII, vs. 9. — *Sentit equos.* Beverl. MS.

7. *Nisi te sic* Gruterus malebat. Raderus tamen pro recepta stat; quem vide in Var. Notis. Ant. *de Rooy* proposuit: *Ullum Roma ducem, nec te sic, Cæsar, amavit?* vel: *Ullum Roma ducem, ceu te, sic, Cæsar, amavit?* vel denique: *Nullum Roma ducem, ceu te, sic, Cæsar, amavit.* — *Nec te sic.* Hoc est, nec te ipsum tantum olim, quantum nunc amavit; nec plus amare potest. Argute quidem concludit, sed parum vere. Occisum enim Domitianum milites soli doluere, populus indifferenter tulit, Senatus vero valde lætatus est. Suet. in Domit. cap. 23.

XII.

AD PRISCUM.

Uxorem quare locupletem ducere nolim,
 Quæritis? uxori nubere nolo meæ.
Inferior matrona suo sit, Prisce, marito;
 Non aliter fuerint femina virque pares.

2. *Nubere.* Quod proprium est feminarum, quum *ducere* ad viros semper referatur, ita ut hic sit sensus: Nolo uxor esse uxoris meæ; nolo ei inservire. Pauperem scilicet sponsum servo propiorem esse quam marito, et dote quasi libertatem vendidisse innuit. Quod varii inter Antiquos varie extulere, et in primis Juven. Sat. VI, 460: « Intolerabilius nihil est quam femina dives », etc.

3. *Matrona.* Matronam dicit γυναῖκα γαμετήν. Sic enim Græci vertere. Unde effatum illud Fortunæ Muliebris, quod apud Val. Max. lib. I, viii, 4: Rite me, matronæ, vidistis, riteque dedicastis.

4. *Non aliter fiunt* in codicibus Farnabii, scilicet Bodl. et Oxon. et sic in Junt. et Colin. — *Non fuerint pares*, concordes nempe: ubi enim uxor par est marito, jam impar est conjugium; uxoris quippe est parere, mariti vero imperare.

XIII.

AD GARGILIANUM.

Morio dictus erat: viginti millibus emi.
 Redde mihi nummos, Gargiliane: sapit.

* Hic nulla est lectionis varietas in libris calamo exaratis vel typis impressis.

1. *Morio.* Illi dicebantur moriones, qui naturali stoliditate risum excitabant. Fatui autem isti et moriones in pretio et deliciis erant apud divites, ad hilaritatem, vel, sicut hodie apud nostros fatuos divites, ut sit in ædibus aliquis domino ipso stultior.

2. *Sapit.* Plus justo sapit, id est, plus quam fatuum et morionem vellem. Vide lib. XIV, epig. ccx.—

Jocatur autem Noster in hoc παράδοξον sane et ἄτοπον, quod eo insaniæ, duce luxuria et naturalium voluptatum fastidio, jam devenerint, ut vacuum prorsus intellectu caput multi æstimetur, haud vacuum, nihili; dum contra quo quis altior ingenio, eo pluris faciendus.

XIV.

IN CRUDELEM AMICUM.*

PALLIDA ne Cilicum timeant pomaria brumam,
  Mordeat et tenerum fortior aura nemus :
Hibernis objecta Notis specularia puros
  Admittunt soles, et sine fæce diem.
At mihi cella datur, non tota clausa fenestra,
  In qua nec Boreas ipse manere velit.
Sic habitare jubes veterem crudelis amicum?
  Arboris ergo tuæ tutior hospes ero.

* Martialis queritur, melius arbores tegi ab amico, quam amicum.

1. *Pallida.* Ob hiemem quæ pallescunt folia, immo et decidunt. — *Cilicum pomaria.* Intellige arbores e Cilicia translatas; quas summa cura colebat ille amicus.

2. *Tenerum nemus.* Succrescentes surculos interpretare.

3. *Specularia.* Quibus tegebantur arbores adversus ventos: specularia autem intellige lapides pellucidos, quibus, ut hodie nos vitro, sic vitri instar utebantur Romani.

4. *Et sine sole diem* in quibusdam libris. Cætera, nulla est varietas legendi in hoc epigrammate. — *Et sine fæce*, sine nive, pluvia, aliave naxia tempestate, pulvere etiam.

5. *Non tota fenestra.* Id est quæ per rimas ventum et nivem et pluviam admittat. ED.

6. *In qua nec Boreas.* Tam frigidum, inquit, mihi cubiculum dedisti, ut nec Boreas ventorum frigidissimus in eo habitare sustineat. Vid. lib. III, epigr. XLVIII.

8. *Arboris ergo.* Undequaque enim tectæ et munitæ erant arbores frugiferæ adversus frigus.

XV.

AD DOMITIANUM.*

Dum nova Pannonici narratur gloria belli,
Omnis et ad reducem dum litat ara Jovem;
Dat populus, dat gratus eques, dat thura senatus,
Et ditant Làtias tertia dona tribus.

Μέσφ' ἡ Παννονίου νίκη πολέμοιο θροεῖται,
Τῷ Διῒ καὶ θύει πᾶς ἐπανερχομένῳ·
Πᾶς λιβανωτὸν ἕως ἱππεὺς, βουλή τε δίδωσι,
Φυλῶν τ' Αὐσονίων τὰ τρίτα δῶρα πέλει.

* Epigramma est de laurea Domitiani, qnam Jovi Capitolino ex bello Sarmatico intulit; quum tamen de Sarmatis trinmphare noluerit. Nam, nt Sneton. cap. 6o, Domitianus « de Cattis Dacisque post varia prælia duplicem triumphum egit : de Sarmatis lauream modo Capitolino Jovi retulit. »

1. Codex Pulmanni : *numeratur gloria belli*; et sic legit Schrevelius. In Palatino codice : *narratur roriga belli.* Hinc Scriverius conjicit *lorea* pro *laurea*. At Rutgersius divinabat *raurica*, non damnans tamen Scriverii conjecturam. Anton. *de Rooy* proposuit, *adorea*. Vide Festum in « Adorea », ibiqne Scalig. — *Pannonici.* Hoc est, Sarmatici; licet Pannonia sit regio alia a Sarmatia, de quibus vide Cluverium : tamen, ut arbitror, Pannoniam sumit Poeta pro Sarmatia. Sueton. in Domit. cap. 6. — *Narratur.* Alii, *numeratur.*

2. *Jovem.* Jovemne verum qui in patriam reduxerat, unde id temporis Fortunæ Reduci templum iste dedicavit? an principem quem et *Jovem terrarum* merito hic caueret, et quem lib. VII, epigr. XCIX, vs. 1. *Tonantis* titulo significat? Mihi in ancipiti est. Ed.

3. *Dat Populus,* etc. Ab enumeratione partium ostendit totam urbem et rempub. effusam in vota, ob principis adventum et victoriam. Supra epigr. VIII, v. 3, 4, 5.

4. *Et litant Latiæ* codd. Vat. et Florent. *Et dicant Latiæ* legendum censet Theod. Marcilius. *Et dicant Latiæ tres tria dona* dat *d'Orléans;* prosodiæ minus memor, siquidem perpetuum corripitur prior in *dicant;* quem tamen vid. in Var. Notis. *Et ditant Latias* in edd. vett. *Et ditant Latiæ* codex Pulmanni. Vide notam infra. — *Et ditant Latias.* Bis jam de Cattis et Dacis triumphaverat Domitianus, atque ita jam bis populo dona distribuerat; jam

Hos quoque secretos memorabit Roma triumphos,
Nec minor ista tuæ laurea pacis erit;
Quod tibi de sancta credis pietate tuorum.
Principis est virtus maxima, nosse suos.

Μνήσεται ἡ Ῥώμη τούτου κρυφίοιο θριάμβου,
Παιάν τ' εἰρήνης οὐ μικρός ἐστι τεῆς·
Τῆς ὁσίης ὅτι τῶν ἰδίων εἶ μάρτυς· Ἄνακτος
Ἐςὶ καλοῦ, γνῶναι τοὺς ὑποτασσομένους.

vero, victoria de Sarmatis reportata, tertio munere populum donavit, illum quippe convivio excepit. Vide epigr. 1 infra. Georgius Merula legit: *Et libant Latiæ tertia dona tribus;* hoc est, inquit, urbes, et oppida quæ habent jus Latii jam tertio sacrificant pro tertia victoria de Sarmatis relata. Videat lector.

5. *Memoravit* Beverlandi MS. — *Hos quoque*. Justum de Sarmatis triumphum agere noluit Domitianus, sed lauream tantum retulit, quam vocat Poeta triumphum secretum: porro celebrem fore dicit, concessa nempe perdomitis gentibus pace. Causa vero triumphis secretis duplex fuit, ut si ex cive parta victoria, qualis laurea C. Antonii ex bello Catilinario; aut ex bello, non acie, sed pace et pactione, qualis hæc Domitiani laurea de Sarmatis.

6. *Pacis erat* in eodem MS.

7. *Pietate tuorum*. Hoc est, quod justa auguratus es de popularium reverentia et amore, credens te non minore admiratione fore apud tuos, laurea tantum relata, ac si plenum triumphum egisses? sciebas enim quid de te Roma sentiret.

8. *Nosse suos*. Hoc est, suorum civium animos perspectos habere. Vide ad notam superiorem.

XVI.

IN CIPERUM.

Pistor qui fueras diu, Cipere,
Nunc causas agis, et ducena quæris;
Sed consumis, et usque mutuaris.

2. *Et ducenta* in edd. vett. *Et ducena* codex Palmanni. — *Et ducena* [*ducenta*]. Interpretantur *ducena* sestertia, seu ducenta millia sestertium; hoc est: Vis locupletari in causis agendis.

A pistore, Cipere, non recedis,
Et panem facis, et facis farinam.

5. *Et facis rapinam* codd. Vat. et Florent. — *Et panem facis*. Id est, decoquis. *Herald.* Sed ita locum explicat Domitius. Facere panem, inquit, et facere farinam dicitur pistor, qui pinsit far, et coquit panem et farinam. Facere item panem et farinam dicitur, qui liberalitate, aut prodigalitate sua aliis panem et farinam subministrat: quum igitur Ciperus nunc multos pascat prodigalitate sua, æque pistor videtur, ac olim erat, quum panem et farinam faceret. Farnabius vero sic explicat: In pistrino, farinam pinsebas, deinde panem conficiebas, e cujus pretio rursus farinam comparasti, atque adeo in circulum laborans, sic vivebas in diem: nam quæris, deinde consumis, rursus mutuaris, etc. Solus videtur attigisse sensum *d'Orléans*, intelligens scilicet aliquid esse contrarii inter *panem facis* et *facis farinam*, quemadmodum inter τὰ *opes comparare* et statim *effundere*. *Facis panem*, inquit vates, dum causas agis, et ducenta quæris, quæ tibi contra legem Cinciam, licet immerito, solvuntur; et *facis farinam* dum consumis quod male quæsivisti. Nam farina dum saccatur defluit et per foramina labitur: ita quod male quæsivit, deperditur et evanescit.

XVII.

AD SEXTUM.*

Egi, Sexte, tuam, pactus duo millia, causam.
Misisti nummos quot mihi? mille: quid est?

*Causidici dicterium, qui, quum sibi, quia causam perdiderat, pactæ pecuniæ dimidium offerebatur, abnuit et duplum ait sibi deberi; totum scilicet ob laborem et operam, et ob ruborem perditæ causæ.

2. *Misisti nūmos quod* codex Pulm. *Mille quidem* Beverlandi MS. Forte *quid id?* præsertim quum et sequens versus finiatur voce *est*. Ita eleganter interdum τὸ *id* subjungitur τῷ *quid*, vel *quicquid*. Supra lib. III, epigr. 1. « Hoc tibi, quidquid id est, longinquis mittit ab oris. » Virg. Æn. II, 49: « Quidquid id est, timeo Danaos, et dona ferentes. » Ovid. Trist. IV, 1, 7: « Si quid id est, usque a proavis vetus ordinis heres. » Atque eodem modo infra epigr. LXXI, malim: « Libra fuit quinto Septitiana: quid id? » *Quid est?* ibi legit Scriverius, pro vulgato quidem; quod miror defendi a Gronovio: quod si enim subaudias, quæ intelligenda reliquisse Poetam statuit vir magnus, abrupta nimis oratio deinde videtur. Ant. *de Rooy*.

Narrasti nihil, inquis, et a te prodita causa est :
Tanto plus debes, Sexte, quod erubui.

3. *Narrasti nihil.* Hoc est, male causam egisti.—*A te prodita.* Ita Beverlandi MS. et codex Pulmanni : in edd. vett. *perdita causa est.* Placet prior lectio; neque enim prævaricatores tantum causam prodere dicuntur, sed et ii qui causam agendam suscipiunt, quam non intelligunt.

4. *Tanto plus.* Nam si vicissem, laus mihi præmii loco fuisset, at in solatium famæ amissæ majorem mercedem præstare debes : faceta prorsus est hæc ratio.

XVIII.

AD CIRINIUM.*

Si tua, Cirini, promas epigrammata vulgo,
Vel mecum possis, vel prior ipse legi;
Sed tibi tantus inest veteris respectus amici,

Ὤφελες ἐκδοῦναι τάς σου, Κυρήνιε, βίβλους,
Πᾶς σ' ἵν' ἀναγνοίη, σύν τ' ἐμοὶ, ἢ πρότερον·
Ἀλλά σοι ἀρχαίου τόσ⸗ αἰδώς ἐςι φίλοιο,

* Cirinium amicum alloquitur, candidissimi animi simul et optimi ingenii virum, qui quum epigrammata et quidem valde bona factitaret, renuebat illa in vulgus emittere, ne quid, æmulum sese ferens, Martialis laudibus tolleret; et eo nomine laudat quod amicitiæ ita omnia postponat, ut non rura duntaxat, villas, hortos det libens, sed quod pretiosius et optatius, gloriam; quandoquidem, ut ait Tacitus Historiarum lib. IV, sub initium, etiam sapientibus cupido gloriæ novissima exsuitur.

1. *Sic tua* in edd. vett. *Si tua* codd. Bodl. Oxon. et Gruteri.

2. *Ut mecum* edd. vett. *Vel mecum* in codd. Gruteri, Farnabii et Thuan. — *Vel mecum,* etc. Bonane hæc fide? an ironice? sincerum sane videtur et ex animo, propter exemplum Virgilii. —*Prior ipse legi.* Majori laude quam ego. — *Vel* (*ut*) *mecum.* Hoc est, vel æque magnum nomen in eo genere atque ego consequutus sum, vel majus etiam comparares. Sed tu me sic amas, ut tibi ipsi sis iniquus, ut premas tua, et mihi soli eam famam relinquas; ita major sum, quia te parem esse ignoratur.

3. *Sed tibi tantus,* etc. Hae modestia et amicitia inductus Virgi-

Carior ut mea sit, quam tua fama tibi.
Sic Maro nec Calabri tentavit carmina Flacci,
Pindaricos nosset quum superare modos;
Et Vario cessit Romani laude cothurni,
Quum posset Tragico fortius ore loqui.
Aurum, et opes, et rura frequens donabit amicus;
Qui velit ingenio cedere, rarus erit.

Ὥςε σοί ἐστιν ἐμὴ δόξα πρὸ τῆς ἰδίης.
Οὕτως οὐδὲ μέλη θίγ' ἀοιδοπόλοιο Καλαβροῦ
Ἄρχιος ὢν νικᾷν Πινδάρου ᾆσμα Μάρων·
Καὶ σκηνῆς Βαρίῳ Ῥωμαίης εἶξε βραβείου,
Μέλλων ἂν κρείττων ἔμμεναι ἐν τραγικοῖς.
Χρυσοῦ μὲν κτεάνων τε πολὺς φίλος εἴη ἀφειδής·
Πρωτείων δ'εἴκων τεῦ νοὸς οὔτις ἔοι.

lius cessit Horatio lyrici carminis laudem, et Vario tragici carminis, vel tragœdiæ gloriam; quum illum Pindaricæ lyræ modis, hunc Sophoclei cothurni sublimitate vicisse potuit. — Bonane hæc fide, an secus, quæsitum fuisse jam vidimus: sincere loqui videtur Poeta, quum Cirinium et Virgilio ipsi comparet, qui volens quidem potuisset versus lyricos scribere; attamen Raderus et Domitius censent per ironiam illum loqui, quum concludat vix inveniri posse eum qui ingenio cedat.

5. *Calabri Flacci.* Venusia enim Horatii patria urbs est in finibus Calabriæ.

6. *Pindaricos posset* Ald. Junt. Colin. Gryph. Plant. Junian. Lang. et Delph. *Pindaricos nosset* codex Pulmanni. Quod Gronovio, mox plerisque antecellere multo visum, in optimæ notæ edd. receptum fuit. Sic Virgil. in Culice, « Dignus amor venia, parvum si Tartara *nossent* Peccatum ignovisse ». — *Pindaricos.* Pindarus Poeta Græcus, lyricorum princeps, satis notus.

7. *Et Vario.* Quem Epicum fuisse colligere est ex Horatio. I. od. vi, qui « Mæonii (id est heroici) carminis alitem » eum canit; quum tamen in Tragœdia excelluisse illum intelligat Martialis. — Nostro autem assentitur Quintilianus qui Instit. Orat. lib. X, cap. 5, Varii fabulam Thyesten cuilibet e tragicis Græcorum dramatibus parem asseverat. Ed.

XIX.

DE CINNA.*

Pauper videri Cinna vult; et est pauper.

* In hoc Epigrammate nihil variant exemplaria, sive prælo, sive manu exacta.

1. *Pauper.* Hic Cinna suam inopiam ostentans, volebat videri divitias dissimulare, dupliciter scilicet mendax, ut simulationis simulator: at vero ostendit Poeta nihil opus esse simulatione, quum re vera pauper sit.

XX.

AD VARUM.*

Quum facias versus nulla non luce ducenos,
Vare, nihil recitas: non sapis, atque sapis.

* Varum quemdam, cætera ignotum, quod citissime et propemodum αὐτοσχεδιαστὶ versiculos faciat, sed et celet, carpit: carpit autem duplici modo, primo quidem vituperans quod tam celer in pangendis, mox laudans quod tam cautus in abscondendis versiculis videtur; mordaciori sane elogio quam vituperio. Ed.

1. *Luce ducentos* edd. vett. *Luce ducenos* codex Pulmanni.

2. *Non sapis, atque sapis* Ald. Junt. Colin. Gryph. Plant. Junian. Lang. Delph. aliæ. *Non sapis, immo sapis*, Beverlandi MS.

XXI.

AD LUCIFERUM, VEL, IN ADVENTUM CÆSARIS.

Phosphore, redde diem: quid gaudia nostra moraris?

* *Ad Luciferum* in edd. vett. *Ad Luciferum de Cæsare* cod. Pulmanni. — Pridie quam in Urbem ex Septemtrione rediret Cæsar, ad sidera orationem convertit Poeta, ut noctem præcipitent: tantum enim esse videndi Domitiani desiderium, ut nox longissima videatur.

1. *Phosphore.* Veneris stella, quæ ante solis ortum Lucifer (Græcis

Cæsare venturo, Phosphore, redde diem.
Roma rogat : placidi numquid te pigra Bootæ
Plaustra vehunt, lento quod nimis igne venis?
Ledæo poteras abducere Cyllaron astro;
Ipse suo cedet nunc tibi Castor equo.
Quid cupidum Titana tenes? jam Xanthus et Æthon
Fræna volunt : vigilat Memnonis alma parens.
Tarda tamen nitidæ non cedunt sidera luci,
Et cupit Ausonium Luna videre ducem.
Jam, Cæsar, vel nocte veni : stent astra licebit,

Φώσφορος), post solis vero occasum Vesper dicitur. — *Gaudia nostra.* Cæsaris Domitiani aspectum, qui populo exspectatur, et ubi lux adfulserit, Urbem ingressurus est.

3. *Roma rogat.* Ut diem subito reducas. — *Pigra Bootæ.* Stella quæ a Polo parum distat et cui modo Arctophylax, modo Bootes nomen adscriptum est : illud, quod quasi servet et custodiat (φυλάττει) Arcton (Ἄρκτον); hoc, quod pastor boum videatur, septem enim stellæ Arcti *triones*, quasi teriones, id est, boves dicebantur.

5. Codex Pulmanni exhibet : *addere Cyllaron;* alii *adducere Cyllaron* legunt. — *Abducere Cyllaron.* In cælum translatus est Cyllarus equus Castoris. Ledæum astrum intellige Castorem et Pollucem.

6. *Tunc tibi Castor* cod. Pulmann.

7. *Xanthus et Æthon.* Scilicet equi Solis.—At Ovid. Met. lib. II, fab. IV, quum quatuor solis equos enumerat, Pyroenta, Phlegonta, Æthonta, Eoum nominat, Xanthum vero minime. In his autem sæpiuscule mythographi variant; et quum aliunde Xanthi nomen ob flavos (ξανθούς) crines equis vulgo datum, haud mirum est sic equum Solis Martiali vocatum, quum Sol flavus sit. Ed.

8. *Memnonis alma parens vigilat.* Aurora, cujus historia nota.

10. *Ausoniam lucem* cod. Florent. quam male sit, vel ex rhythmo dijudica. *Ausonium Roma videre ducem* in Thuan. Male; nam sensus vult *Luna;* et jam vs. 3, *Roma rogat.* Ed.

11. *Sint astra licebit* in edd. vett. *Stent astra licebit* in codice Pulmanni. « Hoc in uno Junii codice repertum; quum in cæteris, et editis omnibus legeretur, *sint astra.* Satin' Latine ? inquit Colerus ; at lego, *stent;* aliter non video quomodo stare possit Martialis. Dein Gruterus : Ita bene Anglicanus Junii; neque dubitavi inferre contextui, quamvis starent a vulgato Palatini alii, haberentque, *sint astra :* quoniam alterum illud se statim approbare posset omnibus, velut sol Eoa modo lotus aqua, ipso exortu. Eant nunc magni homines, et contemnant minutias, easque dicant pædagogicas esse. Me vero non pædagogus aliquis, sed ipsi Romani docuerunt, sic se solitos esse loqui, *sol est, luna est, astra sunt, imber est;*

Non deerit populo te veniente dies.

quod genus hic tam mirum visum est viris doctis. Ovidius in Fast. II, 697: «Luna fuit: spectant juvenem, gladiosque recondunt.» Suetonius, Julio, c. 57: «In agmine, nonnunquam equo, sæpius pedibus, anteibat, capite detecto, seu sol, seu imber esset.» Noster, lib. XIV, epigr. XXVIII: «Sit licet et ventus, te tua vela tegent.» Ergo maneat, nec moveatur: «*sint astra, licebit.*» Gronovius. — *Stent astra licebit.* Nolunt diei locum cedere, ut et ipsa ingredientem in Urbem Domitianum videant. Et aliunde quid die, quid sole opus est? ipse Cæsar sibi Sol erit, gloriæque suæ fulgore lustrabit cælum, vel manente noctis facie.

12. *Non deerit.* Conclusio plena adulationis. Ubicumque Cæsar, ibi dies; nam Cæsar noster Sol est.

XXII.

IN GALLICUM.

INVITAS ad aprum; ponis mihi, Gallice, porcum.
Hybrida sum, si das, Gallice, verba mihi.

2. *Hybrida.* Quodcumque animal est ex fero et mansueto natum: transfertur etiam ad eos homines qui ex diversa conditione procreati sunt, ut si quis ex matre libera et patre servo, vel ex patre Romano et matre peregrina natus sit. Vide lib. VI, epigr. XXXIX. Sensus est: Medius ergo ego aprum inter et suem; particeps ego apri et suis, apri quem speravi, suis quem teneo: ergo hybrida! Vocibus hic abutitur. Alii sic expediunt: Re vera ego essem hybrida, nisi intelligerem loco apri mihi appositum fuisse porcum: etenim hybrida participans naturam utriusque animalis diversi vix unum ab altero distinguat. ED. — Alii pro recepta lectione præferunt *hybrida sim, si das;* at quid Attici hic salis habeat pro indicativo subjunctivus, parum adsequor. ED.

XXIII.

AD RUSTICUM.*

ESSE tibi videor sævus, nimiumque gulosus,

* In hoc epigrammate exhibendo nullo modo variant exemplaria.

Qui propter cœnam, Rustice, cædo coquum?
Si levis ista tibi flagrorum causa videtur,
Ex qua vis causa vapulet ergo coquus?

4. *Ex qua vis.* An, quæso, iniquum est, si quis pendat pœnas ejus quod deliquerit in sua arte? tum sane iniquus ego esse viderer si delictum alieni artificii in illo punirem.

XXIV.

AD CÆSAREM DOMITIANUM.*

Si quid forte petam timido gracilique libello,
Improba non fuerit si mea charta, dato.
Et si non dederis, Cæsar, permitte rogari;
Offendunt nunquam thura precesque Jovem.
Qui fingit sacros auro vel marmore vultus,
Non facit ille Deos: qui rogat, ille facit.

* Neque in hoc quidquam variant aut libri calamo exarati, aut typis impressi.

2. *Improba charta.* Qua scilicet a te peto aliquid: *improba* autem hoc loco est impudens, audax, insaturabilis, inquit Domitius. Fortean minus opportuna, et ut Gallice aiunt, *indiscrète.*

6. *Qui rogat.* Qui aureas Deorum statuas format, ille non facit Deos, sed qui illos adorat. Sic ego, inquit Poeta, dum te rogo, o Domitiane, te Deum esse demonstro.

XXV.

IN OPPIANUM.*

Vidisti semel, Oppiane, tantum
Ægrum me male: sæpe te videbo.

* Et hic nulla est lectionis varietas in membranis, aut excusis exemplaribus.

1. *Oppiane.* Cujus meminit lib. VII, epigr. iv, et lib. VI, epigr. xlii, qui semper mali erat coloris.

Sensus est : Si lætaris quod semel gravi morbo me laborantem videris, quanto magis ego lætabor, qui te semper ægrum videbo! Aut: ne scommata in me et cavillationes jacias, ne mihi insultes, quod me semel ægrum vidisti; ego enim captum te valetudine sæpe, et usque aspiciam.

XXVI.

AD CÆSAREM DOMITIANUM.*

Non tot in Eois timuit Gangeticus arvis
   Raptor, in Hyrcano qui fugit albus equo,
Quot tua Roma novas vidit, Germanice, tigres;
   Delicias potuit nec numerare suas.
Vincit Erythræos tua, Cæsar, arena triumphos,

Οὐ τόσσας ἔτρεσσε τίγρεις γαγγιτικὸς ἀγρεὺς
   Ὑρκανῷ φεύγων ἵππῳ ἐφεζόμενος,
Ὅσσας, Καῖσαρ, ἴδε Ῥώμη, τεὸν ἄςυ, νεογμοὺς,
   Οὐδὲ χλιδῆς ἀριθμεῖν ἴσχυσε πλῆθος ἑῆς.
Τὴν Ἰνδῶν νίκησε κυνηγέσιον σέο πομπὴν,

*Tigrides plures in spectaculum adduxerat Domitianus, a qua re Martialis illum laudandi occasionem arripit; ipsique Baccho, qui duabus tantum tigribus invectus triumphavit, anteponendi.

1. *Gangeticus armis* Beverlandi MS. — *Gangeticus Raptor.* Venator nempe in India, ubi fluvius Ganges, præ timore pallidus raptis tigridis catulis fugit. Vide Plinium lib. VIII, cap. 18, et Valerium Flaccum lib. I.

2. *Raptor et Hyrcano* conj. Farnabius. — *In Hyrcano equo.* Hoc est, celeri : sic enim Hyrcanum equum intelligere videtur Poeta : Hyrcania vero Asiæ regio, ubi etiam tigres ferocissimæ.

3. *Tua Roma*, etc. Supra epigr. XI, vs. 1.—*Germanice, tigres.* Lib. V, epigr. II, vs. 7.

4. *Nec numerare.* His verbis significat multas in arena tigres fuisse exhibitas. — *Delicias suas.* Ferox enim et bellandi consuetudine sævitiæ, quam fortitudini propior, populus sanguinem ferarum, immo et hominum in deliciis habuit, iis etiam temporibus quum antiqui rigoris nihil jam retineret. Ed.

5. *Vicit Erythræos* in edd. vett. — *Vincit Erythræos*, etc. Tunc amphitheatrum, o Cæsar, superat triumphum Bacchi reducis ex India, Persia, et litoribus Rubri maris devictis (vide lib. V, ep. XXXVIII, vs. 4); namque ille triumphavit ge-

Et victoris opes divitiasque Dei.
Nam quum captivos ageret sub curribus Indos,
Contentus gemina tigride Bacchus erat.

Τόν τε τροπαιούχου πλοῦτον ἅπαντα Θεοῦ.
Ἰνδοὺς γὰρ ὑπ' ὄχεσφι θριαμβεύοντι Λυαίῳ
Ἄρκιος ἦν διδύμη τῖγρις ὑποζυγίη.

mina tantum invectus tigride, iu plnribns.

7. *Ageret sub curribus.* Captivi nobiles nonnunquam curribus vehebantur, cæteri catenis vincti catervatim præibant.

XXVII.

AD GAURUM.*

MUNERA qui tibi dat locupleti, Gaure, senique,
Si sapis, et sentis, hic tibi ait: Morere.

* Captatores testamentorum, ut ex Horatio lib. II, Satir. III, et Juvenale passim omnes sciunt, insidiabantur divitibus ægris et senibus, illisque munera mittebant, nt hæredes scriberentur. De hac frande monet Gaurum Poeta, nt sibi ab hujusmodi vulturum insidiis caveat. — Nihil variant exemplaria scripta, aut excusa, in hujus epigrammatis lectione.

2. *Morere.* Ut in bona tua succedat hæredipeta ille. Lib. VI, epigramm. LXIII.

XXVIII.

DE PARTHENIANA TOGA.*

DIC, toga, facundi gratum mihi munus amici,

* Donatus a Parthenio præfecto cubiculi Domitiani nobili toga Martialis, petit tecte meliorem etiam lacernam, alioqui se ludibrio fore populo, si nobilissima candidissimaque toga ornatns incedat, et vilem tritamque lacernam togæ novæ injiciat. *Rader.* — De Parthenio jam supra dictum libro V, epigramm. VI: .... *Musæ, Parthenium rogate vestrum.*

1. *Dic, toga.* Per prosopopœiam

Esse velis cujus fama decusque gregis?
Apula Ledæi tibi floruit herba Phalanti,
Qua saturat Calabris culta Galesus aquis?
An Tartessiacus stabuli nutritor Iberi
Bætis in Hesperia te quoque lavit ove?
An tua multifidum numeravit lana Timavum,
Quem prius astrifero Cyllarus ore bibit?
Te nec Amyclæo decuit livere veneno,

togam alloqnitur et interrogat, quo uempe lanarum genere sit contexta. — *Facundi gratum*, etc. Docti scilicet atque poetæ, ut lib. II, epigr. I, lib. V, epigr. v, vs. I, et lib. IX, epigr. L.

2. *Esse velis*, etc. E cujati vellere es? De landatissimis lanæ generibus, lib. XIV, epigr. CLV.

3. *Apula*. Enumerat præstantissima genera vellerum, inter quæ primnm Tarentinnm, de quo lib. et epigr. cit. — *Apula Ledæi tibi floruit?* An a gregibus in pascnis Tarenti in Apulia, quam condidit Phalantus Lacedæmonins lib. V, epigr. XXXVIII, vs. 2. — *Ledæi tibi*. E Lacedæmone clara concubitn Jovis et Ledæ, Ledæqne natis. — *Floruit herba*. Quam oves Tarentinæ depastæ snut. — *Phalanti*. Tarentinæ urbis conditoris; ut modo notatum ad *Apula*.

4. *Qua saturat*, etc. Qua Galesus a Calabris ortus irrigat culta lib. V, epigr XXXVIII, vs. 2. Gronovins e MS. legit: *Calabri culta*, id est, agricolæ Calabri.

5. *Tarpesiacus* codd. Vat. et Florent. — *An Tartessiacus*. Bætis Hispaniæ fluvius, hodie, *Guadalquivir*, qui et Tartessus a Strabone appellatur. Juven. sat. XII, vs. 41 — *Stabuli Iberi*. Hoc est, ovinm Hispanarum, quæ nempe pascuntur ad Iberum.

6. Codex Palatinns habnit: *te quoque lanitone;* absurdnm qnidem et barbarum, sed unde Rutgersius optime et ingeniose restituit: *te quoque lavit ove*. Antea erat: *lavit aqua;* ueque e mente neque ex arte Poetæ, quum distichon superius etiam clausnm fuerit *aquis*.

7. *At tua* Beverlandi MS. — *An tua multifidum*. An ab Altino nobili ovibus et lana prope Timavum multis ostiis in mare Adriaticum influentem? ut lib. IV, epigr. XXV, vs. 5. — *Numeravit*, etc. Pathos; quasi lana aut ovis nosset numerum ostiorum Timavi, sintne septem, an novem.

8. *Quem pius* codex Pulmanni; forte ex nota contractioue *pius*, pro *prius*. — *Quem prius*, etc. Cyllarus quidam vexit Castora, qui cum Argonautis Timavum prætermeavit, nt lib. IV, epig. XXV; atque ipse Castor in sidus relatus est. Qnum vero dicat *ore astrifero*, malim de ipso Cyllaro in astrum verso intelligere; snpra epigr. XXI, vs. 5. Alii, *Quem pius astrifero*.

9. *Amyclæo veneno*. Amyclæum venenum alii existimant esse colo-

Nec Miletus erat vellere digna tuo.
Lilia tu vincis, nec adhuc delapsa ligustra,
Et Tiburtino monte quod albet ebur.
Spartanus tibi cedet olor, Paphiæque columbæ;
Cedet Erythræis eruta gemma vadis.
Sed licet hæc primis nivibus sint æmula dona,
Non sunt Parthenio candidiora suo.
Non ego prætulerim Babylonica picta superbe
Texta, Semiramia quæ variantur acu.

rem viridem, alii vero purpureum. Amyclæ civitas est Laconiæ: Miletus autem Ioniæ in Asia Minore, ubi lana summo fuit in pretio.

11. *Ligustra.* Flores eximii candoris. Virgilius, Eclog. II, vs. 18: « Alba ligustra cadunt. »

12. *Et Tiburtino.* Vide lib. IV, epigr. LXII. Cælum enim Tiburtinum utpote frigidum ebori candefaciendo inserviebat. — Beverlandi MS. *quod alget ebur;* et sic in Vaticano codice.

13. *Spartanus olor.* Cycnum intellige candidissimum, cujus formam induit Jupiter, quum Ledam Spartanam compressit. — *Paphiæque.* Veneri scilicet dicatæ, et sic dictæ ab insula Papho, ubi colebatur Dea.

14. *Erythræis.* Vide Plinium juniorem lib. IX, epist. 33. In mari Rubro nobilissimæ nascuntur margaritæ. — Lib. V, epigr. XXXVII.

15. *Primis nivibus*, etc. Intactis.

16. *Parthenio.* De quo lib. IV, epigr. XLV. *Candidiora* refer ad animum Parthenii sincerum.

17. *Babylonica picta superbe. Babylonica*, acu fieri solita. Non minori tamen varietate, nec paucioribus aut minus expressis, minusque mirandis figurarum imitationibus in vestibus contexendis luserunt antiqui artifices sola texturæ ratione, et connexione staminis ad subtemen, quam qui acu pingerent. Hinc alicubi dixit Martialis lib. XIV, epigr. CL: *Victa est Pectine Niliaco jam Babylonis acus.* Et addit *texta.* Nam *plumarii*, textores dicti, non solum qui clavos seu plumas vestibus insuerent et intexerent; sed et qui quocumque genere picturæ, quibuscumque coloribus et figuris variatas vestes acu pingerent. Hinc *plumare*, τὸ ποικίλλειν, et plumatum opus, τὸ ποικίλον seu πεποικιλμένον. Qui *Babylonica* igitur peristromata variis coloribus intextis pingebant, *plumarii* vocati; quod et Babylonem maxime celebrasse, et nomen imposuisse refert Plinius. — *Babylonia picta superbæ* codex Pulmanni. Gronovius legendum censet: *Babylonos picta superbæ Texta*, etc. quia in cod. suo erat *Babylonos.* Gronovii hanc conj. firmat vetustus fratrum Puteanorum liber, quem citat Dan. Heins. ad Claud. IV Cons. Honor. 652.

18. *Semiramia acu.* Hoc est, Babylonica; Semiramis quippe Babylone regnavit.

Non Athamanteo potius me mirer in auro,
 Æolium dones si mihi, Phryxe, pecus.
O quantos risus pariter spectata movebit
 Trita Palatina nostra lacerna toga!

19. *Non Athamanteo.* Vestis Phryxi ex aureo vellere confecta non mihi gratior foret: Athamas autem, rex Thebarum, Helles et Phryxi pater fuit, ac utrumque ex uxore Nephele genuit. Ovid. Metamorph. IV, 466 et sqq.

20. *Æolium.* Æolus, Thebarum rex, pater fuit Athamantis, et avus Phryxi. *Æolium pecus* interpretare arietem, quo vectus Phryxus Æoli nepos trajecit mare. De his legendæ historiæ. — *Æolium dones si mihi, Phryxe, decus* in quibusdam vett. Quod idem est; nam *Æolium decus* hic significat splendidissimum hoc et celebratissimum Æolii nepotis Phryxi vellus.

22. *Trita Palatina vestra* editiones vett. *Cum Palatina nostra* codex Pulmanni et Beverlandi MS. In codicibus Farnabii, aliisque: *Culta Palatina nostra*, etc. Legunt alii: *Trita Palatina vestra lacerna toga.* Alii, *Cum Pallatina nostra lacerna toga*, levi ad Pulmann. et Beverl. codd. immutatione.—*Trita.* Quanto ludibrio ero omnibus, qui me toga nobili ornatum, et trita lacerna superinjecta indutum viderint! His verbis lacernam quoque petit a Parthenio, ut munus sit perfectum.

XXIX.

DE DISTICHIS.*

Disticha qui scribit, puto, vult brevitate placere.
 Quid prodest brevitas, dic mihi, si liber est?

* Lectionem hujus epigrammatis non variant libri.

1. *Disticha qui*, etc. Superius epigramma paulo longius excusare videtur; quum enim justum volumen scribere velit, perinde esse ait, si illud aut duorum, aut plurium versuum epigrammatibus conficiat. Lib. VI, epigr. LXV. — Sidonius, lib. VIII, epist. Lampridium quemdam oratorem laudat a brevitate: « præterea, inquit, quod ad epigrammata spectat, non copia, sed acumine placens, quæ nec brevius disticho, nec longius tetrasticho finiebantur. » Et merito quidem, quia quo breviora sunt et argutiora, eo promptius leguntur et recitantur, eo acrius pungunt et lacerant. Ed.

XXX.

DE SPECTACULO SCÆVOLÆ.

Qui nunc Cæsareæ lusus spectatur arenæ,
 Temporibus Bruti gloria summa fuit.
Aspicis, ut teneat flammas, pœnaque fruatur
 Fortis, et attonito regnet in igne manus!
Ipse sui spectator adest, et nobile dextræ
 Funus amat : totis pascitur illa sacris.

Ὅσσα θεωρεῖται ἐπ' ἀνακτορέοιο θεάτρου
 Παίγνι', ἐπὶ Βρούτου ταῦτα μέγα κλέος ἦν.
Λεῦσσε, φλογῶν ὡς χεὶρ ἐπιδράττεται, ὡς ἀπολαύει
 Ποινῆς, θαμβαλέῳ τ' ἐν πυρὶ κοιρανέει.
Ἔςι δ' ὃς αὐτόπτης αὐτοῦ, καὶ χειρὶ θανούσῃ
 Χαίρει, ὅλων δ' αὐτὴν φλὸξ θυέων νέμεται.

1. *Qui nunc.* Temporibus Domitiani fortiores viros existere quam Bruti sæculo docet Poeta : nam quod olim fortissimus Scævola in re seria, id ipsum nunc per jocum fit. Lib. Spect. epigramm. VII. Rei quippe damnati personas agebant Dædali, Orphei, et Laureoli; ita hic fictus Scævola ad exemplum Mucii Scævolæ manum in flammas immissam combussit. Lib. I, epigr. XXII : « Qunm peteret regem decepta satellite dextra, Ingessit sacris se peritura focis. »

2. *Temporibus Bruti.* Quibus vixit Scævola. Vide Liv. lib. II. — *Summa fuit.* Id fuit tunc summa gloria, quod nunc lusus est.

3. *Pœnaque fruatur.* Hoc est, pœnam in suam laudem vertat : sic loquitur Juno apud Senecam in Hercule furente : « superat et crescit malis, Iraque nostra fruitur », etc.

4. *Attonito... in igne.* Sensum nempe animumque flammis commodat, ut et infra vs. 8, ubi : *in lassos... focos.*

5. *Ipse sui.* Ipse fictus Scævola, ad exemplum veri Scævolæ, manum igue comburi spectavit, et delectatus est illo spectaculo.

6. *Totis pascitur.* Hoc est, comburitur toto igne ad sacra facienda accenso. Forte melius explices, delectatur toto igne. Quo sensu, ni fallor, verbum *pasci* usurpatur a Cicerone, ad Atticum lib. IV, epist. 9 : « Ego, inquit, hic pascor bibliotheca Fausti. »

Quod nisi rapta foret nolenti pœna, parabat
  Sævior in lassos ire sinistra focos.
Scire piget post tale decus, quid fecerit ante;
  Quam vidi, satis est hanc mihi nosse manum.

Εἰ δέ μιν οὐ ποινῆς ἀέκουσαν ἀνεῖρξαν, ἔην ἂν
  Τῆς λαιῆς ἐς πῦρ ὁρμὴ ἑτοιμοτέρη.
Οὐ πολυπραγμονέω, τόδε ῥέξας τί πρὶν ἔρεξεν·
  Ἀρκοῦμαι γνοὺς τήνδ', ἥνπερ ὄπωπα, χέρα.

7. *Quod nisi.* Nisi fictum hunc Scævolam flammis eripi jussisset Domitianus, ut olim verum Scævolam ab igne amoveri imperavit Porsena (lib. I, epigr. XXII : « Et raptum flammis jussit abire virum »), sinistram sanam pariter combussisset.

8. *Sævior in laxos* in Ald. Junt. Colin. Gryph. Plant. Junian. Lang. et Delph. *Sævior in lassos* codex Pulmanni et Beverlandi MS. Hæc verba sæpe permutantur in membranis, ut et omnia in quibus vel *x* vel duo *s*. — *In lassos focos*, hoc est, in flammas victas, et cedentes tantæ virtuti.

9. *Post tale decus.* Post tam egregium facinus : etenim si ob scelus damnatus manum suam combusserit, summam laudem consecutus est : at vero, si libens ejusmodi virtutis suæ specimen, prospectante Domitiano, ediderit, licet colligere, illum antea egregia quoque præstitisse facinora.

XXXI.

IN DENTONEM.

Nescio quid de te non belle, Dento, fateris,
  Conjuge qui ducta jura paterna petis.
Sed jam supplicibus dominum lassare libellis
  Desine, et in patriam serus ab Urbe redi :

1. *Nescio quid de te.* Te nempe parum esse virum, vel delectari te turpi libidinis genere. At de jure trium liberorum egimus ad lib. II, epigr. XCI et XCII.

4. *Et in patriam.* Poeta, ut ex Urbe maturius in patriam redeat (nec enim erat Romanus) monet; nec desperationem ex eo concipiat quod non impetraverit jus trium

Nam dum tu longe deserta uxore, diuque
Tres quæris natos, quatuor invenies.

liberorum; quatuor enim domi reperturum ex adulterio uxoris susceptos. Concludit ergo argute, domi inventurum et amplius, quod quærit foris. *Rader.*

5. *Deserta uxore domoque* Juntina nostra margini adscriptum habet; et sic est in quibusdam edd. vett. teste Junio; sed *diu* plerisque, et magis arridet.

XXXII.

DE COLUMBA ARETULLÆ.

Aera per tacitum delapsa sedentis in ipsos
Fluxit Aretullæ blanda columba sinus.
Luserat hoc casus, nisi inobservata maneret,
Permissaque diu nollet abire fuga.
Si meliora piæ fas est sperare sorori,

Ἑζομένης ἐς κόλπον Ἀρητύλλης ἐρόεσσα
Ῥεῦσε δι' ἠερίης πτᾶσα πελειὰς ὁδοῦ.
Ἦν ἂν ἄθυρμα τύχης, εἰ μὴ ἀφύλακτος ἔμεινεν,
Ἤθελέ τ' οὐκ, ἄνετος καίπερ ἐοῦσα, φυγεῖν.
Εἴ τι ἀδελφειὴν ἔλπειν θέμις, εἴ τι δύνανται,

1. *Aera per vacuum* legit Heius. ad Ovid. Fast. III, v. 111.—*Aera per tacitum*, etc. Ominatur Aretullæ fratris ab exsilio reditum.

3. *Luserat occasus* Beverlandi MS. *Casus hic luxus erat* codex Florentinus. *Fluxerat huc casu* scribendum putat Heius. l. c. Crederes casu huc flexisse. *Lapsa erat huc casu* conj. idem Heinsius. *Casu hic lusus erat* legi jubet Beverlaudus. — *Luserat hoc casus*, etc. Casu aliquo, velut ab accipitre, acta videretur, nisi et in gremio Aretullæ mansisset.

4. *Permissaque sibi* Ald. Junt. Colin. Gryph. Plant. Junian. Pulman. Lang. et Delph. et sic etiam legit Heiusius.

5. *Si meliora.* Hujus Aretullæ frater in Sardinia exsulabat, cujus reditum a Domitiano impetraturam se sperabat Aretulla. Poeta autem dicit hanc columbam omen esse fratris ab exsilio revocandi: sæpius enim, ut antiquis visum, aves omi-

Et dominum mundi flectere vota valent;
Hæc a Sardois tibi forsitan exsulis oris,
Fratre reversuro, nuntia venit avis.

Τὸν κόσμου κάμπτειν παντὸς ἄνακτα λιταὶ,
Αὔτη σοὶ φυγάδος τυχὸν ἔρχεται ὄρνις ἀδελφοῦ
Ἄγγελος ἐκ Σαρδοῦς οἴκαδε νισσομένου.

nia causa ultro ad homines advolasse scribit, unus ex multis, Valerius Maximus, lib. I, cap. 4.

7. *Exsulis oris*. Ex regionibus fratris tui exsulis, hoc est, ex regionibus ubi exsulat frater tuus.

XXXIII.

AD PAULUM, DE PHIALA.

De prætoritia folium mihi, Paule, corona
Mittis, et hoc phialæ nomen habere jubes.
Hac fuerat nuper nebula tibi pegma perunctum,
Pallida quam rubri diluit unda croci.
An magis astuti derasa est ungue ministri
Bractea, de fulcro (quod reor esse) tuo?

1. *De prætoritia*. Poeta avaritiam Pauli deridet, a quo phialam dono acceperat tam tenuem, ut nullius vel parvi esset pretii. In ludis prætores solebant victoribus dare coronas aureis vel argenteis bracteis insignes, quæ flores et folia exprimerent. Sensus est : Folium seu laminam tenuissimam potius quam phialam misisti mihi.

3. *Hac fuerat*. Sic intelligunt Interpretes. Pegma de quo lib. Spect. epigr. II, nuper fuerat hac lamina inauratum, quam nebulam vocat, hoc est, tenuem instar nebulæ, et quæ diluta seu ablata est croci adspersione, de qua lib. Spect. epigramm. III. — *Pallida unda* dicitur hic, quod crocus vino dulci mixtus flavum colorem referret.

6. *Bractea de puero quam* exhibent codd. Vat. et Florent. *Bractea de fulcro quam* Aldinum exemplar, quod comma habet post verbum *ministri* præced. versu. — *De fulcro*. Lecti et eorum fulcra bracteis argenteis erant ornata. Suetonius hæc refert in Caligula, cap. 32 : «Romæ publico epulo servum, ob detractam lectis argenteam lami-

Illa potest culicem longe sentire volantem,
Et minimi penna papilionis agi.
Exiguæ volitat suspensa vapore lucernæ,
Et leviter fuso rumpitur icta mero.
Hoc linitur sputo Jani caryota Kalendis,
Quam fert cum parvo sordidus asse cliens.
Lenta minus gracili crescunt colocasia filo;
Plena magis nimio lilia sole cadunt;
Nec vaga tam tenui discursat aranea tela,
Tam leve nec bombyx pendulus urget opus.
Crassior in facie vetulæ stat creta Fabullæ;
Crassior offensæ bulla tumescit aquæ.

nam, carnifici confestim tradidit.»

10. *Et leviter fusca* Beverlandi codex manuscriptus.

11. *Hoc liniturus eram puto jam* codd. Vat. et Florent. — *Hoc linitur sputo*. Tenui corio, crusta, vel tectorio exponit Scaliger ad Tibulli lib. I. An forte, in deaurando, sputo utebantur vice gummi? inquit Farnabius. *Caryota* vero palmarum fructus est, quæ ad patronos Kalendis Januariis mittebatur a clientibus. Lib. XIII, epigr. XXVII. Cum caryota autem simul atque assem porrigebant pauperes. Nam ineunte anno stips Jano offerebatur. Sic et Diis suis peculiaribus, singulis kalendis pecuniolam aliquam porrigebant. Ratio hujus superstitionis est, quia kalendas et annorum principia religiose observabant. Et non Ethnici solum, verum et ex Dei præcepto Israelitæ initia mensium observabant, et sacrificiis celebrabant.

12. Codex Pulmanni: *cum parco sordius asse cliēs*. Codex Florentinus: *cum parvo sordidus axe dies*. Verba *clies* [*cliens*] et *dies* facile permutantur ob similitudinem literarum *cl* et *d*. Et sic etiam *axe* et *asse:* vide *laxos et lassos* supra, istius libri epigr. XXX.

13. *Colocasia*. Fabæ sunt Ægyptiæ, quæ coctæ instar filorum tenduntur. Lib. XIII, epigr. LVII, et Plinius lib. XXI, cap. 15.

14. *Plena magis*, etc. Folia liliorum ab ardore solis decidentium, sunt crassiora quam tua phiala.

15. *Nec vaga tam tenui discurrit* codd. Thuan. Florent. et Pulmanni; et sic etiam legit Huschk. ad Tibull. — *Nec vaga*, etc. Aranearum et bombycum telæ non sunt adeo subtiles.

17. *Crassior*, etc. Fucus seu incrustamentum faciei supertectum e creta Chia vel Selinusia. — *Stat cartha Fabullæ* codd. Vatt. et Florent. habent. Qua sive ad candidam faciendam, sive ad poliendam cutem utebatur Fabulla.

18. *Offensæ*, etc. Leviter percussæ, agitatæ, unde oritur bulla.

Fortior et tortos servat vesica capillos,
  Et mutat Latias spuma Batava comas.
Hac cute Ledæo vestitur pullus in ovo;
  Talia lunata splenia fronte sedent.
Quid tibi cum phiala, ligulam quum mittere posses;
  Mittere quum posses vel cochleare mihi?
Magna nimis loquimur, cochleam quum mittere posses;
  Denique quum posses mittere, Paule, nihil.

19. *Fortior intortos* Ald. Junt. Colin. Gryph. Lang. Pulmann. Plant. Junian. et Delph. *Fortior et tortos* Beverlandi MS. ita exhibent Grut. Scriv. et Schrevel. — *Servat vesica*. Reticulum tenue instar vesicæ, quo retinebantur capilli : sed hunc sensum non dat Rob. Stephanus, Juv. sat. II, 96. Ed.

20. *Spumaque flava* codex Florent. — *Et mutat Latias*. Hoc est, nec phiala crassior est lixivio, quo Romani ad exemplum Batavorum capillos illinebant, ut flavescerent.

21. *Hac cute*. Hoc est, ova cycni habent cutem æque crassam.

22. *Talia limata* Beverlandi MS. — *Splenia*. Fasciæ sunt, quæ ita in fronte componebantur, ut Lunæ cornua exprimerent. Vid. lib. II, epigr. XXIX. — *Lunata*. Dicitur frons lunata quod hemicyclon a geminis temporibus efficiat.

23. *Ligulam*. Cujus *ligulæ* sæpe prodit vocabulum, ut lib. V, XIX, lib. XIV, CXX; at hic gladiolus est, vel spathula, mensurave.

24. *Cochleare*. Erat quoque liquidorum mensura, sed minor ligula. Lib. XIV, epigr. CXXI.

25. *Cochlear cum mittere possis* codex Pulmanni. — *Cochlea* limacis testa est sane minoris etiam pretii quam cochlear. Melius vero cum Poeta egisset Paulus nihil mittendo, quam phialam tam tenuem.

XXXIV.

IN JACTATOREM.*

Archetypum Myos argentum te dicis habere.

* In hoc epigrammate nihil variant codices, aut libri impressi.

1. *Archetypum*. Hoc distichum sic explicat Turnebus, lib. XXI, cap. 24 : Ego, inquit, argutiam jocumque epigrammatis latere puto in vocabulo, *factum est*, hoc sensu : Dicis te habere toreumata argentea operis antiqui, quæ quidem magni ab omnibus olim æstimabantur. Jocans Martialis ait : Tu ista verbosa ostentatione argenti tui et ja-

Quod sine te factum est, hoc magis archetypum est.

elatione ventosa multum detrahis pretio, et efficis ut vasa tua convivis molestiæ et tædio sint; adeo ut argentum factum, id est, vasa, (argenti enim facti nomine vasa censentur argentea), si sine te sit, et si absis, magis sit archetypum: scilicet, pluris censeatur, antiquiusque videatur. Vid. epigr. VI, supra. — *Myos*. Cælatoris egregii.

2. *Quod sine te*. Hoc est, inquit Raderus, vasa quæ tu non attigisti nec adulterasti, magis archetypa sunt. Videat lector, et eligat.

XXXV.

IN PESSIMOS CONJUGES.*

Quum sitis similes, paresque vita,
Uxor pessima, pessimus maritus;
Miror, non bene convenire vobis.

* Et hic nulla est lectionis varietas in libris calamo exaratis, aut typis excusis.

3. *Non bene convenire*. Jocus in voce ambigua *convenire*, quæ pariter significat et similem duobus indolem, et concordiam. Ita perspicuum hoc epigramma fit. *Convenit*, quum pessimi et hic et illa; non *convenit*, quum rixentur. Ed.

XXXVI.

AD CÆSAREM DOMITIANUM.*

Regia pyramidum, Cæsar, miracula ride;

Πυραμίδων γέλασον βασιλήϊα θαύματα, Καῖσαρ·

* Domus hæc Palatina Cæsaris, digna erat spectatu; ut quæ inter nobiliores orbis fabricas referri posset, quam Poeta pyramidibus aulisque Ægypti anteponit, atque altitudine etiam altissimis Thessaliæ montibus præfert. Postremo, argute concludit: quamquam tam vasta, ampla et excelsa est domus, tamen est minor Domino Cæsare. *Raderus*.

1. *Regia pyramidum*. De quibus

Jam tacet Eoum barbara Memphis opus.
Pars quota Parrhasiæ labor est Mareoticus aulæ?
Clarius in toto nil videt orbe dies.
Septenos pariter credas assurgere montes;
Thessalicum brevior Pelion Ossa tulit.
Æthera sic intrat, nitidis ut conditus astris
Inferiore tonet nube serenus apex;
Et prius arcano satietur lumine Phœbi,

Οὐδεὶς τῶν ἔργων Μέμφιδός ἐςι λόγος.
Κτίσμα τεοῖο μέρος πόςον Μαρεωτικὸν οἴκου;
Κρεῖσσον ἐν ἀνθρώποις ἥλιος οὐδὲν ὁρᾷ.
Ἑπτὰ λόφους φαίης κεν ἐπ' ἀλλήλων ἐπικεῖσθαι·
Πήλιον Ὄσσα φέρουσ' ἦν ἐλαχιςοτέρη.
Τοῖς ἄςροις κορυφὴ ἐπιμίσγεται, ὥσθ' ὑπὲρ αὐτῶν
Εὔδιος ἀςράπτειν νερτερίων νεφέων·
Τοῦ τε φάους κρυφίου πρὶν ἀφύσσεται ἠελίοιο,

diximus ad libr. Spectac. epigr. 1.

2. *Jam tacet.* Tuum enim Palatium longe superat has pyramides. — *Eoum barbara.* In Ægypto, quæ Orientem a Meridie spectat. — *Memphis opus.* Nobilissima Ægypti civitas, et pyramidibus clara. Lib. Spect. epigr. citat.

3. *Mare auleoticus* codex Florentinus. — *Parrhasiæ aulæ.* Hoc est, aulæ Palatinæ, seu Palatii. Lib. VII, epigr. LVI.—*Labor Mareoticus.* Hoc est, Ægyptius, a Mareotide celeberrima Ægypti palude.

5. *Septenos.* Septem Palatii turres tam miræ molis et altitudinis affirmat, ut superent et Ossam et Pelion Thessaliæ montes, quos congestos in cælum struxisse feruntur Gigantes. Ovid. Met. I, vs. 154 sq.

6. *Thessala cum brevior* in Vatic.

7. *Æthera sic intrat.* Id est, eam in altitudinem per inane surgit hoc Palatium; sic aula summum caput inter nubila condit, ita ad cælum usque ejus apex pertinet; ut nubes et tonitrua inferiora habeat. Sic dictum ut illud Virgilii in Eclog. V, 57: « Sub pedibusque videt nubes et sidera Daphnis. » Sed hic ὑπερβολή. Quum igitur omnia infra quandoque turbentur et fulminibus terreantur, fastigium tamen domus tam excelsæ immotum manet, et longe est extra tempestatis impetum.

9. *Et prius arcano.* Hoc est, Palatii apex prius offenditur lumine solis, quam cacumen montis Circes, quæ Solis filia dicta est. Ovid. Met. XIV, 347. *Arcano,* quia scilicet prius quam alibi appareat lumen,

Nascentis Circe quam videt ora patris.
Hæc, Auguste, tamen, quæ vertice sidera pulsat,
Par domus est cælo : sed minor est domino.

Ἦ πατέρ' ὃν Κίρκη λεῦσσεν ἀνισχόμενον.
Ἀλλ' ἄστρων τόδε δῶμα θιγὸν, τῷ μὲν πόλῳ ἶσον
Ἔπλετο· τοῦ δ' ἰδίου μεῖον ἄνακτος ἔφυ.

jam sol illustravit tuum Palatium.

12. *Par domus*. Licet tua domus, o Domitiane, altitudine atque amplitudine cælum æquet, tamen non est satis ampla, quæ te Deum capere possit. Conf. Papin. Sylv. 4.

XXXVII.

AD POLYCHARMUM. *

Quod Caïetano reddis, Polycharme, tabellas,
Millia te centum num tribuisse putas?
Debuit hæc, inquis : tibi habe, Polycharme, tabellas,
Et Caïetano millia crede duo.

* Hominem notat cui quod mutuum sumpsit (et quidem sæpe mutuum sumit), mos nunquam reddere. Remittit quidam illi debitum, et donum dedisse se arbitratur.— Minime, ait Noster, nam ille nunquam reddidisset ; remittas, non remittas, perinde est. At crede rursum pecuniam, vel minimam (quam scilic. non reddet), id donum erit. Ed.

1. *Polycharmum*, addito *h* post *c*, scribimus, quod Græcæ ἐτυμολογίας ratio imperat; licet aliis aliter. Ed.

2. *Millia tercentum non* codex Pulmanni. *Millia te centum non* Ald. Junt. Colin. Gryph. etc. Utrumque minus bene. *Millia te centum num* Plant. Junian. Delph. Grut. Scriv. et Schrevel.—*Millia* : millia nempe sestertium.

4. *Millia redde duo* Beverlandi MS. Alii *crede tuo*. — *Millia crede*. Rursus pecuniam da mutuo, sic vere munificus videberis. Vid. supra ad not. primam.

XXXVIII.

AD MELIOREM.*

Qui præstat pietate pertinaci
Sensuro bona liberalitatis,
Captet forsitan, aut vicem reposcat.
At si quis dare nomini relicto
Post manes tumulumque perseverat,
Quærit quid, nisi parcius dolere?
Refert sis bonus, an velis videri.
Præstas hoc, Melior, sciente fama:
Qui solennibus anxius sepulti
Nomen non sinis interire Blæsi;
Et de munifica profusus arca
Ad natalitium diem colendum
Scribarum memori piæque turbæ

* Celebrat pietatemŚlioris erga Blæsum scribam, cujus defuncti natalem quotannis revocabat, et festum Blæsianum appellabat.

1. *Quid præstat* Beverlandi MS.

3. *Captet forsitan.* Melior duos pueros habuit, Glauciam et Blæsum, et utrumque mortuum luxit. Lib. VI, epigr. XXVIII et XXIX. At vero, inquit Poeta, qui munera confert in vivos, aut ab iis majora sperat, aut forte eorum hæreditatem captat.

4. *Aut si quis* Beverlandi MS. — *Nomini relicto.* Hoc est, mortuo amico si quis officia pietatis præstat, nihil aliud nisi suo dolori lenimen quærit. Vide Plin. jun. lib. I, epist. 17, de his qui defunctorum amicorum memoriam colunt.

5. *Perseveret tumulum* in edd. vett.

7. *Refert sis bonus.* Hic versus legendus absque interrogationis nota. *Refert* autem, id est, plurimum interest. Sensus ergo est: Qui mortuum beneficiis prosequitur, revera beneficus est: qui vivum, beneficus fortasse videri vult. Atque magnum est discrimen inter τὸ ὂν et τὸ φαινόμενον. Cato enim *esse, quam videri bonus malebat.* Et sic Æschylus de Amphiarao, Sept. ad Theb. vs. 544: Οὐ γὰρ δοκεῖν ἄριστος, ἀλλ' εἶναι θέλει.

8. *Præstas hoc.* Id est, te probe geris, non ut probus videaris, sed quia sic faciendum existimas.

9. *Qui solennibus*, etc. Qui natalitium diem Blæsi celebras.

13. *Scribarum memori.* Quia et

Quod donas, facis ipse Blæsianum.
Hoc longum tibi, vita dum manebit,
Hoc et post cineres erit tributum.

Blæsus olim fuerat scribarum unus.

14. *Blæsianum.* Festum nomine Blæsi, et in illius gratiam. Unde non tibi, sed illi præsens gloria, et tumulo superstes. De Atedio Meliore, lib. VI, epigr. XXVIII; et Papin. Sylv. II. Vide et Plin. Sec. lib. I, epist. 17, et lib. IX, epist. 9.

15. *Hoc longum, tibi vita*, etc. in edd. vett. *Vita redonabit*, Beverlandi MS. — *Hoc longum*, etc. Quamdiu vives, immo et mortuus, ex tanta pietate gloriam et famam consequeris. Aut forsan idem et tibi, quod nunc et manibus tribuis, post obitum aliquis tribuet. Ed.

XXXIX.

AD DOMITIANUM.*

Qui Pallatinæ caperet convivia mensæ,
Ambrosiasque dapes, non erat ante locus.
Hic haurire decet sacrum, Germanice, nectar,
Et Ganymedea pocula mixta manu.
Esse velis, oro, serus conviva Tonantis.
At tu si properas, Jupiter; ipse veni.

* Laudat regiam Domitiani a Rabirio exstructam. Namque ante ædificatum hoc Palatium, non poterant in aula celebrari solennia populi convivia; nunc accumbimus omnes, et divina Domitiani munera bibimus. *Rader.*

1. *Quiqüe Palatinæ* exhibet codex Florentinus; at *Qui Pallatinæ* Ald. Junt. Colin. etc. Et hoc, ut patet, multo melius. Ed.

3. *Hic haurire licet* editio Delph. notæ præfixum habet, quamvis in textu, *decet*. — *Hic haurire decet.* Nempe in tuo Palatio: epigr. XXXVI supra.

4. *Et Ganymedea.* Hoc est, haurire pocula quæ a tuis pueris, formoso Ganymedi similibus porriguntur.

5. *Esse velis.* Tarde adeas cælum, seu diu vivas.

6. *At tu si*, etc. O Jupiter, si tanto Domitiani videndi desiderio tenearis, descende in terras, ut cum illo conviveris.

XL.

AD PRIAPUM.*

Non horti, neque palmitis beati,
Sed rari nemoris, Priape, custos,
Ex quo natus es, et potes renasci,
Furaces, moneo, manus repellas,
Et sylvam domini focis reserves.
Si defecerit hæc, et ipse lignum es.

* Minatur Priapo hortorum et silvarum custodi flammas, nisi custodiat silvam suam, flammarum alimenta.

3. *Ex quo natus es.* Vid. Horat. I, sat. VIII. « Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum », etc.

6. *Si defecerit hoc* edit. antiq. Ferrar. Ald. Junt. Colin. Gryph. Pulmann. Calderin. Lang. Plant. Junian. et Delph. *Si defecerit hæc* Grut. Scriv. Farnab. et recentt.— *Si defecerit* lignum nemoris, quum et ipse lignum sis, te comburam.

XLI.

AD FAUSTINUM.*

Tristis Athenagoras non misit munera nobis,
Quæ medio brumæ mittere mense solet.
An sit Athenagoras tristis, Faustine, videbo;
Me certe tristem fecit Athenagoras.

* Hujus epigrammatis lectionem non variant exemplaria scripta, aut excusa.

1. *Tristis Athenagoras.* De quo lib. IX, epigr. XCVI. Sensus est : Mœstus mihi videtur Athenagoras, quod nihil ad me miserit Saturnalium tempore : ego, inquit Poeta, nescio an vere doleat, at ego vere doleo quod nihil acceperim. Lib. IV, epigr. XLVI.

2. *Medio brumæ.* Hoc est, mense Decembri : bruma vero significat dies hyemis brevissimos. Cicero de Nat. Deor. lib. II. « Solis accessum discessumque brumis solstitiisque fieri. »

3. *Videbo.* Dubito, non affirmo.

XLII.

AD MATHONEM.*

Si te sportula major ad beatos
Non corruperit, ut solet; licebit
De nostro, Matho, centies laveris.

* Neque in hoc epigrammate quidquam variant scripti, aut impressi.

1. *Sportula.* De Mathone egimus lib. IV, epigr. LXXX. De sportula, lib. III, epigr. VII.

2. *Non corruperit*, etc. Non transtulerit corruptum nidore majoris culinæ ad cœnas divitum. Vel, si te sportula major non corruperit, et ad beatos ac divites transtulerit, desertis tenuioribus. Sic dicunt Græci σώζεσθαι εἰς πόλιν, id est, φεύγειν ἢ ἀπιέναι εἰς πόλιν τινὰ, καὶ ἐκεῖ σώζεσθαι. *Herald.*

3. *De nostro, Matho, centies.* Interpretantur, de mea sportula, quæ est centum quadrantum. Sed non videtur Scriverio et ejus asseclæ Farnabio constare ratio, quia *centies* in re nummaria non centum, sed tot centena millia significet. Itaque aut ludere Poetam vult Scriverius dicendo, *de nostro centies*, aut aliud quid cogitandum: se enim opem ferre non posse. Tentat Farnabius: Vel, *centies lavari;* id est, a balneis cœnare apud se invitat Mathonem. Ego sic censeo: cogitandum venisse Martialem sero circa balnei tempus ad ædes Mathonis, ut peteret sportulam. Ille domi negabatur esse: et videbatur aut ipse alibi sportulam petitum (ut iste, quem mane salutatum veniens audiebat in eumdem finem profectum priorem), aut quadrante in publicas balneas lavatum isse. Ergo, inquit, nisi tu spe majoris sportulæ, utpote honoratior (vide lib. X, ep. X), alicubi detineris, meo damno vel de mihi abs te debita sportula, quam lucratus es, potes lavari centies: erat enim illa centum quadrantum, et quadrante constabat lavatio. *De nostro,* ut lib. VII, ep. XLVI: *Et tua de nostro, Prisce, Thalia placet;* lib. X, epigr. XXIX: *De nostra prasina est synthesis empta toga.* Gronov.

XLIII.

IN FABIUM ET CHRESTILLAM.*

Effert uxores Fabius, Chrestilla maritos;
Funereamque toris quassat uterque facem.
Victores committe, Venus : quos iste manebit
Exitus, una duos ut Libitina ferat.

* *In Fabium et Christillam* inscriptio est in omnibus fere vett. edd.

1. *Effert.* Verbum est funeris proprium : conjuges veneno forte necabant Fabius et Chrestilla.

2. *Funereamque.* Quum deberent adhibere tædas nuptiales.

3. *Victores mittit Venus* codex Florent. — *Victores.* Fac ut matrimonio juncti simul congrediantur, Fabius quidem uxorum victor, Chrestilla vero victrix maritorum.

4. *Una duos.* Ut Libitina mortis Dea utrumque mutuis artificiis occisum simul rapiat.

XLIV.

AD TITULLUM.*

Titulle, moneo, vive semper; hoc serum est;
Sub pædagogo cœperis licet, serum est.
At tu, miser Titulle, nec senex vivis;
Sed omne limen conteris salutator,
Et mane sudas urbis osculis udus,
Foroque triplici sparsus ante equos omnes,

* Titullum monet vivat genialiter, neque hæredibus multa relinquat, nihil gratiæ mortuo ob id relaturis.

2. *Sub pædagogo.* Hoc est, quamvis a prima juventute genialiter vivere cœperis, tamen tardius est. Lib. I, epigr. xvi.

4. *Sed omc* in Junt. anni 1512, i. e. *omẽ*, pro *omne.* — *Sed omne limen.* De matutinis his salutationibus diximus lib. IV, epigr. lxxix.

5. *Urbis osculis.* Quos enim salutabant, eos osculabantur Veteres.

6. *Foroque triplici.* Lege lib. III, epigr. xxxviii. — *Ante equos omnes.*

Ædemque Martis, et colosson Augusti
Curris per omnes tertiasque, quintasque.
Rape, congere, aufer, posside : relinquendum est.
Superba densis arca palleat nummis,
Centum explicentur paginæ Kalendarum;
Jurabit hæres te nihil reliquisse,
Supraque pluteum te jacente, vel saxum,
Fartus papyro dum tibi torus crescit,
Flentes superbus basiabit eunuchos;
Tuoque tristis filius, velis nolis,
Cum concubino nocte dormiet prima.

Hoc est, inquiunt Domitius et Raderus, ante equites : judices enim erant equestris ordinis. Forte statuas equestres in foro positas.

7. *Colosson Augusti.* Quem describit Marlianus lib. III, cap. 6.

8. *Per omnes tertias.* Decurias judicum intelligunt alii, quæ primo tres, quibus Augustus quartam, Caligula quintam addidit. Alii horas interpretantur. Epigr. LXVII infra. — *Per omnes tertiaque* in Junt.

10. *Superba densis arca pullulet* in quibusdam vett. et sic in codice Dousæ P. Alii legunt, *pullulet.* Videat lector. — *Palleat.* Argento nempe, cujus color pallidus est.

11. *Centum explicentur.* Tabulæ aperiantur, quibus constat apud centum debitores positam tibi pecuniam; negabit hæres quidquam a defuncto relictum. Hic mos enim multis, ut divites positis in arca, positis in fœnore nummis, pauperes se prædicent, sive ut invidiam declinent, sive quod nunquam possidere se satis putent.

14. *Fractus papyro* Beverlandi MS. — *Fartus papyro.* Qua utebantur ad rogum struendum. Lib. X, epigr. XCVII.

15. *Flentes superbum* ex codice Palatino legit Gruterus. *Flentes superbos* Scriverius.

XLV.

AD FLACCUM DE REDITU P. TERENTII.*

Priscus ab Ætnæis mihi, Flacce, Terentius oris

* *Ad Flaccum* inscriptio est in edd. vett.

— Celebrat reditum e Sicilia P. Terentii, Martialis familiarissimi : et precatur, ut tam læte mox etiam Flacci redeuntis e Cypro diem agat.

1. *Priscus.* Ad quem Poeta mittit librum duodecimum.

Redditur: hanc lucem lactea gemma notet.
Defluat, et lento splendescat turbida lino
Amphora centeno consule facta minor.
Continget nox quando meis tam candida mensis?
Tam justo dabitur quando calere mero?
Quum te, Flacce, mihi reddet Cythereia Cypros,
Luxuriæ fiet tam bona causa meæ.

2. *Lactea gemma*. Albo calculo prosperos, nigro dies infaustos notabant Antiqui: quem morem alii a Scythis, a Thracibus alii ortum putant. Ipsa margarita vice albi calculi. Lib. IX, epigr. LIII, v. 5, et lib. XI, epigr. XXXVI.

3. Ed. antiq. Ferrar. anni 1471. Ald. Junt. Colin. Gryph. etc. *turbida limo*, quod varie torquebat exercebatque interpretes. Lectio nostra debetur Scriverio. — *Et lento splendescat*. Vinum enim centum annorum ex amphora effusum, si commoveretur, turbidum fiebat.

4. *Amphora*. Annosum vinum et seculare. — *Centeno consule*. Longo tempore, multis annis. Vide lib. I, epigr. XXVII, vs. 7. — *Facta minor*. Quia subinde longo senio aliquid deperit.

5. Junt. anni 1512 *tam candida mansis*, vel *mausis* — *Continget nox quando.... Quum te*, etc. Ecquando iterum erit mihi æque justa convivii caussa? certe ubi idem Flaccus redierit ex Cypro, quæ insula Veneri sacra est, quam proximo mari aut genitam, aut certe erupisse ferunt.

7. *Cythereia Cypros*. Non quod in insula Cypro urbs Cythere (Cythere enim urbs et insula est juxta Laconiam); sed quod Veneri, quæ et *Cythereis*, sacrata sit.

8. *Luxuriæ*. Festæ accubationi.

XLVI.

AD CESTUM PUERUM.*

Quanta tua est probitas, quanta est infantia formæ,
Ceste puer, puero castior Hippolyto!

* *Ad Cestum* inscribitur in Ald. Junt. Colin. Gryph. aliis.

— Celebratur in Cesto puero concordia formæ atque pudicitiæ.

1. In Ed. citt. *quanta est præstantia formæ*; in codice Pulmanni: *quanta est instantia famæ*. Farnabius legit: *Tanta tua est probitas, quanta est infantia formæ*. Vide lib. XI, epigr. V: *Tanta tibi est recti reverentia, Cæsar, et æqui, Quanta Numæ fuerat*. Cæterum lectio nostra debetur Grutero.

2. *Castior Hippolyto*. Vide argu-

Te secum Diana velit, Dorisque natare;
Te Cybele totum mallet habere Phryga.
Tu Ganymedeo poteras succedere lecto,
Sed durus domino basia sola dares.
Felix quæ tenerum vexabit sponsa maritum,
Et quæ te faciet prima puella virum!

mentum Hippolyti, in Senec. Trag.

3. *Doceatque natare* edd. vett. In quibusdam : *Dorosque natare*. Scriverius legit : *Dorisque natare*. — *Diana velit*. Ipsa castitatis Dea. — *Natare* inter nymphas suas, neque oculos tuos ulciscetur, ut quondam Actæonis.

4. *Te Cybele secum vellet habere Phrygæ*, vel *Phryga*, Ald. Junt. Colin. Gryph. etc. *Te Cybele totum mallet habere Phryga* codex Pulmanni, quæ lectio magis arridet Grutero. — *Te Cybele*. Brodæus legendum censet : *Te Cybele secum mallet habere Phryge*. Hoc est : Te secum habere mallet, quam Atyn Phrygium. Sed Gruteri lectio præfertur, legentis *totum*, et *Phryga*. — *Totum*, etc. Non castratum, ut Atyn quondam puerum suum Phrygium.

5. *Ganymedeo*, etc. Vid. lib. V, epigr. LV.

6. *Sed durus domino;* vix basia a te impetraret Jupiter, nedum quid ulterius. *Securus* quidam, hoc est, non suspectus Junoni, nec zelotypam Deam urens. *Gruter*.

XLVII.

IN VARIE SE TONDENTEM.*

PARS maxillarum tonsa est tibi, pars tibi rasa est,
Pars vulsa est : unum quis putet esse caput?

* Nullam lectionis varietatem in hoc epigrammate produnt exemplaria.

1. *Pars maxillarum tonsa...rasa...vulsa*. *Tonsa*, forcipibus nimirum, quibus utebantur juvenes jam adulti; *rasa*, novacula scilicet, quam adhibebant viri; et *vulsa*, volsellis nempe, quarum feminis et junioribus usus. Quum ergo triplicem ita ætatem, pueri nempe, juvenis et viri, capite suo referret hic, quisquis fuerit, non unum, immo triplex, caput habere videbatur.

XLVIII.

DE ABOLLA CRISPINI.*

Nescit cui dederit Tyriam Crispinus abollam,
 Dum mutat cultus, induiturque togam.
Quisquis habes, humeris sua munera redde, precamur;
 Non hoc Crispinus, te sed abolla rogat.
Non quicumque capit saturatas murice vestes;
 Nec nisi deliciis convenit iste color.
Si te præda juvat fœdique insania lucri,
 Qua possis melius fallere, sume togam.

* Furem hortatur, ut ablatam Crispino abollam reddat; et togam potius subducat, alioqui deprehensum iri.

1. *Abollam.* Pallium duplicatum; de quo supra diximus ad lib. IV, epigramm. LIII. — *Crispinus.* De eo actum est lib. VII, epigramm. XCIX, cui ut ablatam abollam restituat, furem hortatur Poeta; et Crispinum ipsum deridet, qui nesciret cui dedisset servandam abollam.

4. *Abolla rogat.* Quæ tibi non convenit, furemque prodet.

5. *Scutulatas murice* Beverlandi MS. — *Non quicumque.* Hoc est, non cujusvis est gestare purpuram.

6. *Deliciis*, etc. Lautioribus et delicatis.

7. *Fœdi lucri.* Furti.

8. *Quo possis melius* in quibusdam vett. — *Sume togam.* Abollæ loco; magno enim in togatorum numero tu togatus delitesces.

XLIX.

DE ASPRO.

Formosam plane, sed cæcus diligit Asper;
 Plus ergo, ut res est, quam videt Asper, amat.

1. *Formosam sane* codd. Thuan. et Florent. — *Formosam.* Poeta deridet istum cæcum, qui puellæ nunquam visæ amore flagraret. Juvenalis Sat. IV, 114: «Qui nunquam visæ flagrabat amore puellæ.»

L.

AD CÆSAREM DOMITIANUM.*

Quanta Gigantei memoratur mensa triumphi,
  Quantaque nox Superis omnibus illa fuit,
Qua bonus accubuit genitor cum plebe Deorum,
  Et licuit Faunis poscere vina Jovem:
Tanta tuas, Cæsar, celebrant convivia laurus;
  Exhilarant ipsos gaudia nostra Deos.
Vescitur omnis eques tecum, populusque, patresque,
  Et capit ambrosias cum duce Roma dapes.
Grandia pollicitus, quanto majora dedisti!
  Promissa est nobis sportula; recta data est.

* Epulum dedit populo Domitianus, post lauream a Sarmatis Jovi illatam, quod hoc carmine celebrat Martialis, et confert cum epulo Jovis ipsius.

1. *Quanta*, etc. Quantum convivium Jupiter præbuit Diis, relata de Gigantibus victoria, etc.

3. *Genitor cum Phœbe Deorum* Ald. Junt. Colin. Gryph. Laug. etc. et sic vetus codex Junii. Lectionem nostram exhibet codex Pulmanni. — *Accubuit genitor.* Jupiter nempe cum diis minoribus.—*Plebs deorum.* « Vos quoque, plebs Superûm, Fauni, Satyrique, Laresque, Fluminaque, et Nymphæ, Semideûmque genus. » Ovid. in Ibin. 81 sq.

4. *Et licuit Faunis*, etc. Innuit hic Saturnalium libertatem, quo in tempore mensæ accumbebant servuli, ministrantibus dominis. En.

5. *Tanta tuas celebrant, Cæsar, convivia* in Ald. Junt. Colin. Gryph. Calderin. Plaut. Junian. Pulmann. Laug. et Delph. Nostrum ordinem tenent Grut. Scriver. Farnab. et Schrevel. —*Tanta tuas, Cæsar*, etc. Tanta est lautitia ejus convivii, quod tu, o Domitiane, dedisti senatui, equitibus, plebi, post lauream a Sarmatis Jovi illatam. Supra epigr. XV, vs. 4.

6. *Exhilarent* Ald. Junt. et Colin. —*Exhilarant ipsos.* Tanta est nostra lætitia, ut deos ipsos afficiat, qui nobiscum accumbere vellent.

8. *Ambrosias.* Hoc est, divinas. Deus enim haberi volebat Domitianus. Lib. V, epigr. VIII.

9. *Grandia pollicitis* in quibusdam vett. — *Grandia pollicitus.* Epiphonema est, quo Domitiani liberalitatem extollit Poeta.

10. *Cœna data est*, Beverl. MS. haud dubie ex interpretamento. — *Sportula.* Quam sustulit Domitianus, revocata cœna recta. Suetonius in Domitiano, cap. 7. Vide etiam lib. III, epigr. VII.

LI.

DE PHIALA INSTANTII RUFI.*

Quis labor in phiala? docti Myos, anne Myronis?
 Mentoris hæc manus est; an, Polyclete, tua?
Livescit nulla caligine fusca, nec odit
 Exploratores nubila massa focos.
Vera minus flavo radiant electra metallo,
 Et niveum felix pustula vincit ebur.
Materiæ non cedit opus: sic alligat orbem,
 Plurima quum tota lampade Luna nitet.
Stat caper Æolio Thebani vellere Phryxi

* *De phiala Ruffi* inscriptio est in edd. vett.

— Laudat munus sibi ab Instantio Rufo missum.

1. *Quis labor*, etc. Cujus artificis opus est hæc phiala mihi a Rufo missa? Myosne, Myronis, Mentoris, an Polycleti? cælatorum, de quibus Plinius lib. XXXIII, epigr. XII. — *Labor.* Proprie de cælatura *labor.* Hinc *laboriosi* cælatores dicti.

3. *Livescit nulla caligine.* Hoc est, phiala sincera est, et pura ab omni macula. — *Nec odit.* Sicut aurum adulterinum quod igne exploratum evanescit.

5. *Vera minus.* Sensus est, inquit Raderus: Vera electra, seu succinum, minus radiant quam hujus phialæ flavum metallum, id est, aurum. *Vera electra* dixit ad differentiam electri factitii, quod fiebat ex quinta argenti portione auro admixta. At potest sic intelligi: Hæc phiala ex electro factitio composita magis fulget quam verum electrum. Sed anteponendum prius.

6. *Et niveum felix sportula* in codd. Vat. et Florent. *Et nimium felix pustula* edd. Ald. Junt. Colin. Gryph. etc. *Et niveum felix pusula* legunt alii. Lectionem nostram testatur codex Pulmanni. — *Et niveum.* De argento pustulato diximus lib. VII, epigr. LXXXVI. *Felix pustula* dicitur, vel quod feliciter et ingeniose esset elaborata, vel quod nostrum poetam bearet.

7. *Sic alligat orbem.* Hoc est, phiala splendore et figura similis est Lunæ plenæ.

9. *Stat caper.* Sic Juvenalis sat. I, 76. « Argentum vetus, et stantem extra pocula caprum. » — *Æolio.* Nempe iste caper ornatus erat aureo vellere, quale habebat aries ille celeberrimus fabulis. Fingitur scilicet a Jove missum hunc fuisse, quo vectus mare trajiceret cum sorore Helle Phryxus. Erat is filius Athamantis regis Thebarum, cujus Æolus pater fuit. Supra ep. XXVIII.

Cultus : ab hoc mallet vecta fuisse soror.
Hunc nec Cinyphius tonsor violaverit; et tu
Ipse tua pasci vite, Lyæe, velis.
Terga premit pecoris geminis Amor aureus alis;
Palladius tenero lotos ab ore sonat.
Sic Methymnæo gavisus Arione delphin
Languida non tacitum per freta vexit onus.
Imbuat egregium digno mihi nectare munus
Non grege de domini, sed tua, Ceste, manus.
Ceste, decus mensæ, misce Setina : videtur
Ipse puer nobis, ipse sitire caper.
Det numerum cyathis Instanti litera Rufi;

10. *Soror.* Helle, Phryxi soror : ab hoc enim capro si vecta fuisset, in mare non fuisset excussa.

11. *Nec Cinyphius tonsor.* Quid hoc genus, ad lib. VII, epigr. xcv.

12. *Ipse tua.* Elegantissime dictum : namque grata Baccho victima hircus, lib. III, epig. xxiv; attamen iste tam affabre erat formatus, ut sua vite libens illum pasceret Bacchus.

13. *Terga premit.* Capro insidebat Cupido.

14. *Palladius lotos.* Hoc est, tibia. «Lotos ad tibiarum cantus expetitur», inquit Plinius lib. XIII, c. 17. *Palladius* dici videtur, quod frequens in Africa nascatur non procul a Tritone lacu sacro Minervæ.

15. *Sic Methymnæo.* Methymna Lesbi insulæ urbs fuit, patria nempe Arionis; cujus historia legitur apud Herodotum, lib. I.

16. *Non tacitum onus.* Hoc est, ipsum Ariona lyra canentem.

17. *Imbuat egregium dignum* Beverlandi MS. et codex Florentinus. — *Imbuat egregium.* In phialam vinum primo infundat non quivis ex servis, sed Cestus puer formosissimus.

18. *Sed tua certa manus, Ceste, decus mensæ* legit Gruterus ex codice. *Non rogo det dominus, sed tua, Ceste, manus* codex Pulmanni. — *Sed tua, Ceste.* Martiali in deliciis erat puer Cestus, de quo et modo supra dictum est epigr. xlvi.

19. *Misce Setina.* Vina nata Setiæ in urbe Campaniæ, hodie *Sezza.*

20. *Ipse puer.* Cupido cælatus in phiala.

21. *Det numerum.* De more bibendi pro numero literarum nominis vide lib. I, epigr. lxxii. — *Instanti (Instantii) litera Rufi.* Legunt alii *Instantis,* non *Instantii,* de quo lib. VII, epigr. lxviii, et lib. XII, epigr. xcvi. Attamen prior lectio placet Radero propter sequentem versum : « Si dubia est, septunce trahar ». Quum enim dominæ essent venturæ, parcius bibebant antiqui; ut lib. I, epigr. cvii. Idcirco dixit Poeta : Si venit Telethusa, trientem tantum hauriam pro numero

Auctor enim tanti muneris ille mihi.
Si Telethusa venit, promissaque gaudia portat,
Servabor dominæ, Rufe, triente tuo :
Si dubia est, septunce trahar : si fallit amantem,
Ut jugulem curas, nomen utrumque bibam.

quatuor literarum, quas habet *Rufi* nomen in vocativo; at vero si incertum sit, num ad me ventura sit, hauriam septuncem pro numero septem literarum quas habet nomen *Instans* in recto. Si legeretur *Instanti*, in recto esset *Instantius:* dextantem ergo haurire deberet. Videat lector. Difficilis mihi videtur iste locus. Forte Instans aut Instantius Rufus promiscue dicebatur : vel alter erat. Alii sic explicant. Si exspectanda sit amica, et hinc parcius bibendum, ut lib. I, epigr. CVII, contentus ero quincunce, lib. I, epigr. XXVIII, vs. 2; quinque cyathis, qui triens est tuus, hoc est, numerus tertiæ partis nominis tui *Instantius Rufus*, quod literarum est XV. Eligat lector.

23. *Promissaque gaudia profert* codex Pulmanni.

25. *Septunce trahar*. Septem cyathis, qui dimidium præter propter literarum XV nominis tui.

26. *Ut jugulem curas*. Elegans Metaph. ut conficiam curas, affectus et amores, quæ sæpe cruciant, strangulant et jugulant homines, et hoc ex præcepto Ovidii lib. II, de Remed. Am. 809 : « Aut nulla ebrietas, aut tanta sit, ut tibi curas Eripiat. » — *Nomen utrumque*. Hoc est undecim cyathos, seu deuncem; et aliis, quibus Instantius Rufus in recto casu sumi videtur, quindecim.

LII.

AD CEDITIANUM.

TONSOREM puerum, sed arte talem,
Qualis nec Thalamus fuit Neronis,
Drusorum cui contigere barbæ,
Æquandas semel in genas rogatus,
Rufo, Ceditiane, commodavi.

2. *Nec Thalamus*. Nomen tonsoris Neronis. Lips. Epist. Quæst. l. I, c. 5.

3. *Drusorum*. Familiæ Neronis, cui cognomen addebatur Ænobarbi a Domitio: vid. ratio apud Plutarch. in Æmilio. Cf. Dion. VI. — *Contigere*. Ad radendum, comendum.

4. *Æquandæ* codex Pulmanni.

Dum jussus repetit pilos eosdem,
Censura speculi manum regente,
Expingitque cutem, facitque longam
Detonsis epaphæresim capillis;
Barbatus mihi tonsor est reversus.

Æquandas semel ad genas codd. Vat. et Florent.

6. *Dum justus repetit* Farnabius: — *Pilos eosdem.* Scilicet, dum iterum atque iterum barbæ Rufi novaculam admovet. Hoc est, dum nimio studio ad speculi censuram pilos nunc hos, nunc illos cautius castigat.

8. *Expungitque* in Ald. Junt. Colin. Gryph. Lang. etc. vide lib. VII, epigr. LXXXIII. *Expingitque* codex Pulmanni.

9. *Detonsis aplopheresin* in codice Thuaneo. — *Epaphæresim.* Non simul, sed lenta detonsione, ab ἐπαφαιρέω, *insuper detraho.*

10. *Barbatus.* Hoc verbo diutius a Rufo detentum fuisse Rufum significat Poeta.

LIII.

IN CATULLAM.

Formosissima quæ fuere, vel sunt,
Sed vilissima quæ fuere, vel sunt,
O quam te fieri, Catulla, vellem
Formosam minus, aut magis pudicam!

1. *Formosissima*, etc. Hoc est, o tu omnium feminarum quæ aut nunc sunt, aut olim fuerunt formosissima, sed et vilissima (quia scilicet omnibus prostituta)! tam rara est concordia formæ atque pudicitiæ.

1, 2. Noster hic poeta Catullum exprimit qui, Carm. XLIX, (edit. Vulpian.) ad Ciceronem: « Disertissime Romuli nepotum, Quot sunt, quotque fuere, Marce Tulli, Quotque post aliis erunt in annis. » Cicero ipse Decimo Bruto scribens, lib. XI, epist. famil. 21, hanc loquendi rationem adhibuerat: « Dii isti Segulio malefaciant, homini nequissimo omnium qui sunt, qui fuerunt, qui futuri sunt. » Ita Plautus Bacchid. Act. V, 1, 1; et Persa, Act. V, 2, 1; ita Livius, lib. XXIX, cap. 27. Ed.

4. In quibusdam vett. *aut minus pudicam;* et sic in codice Pulmanni. — Et ex hac lectione sensus exoritur acutior quidem, verum qui et Martialem minus sapiat; neque ullo modo stare possit cum versu, *Sed vilissima quæ fuere, vel sunt.* Ed.

LIV.

AD CÆSAREM DOMITIANUM.*

Magna licet toties tribuas, majora daturus
Dona, ducum victor, victor et ipse tui;
Diligeris populo non propter præmia, Cæsar:
Propter te populus præmia, Cæsar, amat.

* Laudat congiarium Domitiani, argute satis; quum enim Imperatores largiendis donis studuerint sibi populum conciliare, ait munera amari propter Domitianum, non Domitianum propter munera. De congiariis romanis ab Anco Marcio rege ad Constantium imperatorem, vid. Tacit. nost. edit. Vol, IV, pag. 260, et seqq. Ed.

1. *Toties*. Perditæ enim huic multitudini quæ nihil a regentibus expetebat præter *panem et Circenses* congiarium ter dederat Domitianus (Vid. Sueton. in Domit.); et sæpe spectacula, epulas, munera. Ed.

2. *Victor et*. Duplex ἡμιστιχίου hujus sensus: 1° qui nihil agis præter rationem, quæ victoria omnium difficillima videtur; 2° qui te ipsum in dies virtute et benignitate superas. Et hunc ego prætulerim.

3. *Non propter munera* nonnulli.

4. *Propter te populos* Beverland.

LV.

AD EUMDEM, DE LEONE.*

Auditur quantum Massyla per avia murmur,
Innumero quoties sylva leone furit,
Pallidus attonitos ad Pœna mapalia pastor

Μασσύλων ἐν ὄρεσσιν ὅσον βρύχημα γεγωνεῖ
Δρυμὸς νηρίθμοις εὖτε λέουσι βρέμει,
Ὠχριόων ποιμὴν ὅταν ἐς καλύβας συνεέργῃ

* Numidicum et immanem leonem a Cæsare in arenam missum et occisum laudat.

1. *Massyla*. Libyæ pars est Massylia, in qua sunt multi leones.

3. *Ad plena mapalia* in quibus-

Quum revocat tauros, et sine mente pecus;
Tantus in Ausonia fremuit modo terror arena.
Quis non esse gregem crederet? unus erat:
Sed cujus tremerent ipsi quoque jura leones,
Cui diadema daret marmore picta Nomas.
O quantum per colla decus, quem sparsit honorem,
Aurea lunatæ quum stetit umbra jubæ!

Πτυρομένους ταύρους, καὶ βοτὰ δειμαλέα·
Τόσσον ἐν Αὐσονίῳ μύκημα φρύαξε θεάτρῳ
Ἄρτι· τίς οὐχ ἀγέλην ᾤετ' ἄν; εἷς μόνος ἦν·
Οὗ κεν ἀνακτορίην αὐτοὶ φοβέοιντο λέοντες,
Ὧι κεν ἔδωκε κράτος μαρμαρόεσσα Νομάς.
Οἵη ἐπαυχενίης τριχὸς ἦν χάρις! οἷον ἔχευσε
Τῆς χαίτης, ὅτ' ἔμιμν' ἀτρεμέουσα, σέβας!

dam edd. et sic in Delph. —*Pallidus*. Leonum rugitu exanimatus. Sic supra: « Raptor in hircano qui fugit *albus* equo. »

5. *Tantus in Ausonia*, etc. Non minore rugitu infremuit nuper leo terrorem incutiens in Romano amphitheatro.

7. *Ipsi quoque*. Hoc est, Tantus erat leo ille exhibitus in arena, ut inter alios leones leonibus ipsis rex videri posset.

8. *Cui diadema daret marmore picta comas* in codd. Florent. et Vat. *Cui diadema darent marmora picta comas* codex Pulmanni. — *Marmore picta*. Marmore clara Numidia; Numidia enim maculoso marmore abundabat. — *Nomas*. Græca vox, quæ latine Numidiam valet; et Numidæ prius Nomades dicti a νέμω. Sallust. et Plin. lib. V.

9. *Quem spargit honorem* Ald. Junt. Colin. Gryph. Lang. Pulm. Plant. Junian. Delph. etc. Gruterus legit *sparsit*, loquitur enim de re jam facta. Vide Opp. Cyneg. lib. III, vs. 37. — *O quantum decus*. Jubam insignem vocat *decus*: ut et Græcis et Romanis usitatissimum, qui ubi feras, equos, homines pingere occipiunt, jubam, crines, cæsariem prius per hanc vocem *decus* significant, deinde et proprio nomine efferunt. Ed.

10. *Aurea lunatæ*, etc. Quum fulva juba horreret erecta undique in orbem, ad modum plenæ lunæ, ejusque extremitas aureo fulgore splenderet. Edd. vett. habuere *unda jubæ*, quod et aptum sensum et pulcherrimam imaginem simul efficit. At codd. Thuan. Vat. Bodl. Florent. et Pulmann. *cum stetit umbra jubæ*. Quam veram esse scripturam, et *umbram* sæpenumero dici capillos et crines demonstrat Gronovius lib. IV, Obs. cap. 17.

Grandia quam decuit latum venabula pectus,
 Quantaque de magna gaudia morte tulit!
Unde tuis, Libye, tam felix gloria sylvis?
 A Cybeles numquid venerat ille jugis?
An magis Herculeo, Germanice, misit ab astro
 Hanc tibi vel frater, vel pater ipse feram?

Οἷον ἐνὶ πλατέϊ ςέρνῳ χαλκόςομος αἰχμὴ
 Ἔπρεπεν! οἷα θανὼν οἷον ἔγειρε κρότον!
Καὶ πόθεν ἐςὶ τεοῖς, Λιβύη, τόσον ἄλσεσι κῦδος;
 Μῶν λασίων Κυβέλης ἦλθεν ἀπὸ σκοπέλων;
Ἠὲ σοὶ Ἡρακλῆος ἀπ' ἄςρου, Καῖσαρ, ἔπεμψαν
 Τοῖον θῆρα πατὴρ, ἢ κάσις οὐρανόθεν;

11. *Grandia quam decuit.* Ingenti Domitiani venabulo convenit tam amplum leonis pectus.

12. *De morte magna gaudia*, etc. Ab ipso imperatore, Carpophoro, Glabrione vel alio nobili bestiario cæsus.

13. *Unde tuis, Libye.* Apostrophe ad Libyam leonnm feracem, quam beatam prædicat ob tam eximiam feram.

14. *Venerat ille jugo* codex Pulmanni. — *A Cybeles.* Hoc est, ab Idæ montis in Phrygia verticibus. Huic præerat Cybele, quam a quatuor leonibns vehi fabulantur poetæ.

15. *An magis Herculeo.* Astrum Hercnleum intellige leonem ab Hercule interfectnm, atqne inter Zodiaci signa relatum. Lib. IV, epigr. LVII. *Germanicum* vocat Domitianum a devictis Germanis.

16. *Hanc tibi.* Vespasianus pater, vel Titus frater, inter deos relati. —Quasi imperatoris istius vani dominatum illustraret et posterorum laudibus commendaret porteutosæ magnitudinis leo! Ridicula prorsus adulatio, et quæ id Juvenalis, Satir. IV, 68 revocat : « Et tua servatum consume in sæcula rhombum. » Ed.

LVI.

AD FLACCUM.

TEMPORIBUS nostris ætas quum cedat avorum,

1. *Temporibus nostris*, etc. Nullos ait suo tempore Virgilios, quod nulli sint Mæcenates. Videtur Flaccus de Martiale questus, quod nunquam ita se laudasset, nt Parthenium, Paulnm et Rufum, qui dona

Creverit et major cum duce Roma suo,
Ingenium sacri miraris abesse Maronis,
Nec quemquam tanta bella sonare tuba.
Sint Mæcenates, non deerunt, Flacce, Marones,
Virgiliumque tibi vel tua rura dabunt.
Jugera perdiderat miseræ vicina Cremonæ,
Flebat et abductas Tityrus æger oves.
Risit Tuscus eques, paupertatemque malignam
Reppulit, et celeri jussit abire fuga:
Accipe divitias, et vatum maximus esto;
Tu licet et nostrum, dixit, Alexin ames.

miserant Poetæ, et Poeta vicissim carmen. Si vis, inquit, a me landari, da mnnera Mæcenatis, et ero tuus, si non Virgilius, certe Marsus. *Rad.* — *Quum cedat.* Quî fit, ut nostro ævo, quo maxime floret Roma, nulli floreant vates?

2. *Cum duce Roma suo.* Meliore snb principe Domitiano pulchrior evaserit. Lib. V, epigr. XIX, 5: « Pulchrior et major quo sub dnce Martia Roma? »

3. *Deesse Maronis* Beverlandi MS.

4. *Tanta tuba.* Stylo tam heroico et sublimi.

5. *Bella sonare* in omnibus edd. Heins. ad Paneg. in Prob. et Olybr. Cons. vs. 208 legendum putat: *bella tonare.* Vide ad epigg. III et XXIII hujus libri. Sic conj. et Ant. *de Rooy.* Vide etiam Stat. Sylv. II, 7, 66; Burm. ad Ovid. Trist. II, 529.— *Sint Mæcenates.* Qui mnneribus poetas afficiant, quod quam liberaliter actitarit C. Cilnius Mæcenas, notissimnm est.

7. *Jugera.* Vide Virgilii eclogas I et IX. Cremona Bruti et Cassii partes secuta veteranis Augusti militibus præmii loco attributa fuerat; quibus quum non snfficeret, vicinnm agrnm Mantnanum, Virgilii patriam, assignari jussit Augustns. Itaque sno fundo spoliatus Virgilins Romam petiit; ubi propter ingenium carus Mæcenati, non tantum possessionem snam impetravit, sed et mnnera amplissima consecutus est.

9. *Tuscus eques.* Mæcenas nempe ordinis equestris a regibus Etruscis oriundns, ut et Propertins lib. III: « Mæcenas *eques etrusco* de sanguine regum. » et Horatius lib. III, od. XVI: « Perhorrui Late conspicuum tollere verticem, Mæcenas *equitum* decus », et passim. Ed. — Cf. et Noster lib. XII, epigr. IV.

11. *Sed vatum* codex Pulmanni.

12. *Et nostrum Alexin.* Notissimum ex eclog. II, qua amorem suum et illius pulchritudinem Maro cecinit, et cujus id initium: « Formosum pastor Corydon ardebat Alexin, » etc. Cæterum hunc Alexin non Mæcenatis, sed Pollionis puerum fuisse affirmant Apuleius, Apollonius libro I, et Donatus. De hoc

Adstabat domini mensis pulcherrimus ille,
Marmorea fundens nigra Falerna manu;
Et libata dabat roseis carchesia labris,
Quæ poterant ipsum sollicitare Jovem.
Excidit attonito pinguis Galatea Poetæ,
Thestylis et rubras messibus usta genas;
Protinus Italiam concepit, et Arma virumque,
Qui modo vix Culicem fleverat ore rudi.
Quid Varos, Marsosque loquar, ditataque vatum
Nomina, magnus erit quos numerare labor?
Ergo ero Virgilius, si munera Mæcenatis
Des mihi? Virgilius non ero, Marsus ero.

vid. Turnebus lib. XXIX, cap. 14.

13. *Domini mensis.* Mæcenatis.

14. *Marmorea fundens*, etc. Candenti purius Pario marmore. Et ἀντιτίθεται τῷ *nigra Falerna.*

15. *Carchesia.* Pocula certi generis, de quibus Athen. lib. XI, c. 13. — *Charchesium* erat poculum Græcis tantummodo notum. Differt autem a *patera*, quacum sæpius confunditur. Patera enim, ut et ipsum nomen indicat, planum ac patens est. Carchesium vero procerum, et circa mediam partem compressum, ansatum mediocriter, ansis a summo ad infimum pertingentibus. Ed.

17. *Pinguis Galatea.* Sensus est: Non amplius humilia scripsit carmina de agresti Galatea, et Thestyli, cujus genæ æstivo calore adustæ erant. Galatea est quam sæpius exhibet Virgilius in Bucolicis: Eclog. I, 32: «... dum me Galatea tenebat, Nec spes libertatis erat, nec cura peculi.» Et Eclog. III, 64, sq.

19. *Italiam concepit, et arma virumque.* Id est, Æneidem aggressus est, in qua præcipue de Italia agitur et cujus initium: «Arma virumque cano», etc. — Frequentissime autem duo hæc verba: *Arma virumque* Æneida totam significant; et sic Persius in sat. 1, 96, «*Arma, virum*, nonne hoc spumosum et cortice pingui?» Vide quæ fusius disseruimus ad locum hunc Persii, (Juven. Vol. III, pag. 54.) Ed.

20. *Vix Culicem.* Poema quod scripsit Virgilius de culice.

21. *Dictataque vatum* in codice Pulmanni. — *Quid Varos.* Vari mentionem facit Virgilius ecloga VI.

23. *Ergo ego* Beverlandi MS.

24. *Marsus ero.* Epicus quidem non ero poeta, sed scribam epigrammata, qualia Marsus, de quo lib. II, epigr. LXXI, et lib. VII, epigr. XCIX. Herald. scribit, *Marcus ero*, hoc est, inquit, Marcus ero Martialis, et huic nomini non minus celebritatis conciliabo, quam Virgilius olim conciliavit suo.

LVII.

DE PICENTE.

Tres habuit dentes, pariter quos exspuit omnes,
Ad tumulum Picens dum sedet ipse suum;
Collegitque sinu fragmenta novissima laxi
Oris, et aggesta contumulavit humo.
Ossa licet quondam defuncti non legat hæres;
Hoc sibi jam Picens præstitit officium.

1. *Expulit omnes* habet Beverlandi codex manu scriptus.

3. *Novissima fracti* in edd. vett. Lectionem nostram exhibent codd. Grut. et Pulm. et editio Calderini. — *Collegitque*. Defunctorum ossa et cineres colligere atque inhumare solebant Veteres. De quo vide quæ Farnabius ad vs. 797 Troadis Senecæ : nec non ad id quod lib. VIII, 5, 9 Quintil. *Infelicissima femina, nondum extulisti filium, et jam ossa legisti*, etc. Picens vero iste, ut jocatur Poeta, non erit inhumatus; jam enim sui partem, dentes scilicet, terræ mandavit.

LVIII.

IN ARTEMIDORUM.*

Quum tibi tam crassæ sint, Artemidore, lacernæ,
Possim te Sagarum jure vocare meo.

* Ludit in ambigua voce *Sagari*. Artemidorus tam crassam enim gestabat lacernam, ut sagum videri posset. Quod si *Sagaris* sit genus scuti, quasi Artemidorus tam crassam gestaret lacernam, ut loco scuti esse potuerit. *Rad.*

1. *Artemidore, lacernæ*. Qui nomen habes ἀπὸ τῶν τῆς Ἀρτέμιδος δώρων, ac si tenuissima Minervæ tela indueereris (fallitur hic interpres Farnabius, non enim Minerva est Ἄρτεμις, sed Diana) : quum tamen lacernis vestiaris non minus crassis quam sunt saga, *Sagarum* ego te pro Artemidoro vocabo.

2. *Possim te Sagari* codex Pulmanni. Junius in Marg. Calderinus, et alii, *meum*.—At melius *meo*; nam *jure meo*, *jure tuo*, locutio est Nostro familiaris. Lib. V, epigr. LXII; lib. IX, L; lib. XII, III; lib. XIV, CXLI. Ed. — *Sagarum*. Vid. supra not. prim. et ad vers. 1. Porro Lipsius lib. I, epist. 5 ait : *Sagari* dicti fuerunt qui munus aliquod theatrale fungerentur; quod sensum longe alium efficeret.

LIX.

IN LUSCUM FUREM.*

Adspicis hunc uno contentum lumine, cujus
  Lippa sub attrita fronte lacuna patet?
Ne contemne caput, nihil est furacius illo;
  Non fuit Autolyci tam piperata manus.
Hunc tu convivam cautus servare memento;
  Tunc furit, atque oculo luscus utroque videt.
Pocula solliciti perdunt ligulasque ministri,
  Et latet in tepido plurima mappa sinu.
Lapsa nec a cubito subducere pallia nescit,
  Et tectus lænis sæpe duabus abit.

* Nobilem et exercitatum furem monophthalmum seu unoculum celebrat, qui plus uno videbat, quam alii duobus oculis.

1. *Uno contentum.* Quod unus illi oculus sufficiat ad furandum.

2. *Sedet* legunt pro *patet* alii. — *Lippa lacuna.* Oculi scilicet amissi, a quibus putredo fluit. — *Attrita fronte.* Impudenti, effricta fronte.

3. *Caput*, etc. Hominem, ut Græci κεφαλὴν; pars pro toto sumitur. Vel simpliciter, caput unoculum noli credere inutile aut innocuum. — Sensus est: Ne desinas observare hunc hominem, licet luscum. Vid. not. ad vs. 5.

4. *Autolyci.* Cujus meminit Homerus, Iliad. K. Fuit ille Mercurii vel filius, ac ut pater, « Callidus quidquid placuit jocoso Condere furto. » — *Tam piperata (piceata) manus.* Erat in codd. vulgo *piccata manus.* Barbarum hoc et non ferendum. *Picare* enim, non *piccare* dictum. Hinc in quasdam ed. irrepsit *piceata manus;* nec ineleganter, quasi dextra innuatur pice, visco ita uncta ut ipsi quidquid attigerit adhæreat. Melius tamen quod e MSS. eruit et probavit Scriverius: *tam piperata manus.* Ed. — *Piperata.* Id est, calida. Fures autem calidas manus habere dicuntur, ut e Plauto atque Macrobio probavit Scriverius. *Gronov.*

5. *Vitare memento* in edd. vett. In ed. Langii: *vitare momento.* Codex Pulmanni et Beverlandi MS. *servare memento.* Quod unice admittendum. —*Servare memento.* Observare, servare oculis. Ita apud Græcos φυλάττειν duplici sensu.

7. *Ligulasque.* Epigr. XXXIII supra, vs. 23, et infra epigr. LXXI, vs. 9. *Ligula* cochlear est, et spatbula.

8. *Et latet in trepido* Beverlandi MS. — *Et latet.* Et furatur mappas, quas in sinu condit.

10. *Lænis duabus.* Læna quam et

Nec dormitantem vernam fraudare lucerna
Erubuit fallax, ardeat illa licet.
Si nihil invasit, puerum tunc arte dolosa
Circuit, et soleas surripit ipse suas.

chlamydem vocant, ut ait Bayfius de re vestiaria, genus est vestis militaris, qua etiam in cœna utebantur antiqui, ut constat ex hoc loco. —*Duabus.* Sua scilicet atque aliena. Eleganter hoc modo furtum significatur.

11. *Vernam.* Verna est servus domi natus.

12. *Ardeat illa licet.* Nec tenebris opus esse putat, nec scelus curat nocte tegi.

14. *Et soleas.* Pueri ad pedes convivarum soleas custodiebant; siue calceis enim mensæ accumbebant: iste vero luscus suas ipse soleas subripiebat, ne furandi artem dedisceret, aut quia non poterat se tenere quin unde unde aliquid alicui rapere gauderet.

LX.

IN CLAUDIAM.*

SUMMA Palatini poteras æquare colossi,
Si fieres brevior, Claudia, sesquipedem.

* Longoliam aliquam feminam quam Poeta per hyperbolem jocatur excedere statura altissimum Romæ colossum, de quo epigrammate II, lib. Spect. vs. 4.

1. *Poteras* pro *potes*, *posses.* Sic Horat. lib. I, od. XXXVII, vs. 4, ...*nunc Saliaribus ornare pulvinar Deorum tempus erat sodales.*

2. *Claudia sesquipede* Ald. Junt. Colin. Gryph. Pulman. Plant. Junian. Lang. Delph. etc. *sesquipedem* Grut. Scriv. Farnab. Schrevel. et recentt.

LXI.

AD SEVERUM, DE CARINO.*

LIVET Carinus, rumpitur, furit, plorat,
Et quærit altos, unde pendeat, ramos;

* *In Carinum* inscribitur in edd. vett.

1. *Livet Carinus*, etc. Invidia, quæ et *livor* dicta Romanis. Vide lib. IV,

Non jam quod orbe cantor et legor toto;
Nec umbilicis quod decorus et cedro
Spargor per omnes, Roma quas tenet, gentes;
Sed quod sub Urbe rus habemus æstivum,
Vehimurque mulis non, ut ante, conductis.
Quid imprecabor, o Severe, liventi?
Hoc opto : mulas habeat, et suburbanum.

epigr. LXXVII, et lib. VI, epigr. LXI.

4. *Umbilicis decorus.* Vid. ad lib. I, epigr. LXVII, vs. 11; et de *cedro*, lib. III, epigr. II, vs. 7. Quibus in locis fuse satis librorum ornamenta explicuimus.

5. *Per omnes, Roma quas tenet, gentes.* Et hic, ut jam sæpe notavimus, Ovid. Metam. 877, clausulam imitatus : « Quaque patet domitis Romana potentia terris, Ore legar populi ». Ed.

6. *Rus æstivum.* Hoc est, rus ad æstivandum.

8. *Quid imprecemur, o Severe, Carino* legitur codd. Vatic. et Florent.

9. *Hoc opto, multas ut* codex Florentinus. Carinum tanquam miserum hominem irridet, tanquam qui non invidenda invideat. — *Mulas habeat.* Domitius sic intelligit : Habeat mulas meis similes, et suburbanum meo simile : hoc est, suas amplas divitias amittat, atque ad meam conditionem redigatur, seu pauper fiat. Alii sic : Mulas habeat quas oleribus ex horto suburbano decerptis onustas agat per urbem, et vendat illa olera, unde victum sibi quæritet.

LXII.

DE PICENTE.*

Scribit in aversa Picens Epigrammata charta;
Et dolet, averso quod facit illa Deo.

* Corripit quemdam et exagitat in scribendis epigrammatibus longiusculum; et ex eo scommatis ansam capit quod istum aliquis dixerit *aversa* charta scriptitare. — « Immo, subjungit Noster, et *aversis* deis », jocatus, ut patet, in subita et inexspectata sensus variatione. Cæterum vid. not. ad *aversa ch.* et *averso deo*.

1. *Scribit in adversa* Junt. an. 1512. — *Scribit in aversa.* In una tantum parte chartæ solebant scribere Veteres; qui vero ad nauseam usque, in tergo etiam scribebant. Juvenalis sat. I, 5 : « Aut summi plena jam margine libri Scriptus, et in tergo, necdum finitus, Orestes. »

2. *Et dolet averso.* Lib. II, epigr. LXXXIX : « Carmina quod scribis Musis, et Apolline nullo », etc. Horatius Art. poet. 385 : « Tu nihil invita facies dicesve Minerva. »

LXIII.

DE AULO.

Thestylon Aulus amat, sed nec minus ardet Alexin;
Forsitan et nostrum sic Hyacinthon amat.
I nunc et dubita, vates an diligat ipsos,
Delicias vatum quum meus Aulus amet.

2. *Forsitan et nostrum nunc* in codice Pulmanni.

4. *Delicias.* Hoc est, pueros delicatos, qui deliciæ poetarum.

LXIV.

IN CLYTUM.*

Ut poscas, Clyte, munus, exigasque,
Uno nasceris octies in anno,
Et solas, puto, tresve, quatuorve
Non natalitias habes Kalendas.
Sit vultus tibi levior licebit
Tritis litoris aridi lapillis;
Sit moro coma nigrior caduco;

* Clytus, sæpius ut ab amicis natalitia munera reciperet, fere quot kalendis celebrabat natalem suum. Poeta impudentiam hominis arguit, et monet ut semel agat genethliaca, alioqui se nihil missurum, sed neglecturum perinde ac si natus non fuisset unquam. *Rader.*

2. *Nasceris octies.* Hoc est, natalitium diem octies celebras, ut toties munera accipias.

3. *Solas puto*, etc. Singulis mensibus, exceptis tantum tribus aut quatuor, habes fictitium natalem.

4. *Haberi Calendas* Beverlandi MS., repugnante versu.

5. *Tibi lævior licebit* in eodem.— *Sit vultus*, etc. Sis licet imberbis, crine niger, tener et mollis; Priamum tamen et Nestora annis superare videris, qui toties celebraris natalem.

7. *Moro nigrior caduco.* Hoc est maturo, quidquid enim maturum sponte decidit. Adi lib. I, epigr. LXXIII, vs. 5.

Vincas mollitie tremente plumas,
Aut massam modo lactis alligati;
Et talis tumor excitet papillas,
Quales cruda viro puella servat:
Tu nobis, Clyte, jam senex videris.
Tam multos quis enim fuisse credat
Natales Priamive, Nestorisve?
Sit tandem pudor, et modus rapinis.
Quod si ludis adhuc, semelque nasci
Uno jam tibi non sat est in anno;
Natum te, Clyte, nec semel putabo.

9. *Massam modo*, etc. Metam lactis coagulati. Vide lib. I, epigr. XLIV, vs. 7.

11. *Cruda*. Horatium imitatus qui lib. III, od. XI, vs. 11: « Nuptiarum expers, et adhuc protervo Cruda marito. » Ed.

15. *Sit pudor*. Pudeat te, et finis imponatur tuis rapinis.

16. *Ludis*. Non, ut obvium videtur et bene multi putant, illudis, verba das, fraudem tentas; sed jocaris male salsus, quod Gallice, *tu badines!* Ed.

18. *Clyte, jam semel putabo* in codd. Vat. et Florent. — *Nec semel putabo*. Hoc est, te negligam perinde ac si ne semel quidem natus esses, nec unquam munera ad te mittam. Suspicatus est quidam tacite hic spurium notari, de cujus natali non constet. Judicet lector.

LXV.

AD DOMITIANUM.*

Hic ubi Fortunæ Reducis fulgentia late

Ἔνθα Τύχης δέδμηται Ἀποςρόφου ὀξέα λάμπων

* Post victoriam Sarmaticam, arcum maximum triumphalem sibi poni jussit Domitianus, quem præter alia illius opera celebrat hoc epigr. Martialis. Arcus statim a morte ejus sunt disturbati. Tam multi erant per urbem conditi, ut uni ex iis græce quodam satis facete fuerit inscriptum, ἀρκεῖ, *sufficit*.

1. *Reducis fulgentia late*. Augusto ob reditum, ara Fortunæ Reducis consecrata. Dion. lib. LIV. Domi-

Templa nitent, felix area nuper erat :
Hic stetit Arctoi formosus pulvere belli
Purpureum fundens Cæsar ab ore jubar;
Hic lauro redimita comas, et candida cultu

Νηὸς, ἄλωος ἔην εὐρυχόροιο πέδον·
Τῇ δ' ἔβη Ἀρκτῴοιο πόνοις ἐπίσημος ἀγῶνος
Καῖσαρ ἀπαστράπτων ὄψιος ἡδὺ σέλας·
Ἐνθάδε λευχείμων, καὶ δάφνῃ κρᾶτα πυκαστὴ

tiano a bello Sarmatico reduci, templum Fortunæ Reducis ædificatum. Τύχην ἐπανάγωγον appellat Dio loco citato. Meminit hujus Fortunæ et Claudianus : « Aurea Fortunæ Reduci si templa priores Ob reditum vovere ducum. »

2. *Felix area.* Vel quod in ea templum Fortunæ destinatum sit, vel potius quod illic reversum Imperatorem primo salutaverit populus.

3. *Hic stetit Arctoi famosus* Beverlandi MS. — *Arctoi.* Sarmatici, ut lib. VII, epigr. VII. — *Formosus pulvere.* Lyricum æmulatus, et ut reor, assecutus; qui lib. II, od. I, « Duces *Non indecoro pulvere* sordidos ». Nil enim ingenii altitudinem et œstrum magis indicat quam novæ hujusmodi verborum sociationes et, ut poeta poetice dixit, *hymenæi.* Sæpissime autem apud nostrates simili modo sociata vox quæ idem sonat ac latinis *formosus.* Sic *Delille* de equo, « *beau* d'orgueil et d'amour » ; et P. J. Ec. *Lebrun*, de Ætna tonante (od. in navem cui nomen Ultrix), « qu'il est *beau* de courroux ! » Ed.

4. *Cæsar ab orbe* codex Florent. — *Purpureum jubar.* Quod hic aiunt innui ruborem vultus, ægre fero. Neque sane utrum Domitiani in facie rubor iste, dubitaverim. Quo quid vulgatius? quum Suet. in Domitiano, cap. 18, « Statura fuit procera, vultu modesto, *ruborisque pleno* » ; et in Agric. cap. penult. Tacitus, « Sævus ille vultus et *rubor*, quo se contra pudorem muniebat. » Sed frigidum et puero quam poeta dignius ad id tali in re allusisse. Deinde quis nescit per *purpureum* non tam *rubrum* intelligi quam *coruscum*, *nitens*, *fulguribus* quodam modo *et radiis circumdatum*? Quod, gallice dictum *auréole*, Diis et Divis proprium finximus. Conf. et Flacci lib. III, od. III, vs. 11 et 12, quum principem Deum consilio inserens, ait : « Quos inter Augustus recumbens *Purpureo* bibit ore nectar. » Ed.

5. *Candida vultu* Ald. Junt. Colin. Gryph. etc. Codex Pulmanni *candida cultu.* — *Lauro redimita*, etc. Principi e bello reduci processerunt obviam cives laureati. Lib. VII, epigr. VI, vs. 6. Et quoslibet læta nuntiantes ad hoc exemplum excipiebant, et eo modo lætitiam suam testabantur. Unde et domos lauro et cæteris frondibus ornabant in lætitia publica, et ejusmodi solennibus. — *Et candida cultu.* Albis

Roma salutavit voce manuque ducem.
Grande loci meritum testantur et altera dona;
Stat sacer edomitis gentibus arcus ovans.
Hic gemini currus numerant elephanta frequentem;
Sufficit immensis aureus ipse jugis.
Hæc est digna tuis, Germanice, porta triumphis;
Hos aditus urbem Martis habere decet.

Δέξατο χειρικρότῳ Ῥώμη ἄνακτα βοῇ.
Τὴν ἀρετὴν χώροιο καὶ ἄλλο κτίσμα φατίζει,
Ἐθνέων δαμναμένων ἁψὶς ἔχουσα τύπους.
Τῇδ' ἀριθμεῖ δίδυμον πολλὴ ἐλέφαντα συνωρίς·
Ζεύγεσι δ' ὃς μεγάλοις ἄρχιος ἔς' ἔποχος.
Τοῖος, ἄναξ, πυλεὼν σῶν ἄξιός ἐςι θριάμβων·
Τάσδ' ἐσόδους Ἄρεος τὴν πόλιν εἰκὸς ἔχειν.

vestibus indnti trinmphnm comitabantur Romani. Juvenalis sat. x, 45: «Et niveos ad fræna Qnirites.»

6. *Manuque ducem.* Adoratione, admota ori mann, ut in salutationibus deorum, inqnit Lipsins. Retulere alii ad plausum quo imperatores excipi mos olim fuit. Quod certe melius, si ad hoc Nostri distichon attenderimus: «Quæque sonant pleno vocesque mannsque theatro, Quum populus snbiti Cæsaris ora videt.»

7. *Et altera dona.* Arcum triumphalem, et templum Fortunæ intellige, præterquam quod ibi popnlus benigne a Domitiano exceptus fnit.

8. *Stat sacer et domitis gentibus arcus ovat* codex Pulmanni. *Stat sacer et domitis gentibus arcus ovans* Beverlandi MS. — *Arcus ovans.* Ἁψὶς τροπαιοφόρος, arcus triumphalis, arcuata porta, cui e lapide in altum exstructæ pictam inscribi victoriam ejusque seriem moris erat. De variis arcubus Domitiani, vide Sueton. Domit. cap. 13.

9. In edd. vett. *elephanta frequenter.* Lectio nostra est ex conj. Pulmanni. — *Huic gemini currus.* Supra arcum collocatæ erant duæ qnadrigæ, propter duplicem ex Dacis victoriam, qnibns elephanti juncti erant, quos aurea Domitiani statna regebat.

10. *Aureus ipse,* etc. Id est, aurea effigie redditus (quemadmodum et Virgilio, ecl. VII: «Si fetura gregem suppleverit, *aureus* esto «ED.); nam aureus et argenteus in istis arcubns stabat Domitianus. Neqne enim statuas sibi nisi aureas et argenteas poni permisit, ac ponderis certi. Sueton. Domit. cap. 13, et Xiphilin. in eumdem imperat.

12. *Hos aditus.* Has portas arcuatas et triumphales. — *Urbem Martis,* etc. Romam, a Martis progenie conditam.

LXVI.

DE CONSULATU SILII.*

Augusto pia thura, victimasque
Pro nostro date Silio, Camœnæ.
Bis senos jubet en redire fasces
Nato consule, nobilique virga
Vatis Castaliam domum sonare.
Rerum prima salus et una Cæsar,
Gaudenti superest adhuc quod optet
Felix purpura, tertiusque consul.
Pompeio dederit licet senatus,

* Consulatum filii, non patris Silii, ornat carmine Martialis; et optat, ut quondam et alter filius consul creetur; sicque consulares fasces ter ad domum Silii redeant. *Rader.*

1. *Augusto.* Imperatori scilicet Domitiano.

2. *Pro vestro* codex Palatinus, quæ lectio impensius arridet Grutero. — *Date Silio.* Cujus filius a Domitiano creatus est consul cum Sextilio Laterano, anno U. C. 847, Christi nati 94. Silius enim pater semel tantum consul fuit eo anno quo periit Nero, ut constat ex Plinii junioris lib. III, epist. 7, qui vitam simul et mortem et studia Silii Italici breviter narrat. Vide etiam lib. VII, epigr. LXIII.

3. *Redire.* Nempe in familiam Silii Italici, quam Castaliam dicit, hoc est, Musis deditam. Notum enim (e Plinii epist. jam commendata) quam fidelis poeseos cultor ille exstiterit, licet reipublicæ administrandæ diu particeps et provectus ad summas imperii dignitates : notum et eruditis viris haud nihili æstimandum poema cui titulus est *Punica.* Ed.

4. *Nato consule.* Filio Silii consulatum adepto. Alii legunt *Noto*, et eumdem Silium bis Cos. designari volunt, cui optet Poeta et tertium consulatum. Sed, ut jam diximus, Silius uno consulatu contentus recessit a Republica. Videatur lib. VII, epigr. citat.

5. *Castalia* codex Pulmanni; quidam *Castalii.* Alii, ut nos, *Castaliam.* — *Domum sonare.* Quoties domum suam alienamve adibat consul, ad significandum ejus adventum lictor antecedens virga sua fores pulsabat.

7. *Quod optet.* Ut nempe minor ejus filius consul quoque fiat, cujus mortem refert Plinius junior lib. III, epist. citata.

Et Cæsar genero sacros honores,
Quorum pacificus ter ampliavit
Janus nomina; Silius frequentes
Mavult sic numerare consulatus.

10. *Et Cæsar genero.* Agrippæ Juliam filiam in matrimonium collocavit Augustus, eumque ter consulem evexit.

11. *Pacificus*, etc. Templum Jani bis claudebatur ante Octavium, quod erat signum pacis. Tertio claudebatur, immo ter, sub ipso Augusto, semel quidem cum M. Agrippa secundum consule. Unde nomina eorum illustrata. Alii *ter* referunt ad *ampliavit*, et sic explicant: Quorum tertium consulum nomina referebantur in fastos, qui in tutela et auspicio Jani. Epigr. II supra.

13. *Mavult sic.* Duos filios gerere consulatum, quam ipse ter esse consul, ut Pompeius et Agrippa.

LXVII.

IN CÆCILIANUM.*

Horas quinque puer nondum tibi nuntiat, et tu
Jam conviva mihi, Cæciliane, venis,

* Cæcilianum convivam præmature ad cœnam ventitantem, jubet aut maturius aut serius adesse, hoc est, omnino abesse.

1. *Horas quinque.* Nondum quintam, præproperam nimis cœnæ horam. Cœnare enim hora tantum nona (immo hiemis tempore non ante decimam. Ed.) solebant Romani. Cic. Fam. IX, xxvi; Rhetor. ad Herenn. lib. IV, c. 51; Plin. min. lib. III, ep. 1, et Noster Lib. IV, epigr. viii: « Imperat exstructos frangere nona toros. » Vide quoque J. Salmuth. ad Pancirolum, cap. de cibi capiendi modo Veterum, pag. 538. — *Puer nondum*, etc. Servorum erat nuntiare horas. Juv. sat. x, 216: «... Clamore opus est, ut sentiat auris, Quem dicat venisse puer, quot nuntiet horas. » Nuntiabant igitur horas pueri, et monebant quando lavare, gestare, cœnare oporteret. Quam vero nonam dicebant, illa apud nos *trois heures du soir*. Dies enim apud Romanos, in partes XII dividebatur, quarum prima oriente sole (nobis *six heures du matin*). Aliter Græci quibus decem tantum horæ. Unde distichon sequens Ἓξ ὧραι μόχθοις ἱκανώταται· αἱ δὲ μετ' αὐτὰς Γράμμασι δεικνύμεναι ΖΗΘΙ λέγουσι βροτοῖς. Hoc est, « sex horæ per labores exigendæ; quæ sequuntur literis dicunt quatuor VIVE. » Porro quatuor hæ literæ ζ, η, θ, ι, ibi numeros significant, et sunt 7, 8, 9, 10. Hebræi vero quibus dies naturalis constabat horis XXIV, nume-

Quum modo distulerint raucæ vadimonia quartæ,
 Et Floralicias lasset arena feras.
Curre, age, et illotos revoca, Calliste, ministros;
 Sternantur lecti; Cæciliane, sede.
Caldam poscis aquam : sed nondum frigida venit;
 Alget adhuc nudo clausa culina foco.
Mane veni potius : nam cur te quinta moretur?
 Ut jentes, sero, Cæciliane, venis.

rare incipiebant a vespere; quod et Galli (Cæs. de B. G. edit. nostræ T. I, p. 258) et Atheniensis. Neque ulla consuetudinis illius causa, nisi quod tenebræ sive Chaos ante lucem, ante mundum fuerunt. Ed.

3. *Raucæ vadimonia partes* Ant. *de Rooy* conj. Vide Phædr. de litigantibus, lib. III, fab. 13, et ibid. Scheff. *Raucæ vadimonia chartæ* in quibusdam. Legunt alii : *raucæ vadimonia ceræ;* id est, libelli forenses, inquit Domitius. Raucæ chartæ dicuntur, meo judicio, pro ipsis raucis causidicis. — *Quum modo.* Quum modo in alterum diem dimissa sint vadimonia, atque causæ forenses quæ hora tertia agebantur. Lib. IV, epigr. VIII : « Exercet raucos tertia causidicos. » Vadimonium vero sponsio est sistendi in judicio.

4. *Et Floralicias laxet* Beverlandi MS. — *Et Floralicias.* De ludis in honorem Floræ celebratis dictum lib. I, epigr. I. In his lepores, capreæ, atque alia animalia exhibebantur ab Ædilibus.

5. *Illotos.* Hora octava lavabant Veteres.

6. *Sternantur lecti.* In triclinio nempe.

7. *Nondum mihi frigida venit* Lips. Elect. lib. I, cap. 4, legit.— *Caldam poscis.* Qua vinum temperabatur. Lib. I, epigr. XII.—Aut, uti placet quibusdam, ut ad vomitum exciteris. Qui mos, ut nunc infrequens, ita olim Romanis usitatus, Cæsari in primis (vid. Cic. ad Attic. lib. XIII, ep. LII, et Suetonius in Vitell. XIII). Unde celeberrimum id Senecæ, ad Helv. IX : « Vomunt ut edant, edunt ut vomant. » Ed.

8. *Clusa culina* in quibusdam.— *Nudo clausa.* Hoc est, nondum adsunt ligna quibus excitetur ignis.

9. *Mane veni potius*, etc. Importune et intempestive venisti, perinde ac primo mane : opportunius et humanius venisses tarde et post cœnæ horam.

10. *Aut cur non sero* ed. antiq. Ferrar. Ald. Junt. Colin. Gryph. Pulmann. Calderin. Plant. Junian. Lang. Delph. etc. Josias Mercerus ex vestigiis antiquæ scripturæ, *Ut jam te sero*, etc. rescripsit ingeniosissime : *Ut jentes sero*, etc. Et sic explicat Salmasius : Hora jentaculi tertia aut quarta erat : unde Martialis eum, qui ad quintam venerat pransurus, sero venire dixit, ut jentaret; nimis tempori ut pranderet. Legitur et in quibusdam codicibus : *ut jantes sero.*

LXVIII.

AD ENTELLUM.*

Qui Corcyræi vidit pomaria regis,
   Rus, Entelle, tuæ præferat ille domus.
Invida purpureos urat ne bruma racemos,
   Et gelidum Bacchi munera frigus edat;
Condita perspicua vivit vindemia gemma,
   Et tegitur felix, nec tamen uva latet.
Femineum lucet sic per bombycina corpus;

Ὅς τοῦ Κορκύρης ὄρχους, Ἔντελλε, τυράννου
   Εἶδε, προτιμῴη τὸν σὸν ἐνοικίδιον.
Πορφυρέας ἵνα μὴ σταφυλὰς κατὰ πάχνος ἰάπτῃ,
   Καὶ ψύχος Βάκχου μὴ γάνος ἡδὺ δάκῃ,
Ζῇ τοίχοις ἔμφρουρος ἐν ὑελινοῖσιν ὀπώρη·
   Κεύθεται εὐδαίμων, οὔτε λέληθε, βότρυς.
Οὕτω λιτὸν ὕφος διαφαίνει χρῶτα γυναικὸς,

* Vindemiam Entelli florentem etiam hyeme, miroque artificio conservatam laudat.

1. *Corcyræi*, etc. Alcinoi regis Phæacum. Namque Corcyra, maris Ionii insula est (diebus nostris *Corfou*), ubi laudatissimos hortos coluit Alcinous. Vide. lib. IV, epigr. LXIV, vs. 29. — *Quisquis Corcyræi* codd. Vat. et Florent.

3. *Urat ne bruma racemos*. Inter alias arbores vitis præsertim uritur frigore, quum ab eo circumobsessus calor naturalis interius contrahitur ultra modum.

4. *Bacchi munera*. Quibus valde inimicum est frigus.

5. *Perspicua gemma*. Lapidibus specularibus, ut epigr. XIV, supra.

7. *Per bombycina corpus*. Multitia e bombyce vel serico intexta, ita tenuia et pellucida ut «Sumptis iis mulier parum liquido nudam se non esse juravisset.» Seneca, Epist. et Plinius, Hist. Nat. lib. XI, c. 22, de Pamphila Coa quæ id genus vestis prima reperit, «non fraudanda gloria excogitatæ rationis ut feminas denudet vestis». Add. et Sen. Benef. lib. VII, cap. 9, et Juv. sat. II, vs. 66, et Publium Syrum qui *ventum textilem*, *nebulam lineam* hæc vocat. Hujusmodi vestes vitreæ primo non matronis Romanis in usu erant, sed solis meretricibus. — *Femineum lucet supra* Vat. et Flor.

Calculus in nitida sic numeratur aqua.
Quid non ingenio voluit natura licere?
Autumnum sterilis ferre jubetur hyems.

Οὕτως ἐκκρίνει ψῆφον ἀκραιφνὲς ὕδωρ·
Καὶ τί ἀτόλμητον βροτέαις φύσις εἴασε τέχναις;
Εἴθισται χειμὼν στεῖρος ὀπωροφορεῖν.

8. *Calculus in liquida* conj. Ant. *de Rooy*. Vide ad lib. IV, epigr. XXII. — *Sic numeratur aqua*. Ita perlucent et apparent calculi, ut numerari possint.

9. *Quid non*. Sensus est: Quid non efficere potest ingenii humani solertia?

10. *Autumnum*, etc. Ita muniti specularibus horti, ipsa bruma fructus ferunt, perinde ac in autumno.

LXIX.

IN VACERRAM.*

Miraris veteres, Vacerra, solos,
Nec laudas nisi mortuos poetas.
Ignoscas petimus, Vacerra: tanti
Non est, ut placeam tibi, perire.

* Veteres et mortuos tantum laudabat poetas Vacerra. Cui Martialis argute: Ego, pace tua dixerim, non tanti facio tuas laudes, ut tua caussa velim ante diem mori, quo abs te laudari possim.

— Hujus epigrammatis lectionem non variant libri calamo exarati, aut impressi.

2. *Nec laudas*. Lib. V, epigr. X: « Hi sunt invidiæ nimirum, Regule, mores, Præferat antiquos semper ut illa novis. » Horatius, lib. III, Od. XXIV, vs. 31, 32: « Virtutem incolumen odimus, Sublatam ex oculis quærimus, invidi. » Quod sic copiosius Nostras *Lebrun*, ad celeberrimum Buffon, *Liv.* 1er, *Od.* 1ere. *Stance* 13:

Malheur au mortel qu'on renomme!
Vivant, nous blessons le grand homme,
Mort, nous tombons à ses genoux
Nous n'aimons que la gloire absente,
La mémoire est reconnaissante;
Les yeux sont ingrats et jaloux..... Ed.

3. *Tanti Non est*. Sensus est: Non tanti facio tuas laudes, ut mori velim, quo a te laudari possim. Forte non male legeris: *tanti Non est, ut peream, tibi placere*.

LXX.

DE NERVA.*

Quanta quies placidi, tanta est facundia Nervæ;
Sed cohibet vires ingeniumque pudor.
Quum siccare sacram largo Permessida posset
Ore, verecundam maluit esse sitim;
Pieriam tenui frontem redimire corona
Contentus, famæ nec dare vela suæ.
Sed tamen hunc nostri scit temporis esse Tibullum,
Carmina qui docti nota Neronis habet.

* Landat M. Ulpium Cocceium Nervam qui postea (anno Chr. nat. 96, mortuo Domitiano), Imperator. Ed.

1. *Quanta quies*, etc. Æque facundus et carmine dulcis est Nerva, ac mitis et lenis. De lenitate Nervæ, Aurelius Victor, Dio, Eutropius: de poesi, Noster lib. IX, epigramm. XXVII; Plin. Jun. lib. V, epist. 3; Gyrald. dial. 5. Quin Nero Nervam appellavit suum Tibullum; lib. IX, epigr. XXVII, vs. 9.

3. *Cum siccare sacrum* in edd. vett. Lectionem nostram testatur codex Pulmanni. — *Quum siccare sacram.* Permessis fons labitur ex Parnasso : hoc est, modice bibit e fonte Musarum, seu pauca scribit carmina, quum alioqui plura, et quidem egregia scribere posset.

5. *Tenui corona*. Ex hedera nempe, qua leviores poetæ, elegiographi et epigrammatarii; epici vero querna corona cingebantur, ad lib. IV, epigr. LIV, Juven. Sat. VI, vs. 386. De corona querna fuse Scaliger Ausonian. Lect. lib. I, cap. 10. Carminibus heroicis quernam coronam consequi poterat Nerva, sed elegiis et epigrammatibus hederaceam mereri satis habuit.

6. *Famæ nec vela dare.* Non colligere omnem, quam possit, nominis celebritatem. Hæc per translationem dicta, pro, celebrem facere famâm suam. *Ingenio vela dare*, apud Ovid. Fast. III, 790; tom. VI, pag. 220 nostræ editionis. « Et des ingenio vela secunda meo. » Ed. —*Contenta est famæ* Beverlandi MS. pro recepta lectione.

8. *Carmina qui docti nostra* exhibet Beverl. MS. *Carmina qui nostri docta* codex Pulmanni. — *Carmina qui docti*, etc. Satis notum vel e Persii satyris, versiculos factitasse Neronem.

LXXI.

IN POSTUMIANUM.*

QUATUOR argenti libras mihi tempore brumæ
Misisti ante annos, Postumiane, decem.
Speranti plures (nam stare aut crescere debent
Munera) venerunt plusve, minusve duæ.
Tertius et quartus multo inferiora tulerunt.
Libra fuit quinto Septitiana : quid est?
Bessalem ad scutulam sexto pervenimus anno;
Post hunc in cotula rasa selibra data est.
Octavus ligulam misit sextante minorem;

*Postumianus quotannis, ad Saturnalia, poetam donis coluit; sic ut quo magis crescerent anni, eo minus donaret, jamque post decimum annum adeo minuerat munera. Monet ergo hunc Martialis, ut incipiat a primo tandem anno, rursumque mittat quatuor argenti libras, atque ita deinceps pergat. *Rader.*

1. *Tempore brumæ.* Mense Decembri, quo celebrabantur Saturnalia, et munera amicis mittere solebant Romani.

3. *Nam stare*, etc. Plinius junior, lib. III, epist. IV, sect. 6 : « Est enim ita comparatum, ut antiquiora beneficia subvertas, nisi illa posterioribus cumules », etc. et Seneca de Beneficiis II, cap. 11, « parum est dedisse, fovenda sunt beneficia », etc.

6. *Septitiana quidem* in edd. vett. probante Gronovio. Lectio nostra debetur Scriverio. Et, *quid id?* legit Ant. *de Rooy.* — *Septitiana.* Duodecim unciis constabat libra Romana, quæ tamen secundo bello Punico urgente ad novem uncias cum semuncia redacta est, et libra Septitiana, ut existimat Raderus, a *Septis*, ubi Romani negotiabantur atque ad pondus vendebant, sic dicta, ut conjicit Farnabius.

7. *Bessalem*, etc. Ad vasculum octounciarum. *Bessalis* ergo a besse : bes octo constat unciis. *Scutula* vero erat vas cavum et rotundum a scuto dictum; unde et *scutella* apud Ciceronem.

8. *In cotula.* Quæ *catula*, *cotyla*, mensuræ est genus, quod sex uncias capiebat. — *Rasa selibra.* Forte intelligit simul cum cotyla datam fuisse selibram argenti. Alii *rasa* referunt ad cotylam, sed quantitas repugnat.

9. *Octavus ligulam.* Genus mensuræ. Plures alias significationes habet ligula, vid. epigr. XXXIII supra.

Nonus acu levius vix cochleare tulit.
Quod mittat nobis, decimus jam non habet annus;
Quatuor ad libras, Postumiane, redi.

Sextanti autem duæ numerantur unciæ.

10. *Acu levius*, etc. Alii, *ucu levius mi cochleare Nonus aculeos in cochleare* Ald. Jnnt. Colin. Gryph. etc. et sic in codice Vatic. Legunt quidam *Nonus aculeolos in cochleare tulit*. Quod sensum nullum efficit. Alii: *Nonus permodicum vix cochleare tulit*. Hoc loco videtur cochlear distingui a ligula, quod jam vidimus supra epigr. XXXIII, ubi: «Quid tibi cum phiala, ligulam qnum mittere posses, Mittere vel posses quum cochleare mihi.» — Et re quidem vera, κοχλιάριον (nam Græcorum mensnra fuit) pars erat decima κυάθου· ligula, quarta cyathi: cyathus et κύαθος idem. Ed.

12. *Quatuor*, etc. Incipe rursus a primo anno, et perage, si placet, annua munera in circulum. — *Quatuor ad*, etc. Sic lepide mendicat Poeta.

LXXII.

AD LIBRUM SUUM.*

Nondum murice cultus, asperoque
Morsu pumicis aridi politus,
Artanum properas sequi, libelle;
Quem pulcherrima jam redire Narbo,
Docti Narbo Paterna Votieni ..

* Artano Narbonem redeunti comitem donat libellum, vices auctoris obeuntem, qni vellet ipse esse libellus, id est, comes Artani.

1. *Murice cultus*. De ornamentis librorum vide lib. I. epigr. LXVII, et lib. III, epigr. II.

3. *Archanum* in codd. Vat. et Florent. *Arcanum* codex Pulmanni.

4. *Quem pulcherrima jam ridere* codex Vaticanus. — *Narbo*, aliter *Narbo Martius*, vetus Galliæ civitas, hodie *Narbonne*; quæ erat colonia romana ad reipublicæ romanæ imaginem administrata. Romæ erat senatus, sic in coloniis erant decuriones. Ex decurionibus juridicundo duumviri creabantur singulis annis, qui romanos consules repræsentabant. Hinc Poeta Artanum revocari dicit ad leges, hoc est, ad jus dicendum, et ad fasces, id est, ad magistratum gerendum.

5. *Docti patria Narbo Votini* Ald. Jnnt. Colin. et Gryph. «Gruterus et Scriverius docuerunt in melio-

Ad leges jubet annuosque fasces :
Votis quod paribus tibi petendum est,
Continget locus ille, et hic amicus.
Quam vellem fieri meus libellus!

ribus codd. esse : *Docti Narbo Paterna Votieni*; et id confirmat Pontanus Isacius in Appendice ad Itinerarium veteri Inscriptione: COL. JUL. PATERNA. NARBO. Succurrit alia primum edita Sirmondo ad Sidonii Burgum Pontii, in qua hæ siglæ, C. I. P. N. M. significant Coloniam Juliam Paternam Narbonem Martinm. » GRONOVIUS.

7. *Votis quod.* Nempe frui illo loco, atque Artano amico.

8. *Hinc et hinc amicus* codex Pulmanni.

9. *Quam vellem.* Hoc est, quam optarem ipse vice libelli comitari Artanum, ut utroque fruerer: Narbone, loco amœnissimo; Artano, amico sincerissimo! — Simillimum aliquid occurrit apud Ovidium, loquentem de annulo quem amicæ dono miserat, Amor. II, xv, vs. 8 sq. (Ovid. nost. vol. II, pag. 132):
« Invideo donis jam miser ipse meis.
O utinam fieri subito mea munera possim! » ED.

LXXIII.

AD INSTANTIUM.*

INSTANTI, quo nec sincerior alter habetur
Pectore, nec nivea simplicitate prior;
Si dare vis nostræ vires animosque Thaliæ,
Et victura petis carmina; da, quod amem.

* *De se et aliis poetis* ex codice quodam profert Beverlandus; et ex alio : *De Corinna.* Inscriptio in cod. Pulm. est : *Ad Sanctonium.*

1. *Sanctoni, quo* codex Pulmanni. *Statori* Beverlandi MS. — *Instanti.* De quo et ad quem jam sæpissime, lib. VII, et lib. VIII, epigr. XXXIII.

2. *Pectore nec vera* Beverland. — *Nivea simplicitate.* Id est, qui candidus atque simplex. Et hic Horatii Noster meminerat, qui de Vario et Virgilio, lib. I, sat. 5, vs. 42 et 43, « animæ, quales neque candidiores Terra tulit », etc. ED.

3. *Animosque Thaliæ.* Amor quippe felicem ingenio materiam suppeditat : Unde sic in arte poetica Nostras *Boileau :*
Mais pour bien exprimer ces caprices heureux,
C'est peu d'être poète, il faut être amoureux.

4. *Bernardin de S. Pierre*, in elegantissimo opusculo, cui titulus, *Paul et Virginie*, pag. 131, edit. 1789, hæc de amore scribit: « Sans doute c'est aux jouissances que se

Cynthia te vatem fecit, lascive Properti;
Ingenium Galli pulchra Lycoris erat:
Fama est arguti Nemesis formosa Tibulli;
Lesbia dictavit, docte Catulle, tibi.
Non me Pelignus, nec spernet Mantua vatem;
Si qua Corinna mihi, si quis Alexis erit.

propose cette passion ardente et inquiète, que les hommes doivent la plupart des sciences et des arts, et c'est de ses privations qu'est née la philosophie qui apprend à se consoler de tout. Ainsi la nature ayant fait l'amour le lien de tous les êtres, l'a rendu le premier mobile de nos sociétés, et l'instigateur de nos lumières et de nos plaisirs. »

5. *Cynthia te vatem fecit lasciva* Beverlandi MS. — *Cynthia te vatem*, etc. Latinos recenset poetas, quorum ingenia amor excitavit, quorum amores et amicas nemo propemodum non audivit, quamvis sub aliis nominibus celebrentur.

9. *Nec spernat* Beverlandi MS. —*Pelignus*. Alii *Peligni*, populi Italiæ Marsis finitimi, quorum caput Corfinium; in Pelignis enim natus Ovidius Corinnam amicam suis versibus celebravit: Mantua autem patria Virgilii, qui « formosum ardebat Alexim. » Sensus est: Mea etiam carmina legentur a Pelignis et Mantuanis, licet Ovidio illi, hi Virgilio multum faveant.

10. *Alexis erat* Beverlandi MS.

LXXIV.

IN MALUM MEDICUM.*

Hoplomachus nunc es, fueras ophthalmicus ante:
Fecisti medicus, quod facis hoplomachus.

* Imperitum medicum irridet, ex vicina vocum cognatione capto joco.

1. *Optomicus olim* habent codd. Vat. et Florent. — *Hoplomachus*. Is est, qui armis pugnat gravissimis, gladiator (ex ὅπλον et μάχη): ophthalmicus vero medicus est qui curat oculos (gallice *oculiste*), sic dictus ab ophthalmia, quæ mala est oculi affectio.

2. *Fecisti medicus*. Imperitia homines necasti, quum esses medicus, quos et nunc occidis gladiator. Ego malim: excæcas homines; videturque Samnitium et gravis armaturæ gladiatorum pugna fuisse punctim ferire. Vid. Lipsii Saturnal.

LXXV.

DE GALLO LINGONO.*

Dum repetit sera conductos nocte Penates
  Lingonus a Tecta Flaminiaque recens,
Expulit offenso vitiatum pollice talum,
  Et jacuit toto corpore fusus humi.
Quid faceret Gallus, qua se ratione moveret?
  Ingenti domino servulus unus erat,
Tam macer, ut minimam posset vix ferre lacernam;
  Succurrit misero casus, opemque tulit.

* *Ad Lucanum* in cod. Pulmanni. — Jocus est ἀπ' ἀμφιβολογίας in Gallum, qui offenso pede eliserat talum; quem jacentem, vespillones a servulo unico et macro rogati, retulerunt domum in sandapila. Gallos porro, qui sacerdotes Cybeles, *mortuos* improbæ linguæ homines vocabant. Et hic quem in sandapila, sicut cadaver, ferebant, mortuus videbatur. Licebat ergo, siquando licuit, scomma illud jacere: *mortue Galle!*

2. *Lingonus*. Sic dictus non, ut aiunt Interpretes, quod e Lingonum civitate quæ et Andomaturum (hodie, *Langres*) esset oriundus, sed quod e Lingonum terris; oppidisne autem, an rure habitasset, ambiguum, neque interest. Lingones vero pars Lugdunensis primæ in Gallia. Ed.—*A recta* quidam; *Tecta* plurimi. Via Tecta Flaminiæ erat proxima, Marlianus lib. VI, c. ult.

3. *Expulit offenso*, etc. Elisit talum, læso pollice pedis, vel forsan intorto.

6. *Ingenti domino*. Hoc est, corpore valde obeso et procero. Annotandum hic inimicitiam quodammodo Galliæ et Gallis indixisse Martialem. Et id forsan quod ipse ex Hispanæ. Nam, ut mihi videtur, peregrini Hispani et Galli ad Romanos minoris æstimabantur; ut sibi Hispani solatium afferebant Gallos irridendo.

7. *Lacernam*, exhibent editiones veti. Rob. Titius conj. *laternam*, vel *lucernam*; hoc babent codd. Florent. Vat. et unus chartaceus Beverlandi. Vide lib. XIV, epigr. LXI, LXII. — Non omnino spreverim legere *lucernam*. Modo enim Noster... *sera nocte*; et inter noctem necessaria magis est *lucerna* quam *lacerna*. Præterea non multum crescit, hac lectione recepta, vis hyperboles. Ed. — *Ferre lacernam*. In usum domini, adversus ingruentem subito pluviam, aut quamcumque tempestatem.

8. *Succurrit misero*. Servo misero, qui dominum portare non poterat, casu occurrerunt vespillones, qui cadaver efferebant.

Quatuor inscripti portabant vile cadaver,
Accipit infelix qualia mille rogus.
Hos comes invalidus submissa voce precatur,
Ut quocumque velint, corpus inane ferant.
Permutatur onus, stipataque tollitur alte
Grandis in angusta sarcina sandapila.
Hic mihi de multis unus, Lucane, videtur;
Cui merito dici, Mortue Galle, potest.

9. *Inscripti*, etc. Servi stigmatiæ, literis inusti, literati vespillones; enimvero sic dicti a notis et literis, quæ improborum frontibus inurebantur. Vel servi: erant enim publica mancipia huic operi attributa; et *inscripti*, ut *literati* Plauto et Apuleio. Juv. sat. XIV, 24: «Quem mire afficiunt inscripta ergastula, carcer Rusticus.» — *Vile cadaver*. Et idcirco ab inscriptis servis et vespillonibus bajulabatur.

10. *Infelix rogus*. Hoc est, pauperum rogus, in quem scilicet multi simul conjicerentur.

11. *Precatur*. Hos nempe vespillones.

12. *Ut quocumque velint corpus*, etc. Ant. *de Rooy* dubitat annon hoc modo sit dispungendum : *Ut, quocumque velint corpus inane, ferant;* ut adeo per *corpus inane* non, ut a plerisque fit, intelligatur Gallus, sed *vile cadaver*, de quo vs. 9. Ferant sc. in Puticulas aliumve istiusmodi locum, quo plebeiorum cadavera projiciebantur. Vide Kirchmann. de Funer. lib. II, cap. 24, et Periz. ad Ælian. lib. XII, cap. 21. Nec insolens est illa constructio, ut infinitivus ex verbo altero sit supplendus. Cf. Terent. Hecyr. III, 1, 37; Justin. II, 5; XII, 6; Nepot. Datam. cap. 9, et Cic. Famil. lib. IV, epist. 1. — *Corpus inane*. Hoc est, mortuum deponant, quocumque in loco voluerint; jacentem vero suum dominum tollant. Alii putant Poetam alludere ad Gallos Cybeles sacerdotes, qui castrati inanes seu impotentes erant ad generandum. Videat lector.

13. *Permutatur opus* codex Pulmanni. — *Stipata*. Hoc est, Gallus obesus valde coarctatus ponitur in sandapila, quæ erat pauperum feretrum. Vel *stipata* dicitur a quatuor inscriptis servis libitinariis, qui mortuos efferrent.

16. *Mortue Galle*. Dicterium est in Gallos Cybeles sacerdotes, qui impotentes ad generandum, et effeminati, merito *mortui* nuncupabantur. Hic autem Lingonus a vespillonibus elatus poterat jure mortuus vocari.

LXXVI.

IN GALLICUM.*

Dic verum mihi, Marce, dic amabo;
Nil est, quod magis audiam libenter :
Sic et quum recitas tuos libellos,
Et causam quoties agis clientis,
Oras, Gallice, me rogasque semper.
Durum est me tibi, quod petis, negare:
Vero verius ergo quid sit, audi :
Verum, Gallice, non libenter audis.

* Hic nullam lectionis varietatem exhibent exemplaria aut scripta aut excusa.

— Argutissime tangit Gallicum de suo ingenio scriptisque sententiam Poetæ requirentem, et aliquid laudis aucupantem. Vide lib. V, epigr. LXIV, et lib. VII, epigr. XXVII, vs. 9; et Persii satyr. I, vs. 55.

1. *Mihi. . . . . . libenter.* Eæ sunt voces quas perpetuum Gallicus recitans in ore habet.

3. *Libellos.* Videtur mihi hic de poeticis opusculis tangere; proximo autem versu de iis quæ soluta oratione. Fortean tamen in hoc constat ἀντίθεσις, ut ad publicas recitationes versiculus prior, publicam ad actionem posterior referendus sit. Ed.

LXXVII.

AD LIBERUM AMICUM.

Liber, amicorum dulcissima cura tuorum,
Liber, in æterna vivere digne rosa;
Si sapis, Assyrio semper tibi crinis amomo

2. *In æterna rosa.* Hoc est, in perpetuis voluptatibus.

3. *Assyrio . . . . splendeat.* Sic Horatius, lib. II, od. VII, vers. 7 et 8, « coronatus *nitentes* Malobathro *Syrio* capillos. » — *Amomo Assyrio*, etc. Unguentis delibuti et floreis sertis coronati convivabantur Veteres. Vid. quæ ad Senecæ Thyesten adnot. Farnab. 942 et 945.

Splendeat, et cingant florea serta caput.
Candida nigrescant vetulo crystalla Falerno,
    Et caleat blando mollis amore torus.
Qui sic vel medio finitus vixit in ævo,
    Longior huic facta est, quam data vita fuit.

4. *Florea serta comæ* Beverlandi MS.—*Splendeat.* Nitescat: an, quod more romano optatissimum fuit, flavescat? Ed.

5. *Candida nigrescant.* Poculum enim ex crystallo vini infusi colorem trahit: Falernum vero fuscum est. — Unde et supra « marmorea fundens *nigra* Falerna manu. » Ed.

7. *Vel medio.* Qui voluptatibus sic sese immiscuit, etiamsi media ætate occidat, diutius tamen vixit, quam Dii concesserunt: Poeta enim non numero dierum, sed voluptatibus vitam longiorem æstimat. Lib. I, epigr. XVI.

8. *Largior huic facta est* Beverlandi Ms.

LXXVIII.

DE LUDIS STELLÆ.*

Quos cuperet Phlegræa suos victoria ludos,
    Indica quos cuperet pompa, Lyæe, tuos,

* Laudat Stellam, a quo præter triumphum Domitiani, carmine celebratum, etiam ludi ad honorem Principis, et victoriæ memoriam sunt dati: quem tamen honorem præsentia Cæsaris superavit; quod his Stellæ ludis interesse non sit dedignatus. Rader.

1. *Quos*, etc. Magnificos ita et splendidos ludos ut iis cuperet Phlegræa victoria, iis Indiæ triumphator Bacchus celebrari. Ed. — *Phlegræa.* Victoriam Phlegræam intellige, quam de Gigantibus retulit Hercules in planitie Cumæa, quæ olim Phlegræa (a φλέγειν, *urere*) dicebatur ob flammas illic erumpentes. Cf. Natalis Comes, lib. VII, cap. 2. Videndus et Strab. lib. V.

2. *Indica quos cuperet, Pompiliane, tuos* ex quodam codice profert Beverlandus.—*Indica pompa.* Quem scilicet Bacchus triumphum debellata India egit, hunc nuper Stella exhibuit, ut Domitiani victoriam de Sarmatis celebraret. Triumphum Bacchi cum illa Herculis victoria conjunxit etiam Silius Italicus, Punicorum lib. XVII, 647: « Qualis odoratis descendens Liber ab Indis Egit pampineos frænata tigride currus; Aut quum Phlegræis, confecta mole Gigantum, Incessit campis tangens Tirynthius astra. »

Fecit Hyperborei celebrator Stella triumphi;
O pudor! o pietas! et putat esse parum.
Non illi satis est turbato sordidus auro
Hermus, et Hesperio qui sonat orbe Tagus.
Omnis habet sua dona dies, nec linea dives
Cessat; et in populum multa rapina cadit.

3. *Fecit Hyperborei*, etc. Fecit ludos Sarmatici triumphi, quem et carmine descripsit Stella.

5. *Non illi.* Tagus fluvius Hispaniæ, Hermus etiam Lydiæ arenas aureas vehunt, quæ, multæ licet, Stellæ liberalitati non sufficiunt. Item Virgil. Georg. lib. II : « Nec pulcher Ganges atque auro *sordidus* Hæmus. » Sed aptius hic *sordidus* ob appositam vocem *turbato*. Ed.

7. *Omnis habet.* Ludi celebrabantur per plures dies, quibus singulis in populum munera spargebantur. Suetonius c. 11 in Nerone : « Sparsa et populo missilia omnium rerum per omnes dies : singula quotidie millia avium cujusque generis, multiplex penus, tesseræ frumentariæ, vestis, aurum, argentum, gemmæ, margaritæ, tabulæ pictæ, mancipia, jumenta, atque etiam mansuetæ feræ; novissime naves, insulæ, agri. » Hoc loco utitur Turnebus lib. XXIX, c. 9, ut sequentes versus explicet, *nec linea dives*. Ego, inquit, interpretor gemmas et margaritas, resque pretiosas in linea, quod ego Gallice explico, *filet de perles*. De linea margaritarum agitur lege XXVI, ff. « ad legem Falcidiam, » et lege ultima ff. « de auro, argento, mundo, » etc. Sic etiam explicat Salmasius. Alii *lineam divitem* sumunt pro ordine subselliorum, et pro orchestra in qua spectabat Senatus. Lipsius in notis ad Raderum missis sic explicat, ut refert ipse Raderus : « Mihi », inquit, « videbatur *linea* pro ordine subselliorum capienda, et interpretabar non solum populum habere quod caperet in missilibus, sed et Senatum. *Dives* igitur *linea* orchestra. » Et hæc sententia placet Radero; Poeta enim, inquit, videtur consilio distinxisse popularia ab orchestra, quum subjecit : *et in populum multa rapina cadit*. Sic Ovid. in Amor. III, II, 19, lineam accipit pro ordine sedentium : « Quid frustra refugis? cogit nos linea jungi. » Lineam *divitem* libenter explicarem schedulam, in qua scriptum esset quid pretiosum, quod referenti schedulam donaretur : in tesseris vero seu globulis ligneis scripta erant ferarum nomina, quæ distribuebantur rapientibus tesseras. — Quid si intelligas, uno in loco, et quasi una in linea collocatum quidquid parat ille multitudini elargiri; neque unquam hac in linea, licet perpetuum multa ex ea jacienda et spargenda rapiantur, vacuum quid adspici, quum in illorum quæ rapta sunt locum alia subinde et alia collocentur? Ed.

8. *Multa ruina cadit* in quibusdam edd. vett. in aliis, *multa pruina cadit;* lectionem nostram optimi et

Nunc veniunt subitis lasciva numismata nimbis;
Nunc dat spectatas tessera larga feras :
Nunc implere sinus securos gaudet, et absens
Sortitur dominos, ne laceretur, avis.
Quid numerem currus, ter denaque præmia palmæ,
Quæ dare non semper consul uterque solet?
Omnia sed, Cæsar, tanto superantur honore,
Quod spectatorem te tua laurus habet.

plurimi. — *Multa rapina.* Id est multa quæ rapiantur.

9. *Nunc veniunt subiti lasciva numismata nimbi* ex veterrimo codice Vaticano legit Heinsius ad Claud. Paneg. in Prob. et Olybr.Cons. 45, quem vide. — *Nunc veniunt.* E loco nempe superiore sparguntur nummi sestertii, quos lascivos vocat, quod forte populum ad se alliciant vel recreent, vel quod per inane volantes ludere, lascivire quodammodo videantur. — De publicis largitionibus apud Romanos, confer, si lubet, Stat. Silv. I, Carm. VI, ubi vide notas. Editionis nostræ, vol. I, pag. 161 et 169. ED.

10. *Nunc dat spectatas*, etc. In sphærulis seu tesseris ligneis, quæ spargebantur in populum, inscripta sunt munera vulgo cessura, vel visarum et præsentium, vel absentium ferarum aviumque. Tesseras ergo et sphærulas seu globulos populus rapiebat quum jactarentur, et quod quisque in tessera signum habebat, illud accipiebat ab Imperatore; ut si tesseræ esset inscriptus cervus, equus, domus, domum, equum vel cervum a Cæsare vel munerario accipiebat.

11. *Nunc implere.* Hoc est, ut mihi videtur : Aves absentes, seu in arena non exhibitæ, tesseris inscriptæ dantur iis, quibus forte contigit tessera : at vero si aves emissæ fuissent, a diripientibus laceratæ fuissent.

12. *Nec laceratur avis;* in edd. vett. Ald. Junt. Clino. Gryph. etc. *ne laceretur avis* in codice Pulmanni. — *Sortitur dominos.* Qui symbolum jactum occuparunt.

13. *Æternaque præmia* in codd. Vat. et Florent. — *Quid numerem currus.* Aurigarum factiones. — *Ter denaque*, etc. Ingentia victoriarum præmia. Palma enim multis præmium. Gladiatores victores cum palma discurrebant.

14. *Quæ dare.* Sensus est : Plura victoribus præmia dedit Stella, quam ambo Consules, quum simul edunt ludos.

15. *Tanto superantur.* Stellæ ludi per se quidem celebres, tua præsentia, o Domitiane, celeberrimi facti sunt.

16. *Te tua laurus amet* Codd. Florent. et Pulmanni. — *Tua laurus.* Id est quos ludos ob lauream tuam Sarmaticam exhibet Stella.

LXXIX.

IN FABULLAM.*

Omnes aut vetulas habes amicas,
Aut turpes, vetulisque fœdiores;
Has ducis comites, trahisque tecum
Per convivia, porticus, theatra.
Sic formosa, Fabulla, sic puella es.

* Feminam carpit, quæ quum venusta parum, haud tamen turpis videbatur, quia nunquam aspectabatur nisi feminarum turpissimarum globo cincta. Quum enim iis compararetur, pulchrior multo videbatur. Ita quædam satis lepide ad invidam quæ dicebat : « Temet nempe bellam existimas? » — « Minime, si me adspexerim; multum, si aliam. » Ed.

2. *Vetulisque fœdior es* codex Vaticanus exhibet, reclamantibus sensu et metro. Cætera, nulla est varietas in exemplaribus.

5. *Sic formosa*. Hoc est, collata cum illis vetulis, tibi videris formosa et adolescentula.

LXXX.

AD DOMITIANUM.*

Sanctorum nobis miracula reddis avorum,

Σεμνὰ παλαιγενέων ἀνεγείρεις θαύματα, Καῖσαρ,

* Pugilatum exercuere Lacedæmonii, ejusque pugnæ auctorem Pollucem tradunt, qui ab Homero Iliad. Γ, πὺξ ἀγαθὸς nominatus. Domitianus jam desuetum pugilatum revocavit, a quo facto eum Poeta laudat, et affirmat illi in acceptis referenda et antiqua et recentia spectacula, templa, etc. *Raderus*.

1. *Sanctorum nobis*. Hoc est, pugiles in arena exhibuisti, quos mirabatur antiquitas; nec enim gladiatorum cruenta spectacula priores Romani edidere; nec venationes tam feras, ut cum feris cogerentur pugnare homines.—*Sanctos* autem dicit avos, non ob mansuetudinem et φιλανθρωπίαν, sed ob antiquam probitatem et incorruptum animum. Ed.

Nec pateris, Cæsar, sæcula cana mori;
Quum veteres Latiæ ritus renovantur arenæ,
Et pugnat virtus simpliciore manu.
Sic priscis servatur honos te præside templis,
Et casa tam culto sub Jove numen habet.
Sic nova dum condis, revocas, Auguste, priora:
Debentur quæ sunt, quæque fuere, tibi.

Οὐδ' ἔῤῥειν ἐάας ἤθεα τῶν προγόνων·
Ὅττι παλινδρομέει τὰ πάλαι ςαδίοιο Λατίνου
Τέθμια, καὶ μονόχειρ ἠνορέη μάχεται.
Ἤ τ' αἰδὼς πολιοῖς ἐπὶ σεῦ ναοῖσι σέσωςαι,
Καὶ καλύϐη, τιμῇ Ζηνὸς, ἔχει τι σέϐας.
Κτίζων δὴ νέα, Καῖσαρ, ἀνέςησας τὰ παλαιά·
Σοὶ τὰ πάρος, τά τε νῦν, ἐςὶν ὀφειλόμενα.

2. *Nec pateris.* Prisca sæcula excidere ex nostra memoria. —*Cana.* Hoc est antiqua, vetera. An pro *sæcula canorum avorum?*

3. *Quum veteres.* Scilicet pugnaverunt olim in romanis amphitheatris et pugiles. Volunt quidam in hoc versu pro *renovantur, renoventur;* item in sequenti *pugnet*, pro *pugnat*. Inutiliter, et contra unanimem scripturam.

4. *Simpliciore manu.* Pugnis tantum, et cæstibus, non ferro, non tridente, etc.

5. *Sic priscis servatur.* Quemadmodum ludos veteres renovas, sic et templa antiqua veneraris, nec sinis quos ibi olim colebant Deos negligi.

6. *Nomen habet* in quibusdam edd. vett. et sic etiam in Beverlandi MS. Vid. Heinsius ad Ovid. Heroid. epist. XII, v. 78, et Trist. II, v. 40, 62.—*Et casa*, etc. Nec Jupiter donariis utcumque dives et magnificis templis cultus, fastidit humilem suam in Capitolio casam: nec Domitianus Jupiter noster, in tanta gladiatorum copia, dedignatur spectare pugiles.—Namque in Capitolio inter tortiles et striatas et omnis modi columnas, casula erat Jovi sacra, casulæ illius similitudinem referens quam, quum Urbem conderet, Romulus Jovi dedicaverat. En. —*Tam culto sub Jove.* Quem nimirum tam assidue colis, et cui tot et tanta donaria offers.

7. *Renovas* in Beverl. MS. pro *revocas;* quæ duo verba et in aliis sæpissime permutata fuere. Vide nos ad Tibull. IV, 1, 114, pag. 258. En. —*Sic nova dum....priora.* Domitianus plura templa condidit, atque antiqua plura restauravit. Vid. Suetonius in Domitiano. Atque ita, ait Poeta, ad omnia reipublicæ tempora ejus gloria pertinet.

LXXXI.

DE GELLIA.*

Non per mystica sacra Dindymenes,
Nec per Niliacæ bovem juvencæ,
Nullos denique per Deos, Deasque
Jurat Gellia; sed per uniones.
Hos amplectitur, hos deosculatur;
Hos fratres vocat, hos vocat sorores;
Hos natis amat acrius duobus.
His si quo careat misella casu,
Victuram negat esse se nec horam.
Eheu quam bene nunc, Papiriane,
Annæi faceret manus Sereni!

* Gellia vita sua cariores habebat gemmas, sine quibus negabat se posse vivere. Poeta precatur, ut a fure Sereno gemmæ clepantur, vel Gellia moritura. Rader.

1. *Sacra Dindymenes.* Id est, Cybeles sic dictæ a Dindymo Phrygiæ monte ubi colebatur. Dicitur etiam Berecynthia mater, per cujus sacra jurare solebant antiqui. Lib. IV, epigr. XLIII, vs. 8 : « Juro per Berecynthios furores. »

2. *Niliacæ bovem.* Hoc est, nec per Apim bovem, sub cujus specie Ægyptii colebant Osirim, cui nupsit Isis Ægyptiorum Dea ex Io vacca. Sic Farnabius.

4. *Uniones.* Margaritas, gemmas. Per ea vero quæ sibi carissima fuerunt, jurabant Veteres.

5. *Hos perosculatur* in quibusdam editis.

6. *Hos fratres vocat.* Juvenalis vividius etiam alloquitur nummos, quam quod de unionibus hic dicit Martialis: « O nummi, vobis hunc præstat honorem; vos estis fratres. » Sat. v, vs. 136. Edition. nostræ volum. I, pag. 291. Ed.

7. *Hos vatis amat* exhibet Junt. an. 1512.

10. *Papyriane* in eadem.

11. *Annæi.* Annæum Serenum furem fuisse conjiciunt Interpretes, iis temporibus notissimum. (Immo ita notum, ut quid furti admisisset supervacuum judicarit poeta indicare; quemadmodum, imperante Augusto, Petillius ille Capitolinus, de quo Horatius: « Mentio si qua De Capitolini furtis injecta Petilli. » Lib. I, sat. IV, vs. 94. Ed.) Utinam, ergo inquit Poeta, Annæus Serenus, Gelliæ uniones subduxisset! etiamsi illa præ dolore moreretur, digna quidem morte, quippe quæ uniones vehementius liberis, immo et Diis ipsis amet.

LXXXII.

AD DOMITIANUM.*

DANTE tibi turba querulos, Auguste, libellos,
  Nos quoque, qui domino carmina parva damus,
Posse Deum rebus pariter Musisque vacare
  Scimus; et hæc etiam serta placere tibi.
Fer vates, Auguste, tuos: nos gloria dulcis,
  Nos tua cura prior deliciæque sumus.
Non quercus te sola decet, nec laurea Phœbi;
  Fiat et ex hedera civica nostra tibi.

* Laudat Domitiannm quod faveat poetis; nec summis et epicia tantum, sed epigrammatariis etiam.

1. *Dante tibi.* Per libellos supplices principem adibat populus: *quereli* vero dicuntur libelli, per qnos conquerimur de infortunio vel injuria, atque auxilium petimus.

2. *Nos quoque pro domino* in codd. Vat. et Florent. *Nos quoque quod domino* Ald. Junt. et Colin. *Carmina pna* Juntina nostra in margine, i. e. *prona*, errore scribæ, qui in codice viderat *pua*, sive *pva*, id est, *parva*.

3. *Posse Deum.* Domitianum scil. posse et Musis vacare, et terrarum orbem administrare. Namque, postquam Cerialis in Gallia fidem frustra tentavisset, « in altitudinem conditus, studium literarum et amorem carminum simularat » (Tacit. Histor. lib. IV, cap. 84); unde vasta adulationum seges. Ed.

5. *Gloria dulcis.* Sic loquitur, lib. I, od. 1, vs. 2, Horatius: « O et præsidium et *dulce* decus meum! » Sic et Virgilius, Ecl. 1, 58; « tua *cura* palumbes: » et Ecl. II, 2; « *delicias* domini. » Ed.

7. *Non quercus*, etc. Non quercus sola te, o Imperator, decet, non laurus, ob servatos cives devictosque hostes; sed et hederæ *doctarum præmia frontium* tibi poetæ poetisque faventi debentur. Sic affatur Augustum Virg. Ecl. VIII, 12: « atque hanc sine tempora circum Inter victrices hederam tibi serpere lauros. » Ponebatur enim querna corona, civica dicta, in vestibulo Palatii, laurus ante limina. Quod primum in honorem Augusti factum apud posteros invaluit et cæteris Imperatoribus datum. — *Laurea Phœbi.* Amatissimam Apollini laurum, ut et olim Δάφνην, omnes sciunt. Ed.

8. *Hedera.* Quam poetis levioribus propriam supra diximus; epigrammatibus vero quid levius? Ed.

M. VAL. MARTIALIS
EPIGRAMMATUM
LIBER IX.

I.

AD AVITUM.

NOTE, licet nolis, sublimi pectore vates,
Cui referet serus præmia digna cinis,
Hoc tibi sub nostra breve carmen imagine vivat,
Quam non obscuris jungis, Avite, viris.

1. *Non te cælabis* Ald. Junt. et Colin. *Non te celabis* Pulman. Plant. Junian. Lang. et Delph. *Late lucebis* codex Pulmanni. *Non te licet nöbis* codex Florentinus; pessime ut patet. *Note, licet nobis* in aliis codd. unde illud *Note*, vel *Non te*, in Florent. Gruterus, *Note, licet non vis*, legendum putat. — *Note, licet nolis*. Id est, o tu cui, quamquam gloriam et famam respuis, optimi vatis fama contigit. Ed.—*Sublimi pectore*. Aptissime, siquidem « pectus est quod disertum facit. » Ed.

2. *Cui referet*. Horatins, lib. II, epist. I : « Urit enim fulgore suo qni prægravat artes Infra se positas: exstinctus amabitur idem. » — Jam illud Noster attigit supra, lib. VIII, epigr. LXIX, ubi vide quæ citavimus de carmine qnodam nostratis *Lebrun;* ex eodem adde, si lubet, ea quæ vatis ntriusque sententiam concludunt :

Tu verras la France éplorée
T'offrir des honneurs immortels;
Et le temps, vengeur légitime,
De l'envie expier le crime,
Et l'enchainer à tes autels. Ed.

3. *Hoc et sub nostra* Beverlandi MS.— *Breve carmen*. Tetrastichon quod sequitur : « Ille ego sum », etc.

4. *Avite*. Jam de Avito diximus lib. I, epigr. XVII. Nescio an hic

Ille ego sum nulli nugarum laude secundus;
Quem non miraris, sed puto, lector, amas.
Majores majora sonent: mihi parva loquuto
Sufficit in vestras sæpe redire manus.

idem fuerit. Utut est, Martialis imaginem ille in sua bibliotheca inter clarissimorum poetarum effigies collocaverat.

5. *Ille ego.* Avitum rogat ut hæc quatuor carmina subscribat imagini ipsius, quam inter viros præclaros ponendam in sua bibliotheca curaverat.

8. Juntina nostra in margine exhibet: « Majores majora juvent, sive canent. » Hoc propius accedit ad literarum formam in voce sonent.

MARTIALIS TURANIO SUO S.*

Ave, mi Turani,[1] frater carissime. Epigramma,[2] quod extra ordinem paginarum est, ad Stertinium clarissimum virum scripsimus, qui imaginem meam[3] ponere in bibliotheca sua voluit. De quo scribendum tibi putavi, ne ignorares, Avitus iste quis vocaretur. Vale, et para hospitium.

* « Auctoritate codicum freti neque consilio minus P. Scriverii, Epistolio post epigramma ad Avitum dedimus secundum locum; quod tamen nullum habet in Bodleiano aliisque quibusdam MSS. » Farnabius. —Abest etiam in codice Pulmanni: sed primum tenet locum in Ald. Junt. Colin. Gryph. Plant. Junian. Lang. Delph. etc. Inscriptio, *Martialis Turanio suo S.* deest in Ald. Junt. Colin. Gryph. et Lang. *Martialis Torranio suo salutem* in Plant. Junian. et Delph.

1. *Toranni* in edd. vett.

2. *Epigramma.* Sequens nempe separatum a reliquis, ita ut primum hujus libri sit *de templo Flaviæ gentis*: Stertinium vero Avitum etiam nominat.

3. *Imaginem meam.* Moris erat antiqui, doctorum virorum imagines in bibliothecis ponere. Vid. Cicero ad Atticum lib. IV, epist. IX. Juv. sat. VII, 29: « Qui facis in parva sublimia carmina cella, Ut dignus venias hederis et imagine macra. » —Ad hunc morem respicit Flaccus (lib. I, sat. IV), Fannium ridens qui imaginem ipse suam, ut optimi et splendidissimi vatis, in Palatinam bibliothecam detulerat: « beatus Fannius ultro Delatis capsis et imagine! » Ed.

II.

DE TEMPLO FLAVIÆ GENTIS. *

Dum Janus hyemes, Domitianus autumnos,
Augustus annis commodabit æstates;
Dum grande famuli nomen asseret Rheni
Germanicarum magna lux Kalendarum;
Tarpeia summi saxa dum patris stabunt;
Dum voce supplex, dumque thure placabit
Matrona dives dulce Juliæ numen:
Manebit altum Flaviæ decus gentis,

* Flaviæ genti positas ædes canit. (Flavii autem fuere et Vespasianus et qui post eum imperaverunt filii duo Titus et Domitianus. Ed.) Cæterum quas Flaviis ædes Romani posuere, de iis meminit Sueton. in Domit. vita, cap. 1, 5 et 17. Ed.

1. *Dum Janus hyemes.* Janus nomen dedit Januario, qui pro hyeme; Domitianus Octobri, qui pro autumno; Augustus Augusto, antea Sextili, qui pro æstate sumitur. (Sic enim imperantium nomina mensibus imponebant assentandi libidine; quod et ipse increpuit Tiberius facete satis, his fere senatores alloquens: «Quid satagetis ergo ubi tredecim vobis Cæsares erunt?» Ed.) Sensus ergo est, quamdiu erunt illæ anni tempestates, tamdiu gentis Flaviæ templum durabit.

2. *Commendavit æstates* cod. Flor.

3. *Dum grande Fauni nomen adserunt* in codd. Vat. et Florent.

4. *Germanicarum.* Hoc est, primus dies Septembris, quem ut jam de Octobre diximus, ex appellationibus suis transnominavit Domitianus. Germanicus dictus fuit, e Sueton. cap. 13, in Domitiano.

5. *Tarpeia summo saxa dum patri* codex Pulmanni. — *Tarpeia.* Hoc est: Dum durabit Capitolium, Tarpeia in rupe situm.

7. *Matrona dives dulce Julium numen* Ald. Junt. Colin. Gryph. Lang. atque edd. Bip. *Matrona divæ dulce Juliæ numen* codd. Vat. et Flor. cum edd. Plant. Junian. Delph. Grut. Scriv. Farnab. Schrevel. et *Barbou.* Et his suffragatur codex Pulmanni. Unde lectionem nostram sumpserint edd. supra dicti, non reperi. Hoc certum, cæteris omnibus anteferenda est. — *Juliæ numen.* Juliam, Titi nempe filiam, perdite amavit Domitianus, teste Suetonio in Domitiano, cap. 22, quam mortuam ut deam coli jussit. — *Dulce numen.* Id est, carum Domitiano, aut Romanis ipsis gratum atque optabile.

8. *Altum decus.* Hoc est, superbum illud templum.

Cum sole, et astris, cumque luce romana.
Invicta quidquid condidit manus, cælum est.

10. *Cæli est* codex Pulmanni; quod illi magis arridet. — *Cælum est.* Hoc est, immortale, æternum ut cælum ipsum.

III.

IN LUPUM.*

Pauper amicitiæ quum sis, Lupe, non es amicæ;
Et queritur de te mentula sola nihil.
Illa siligineis pinguescit adultera cunnis,
Convivam pascit nigra farina tuum.
Incensura nives dominæ Setina liquantur;
Nos bibimus Corsi pulla venena cadi.
Empta tibi nox est fundis non tota paternis;
Haud sua desertus rura sodalis arat.

* Lupum reprehendit avaritiæ in amicos, nimiæ in amicas liberalitatis. Ed.

1. *Pauper*, etc. Qui pauperem te simulas rogitante amico, ecce quam subito opulescis, juxta amicam! Ed.

2. *Læsa nihil* in edd. vett. *Digna nihil* Pulmanni codice.

3. *Illa siligineis.* Et hanc Juven. offert antithesim, sat. v, vs. 67, sqq. « panem Vix fractum, solidæ jam mucida frusta farinæ ... Sed tener et niveus mollique siligine factus Servatur domino. » Lupus autem amicas pascebat pane siligineo (gallice, *pain de gruau*). Vide lib. XIV, epigr. LXIX. Ed.

5. *Incensura*, etc. Amicæ tuæ colantur vina optima e Setia (quæ quidem celeberrimis vinis Augustus antetulit. Ed.), et quæ calore suo nives, quibus diluuntur, incendant. Lib. IV, epigr. LXIX, vs. 1.

6. *Corsi pulla.* Vilioris notæ vini e Corsica, cujus mella, thyma, et cælum gravia. Legitur et *torti* in Ald. Junt. Colin. Gryph. Pulmann. Plant. Junian. Lang. Delph. etc. quod exponunt, *Supremum torculari expressi.* — *Venena cadi.* Vina non meliora Vaticanis, quæ dixerat « toxica », lib. I, epigr. XIX, et lib. VI, epigr. XCII.

7. *Fundis.* « Quantum in legione tribuni Accipiunt, donat Calvinæ vel Catienæ, Ut semel aut iterum super illam palpitet. » Juv. III, 132. Ed.

8. *At sua* codex Pulmanni. *Non sua* alii. — *Haud sua.* Conducta.

Splendet Erythræis pellucida mœcha lapillis;
Ducitur addictus, te futuente, cliens.
Octo Syris suffulta datur lectica puellæ;
Nudum sandapilæ pondus amicus erit.
I nunc, et miseros, Cybele, præcide cinædos;
Hæc erat, hæc cultris mentula digna tuis.

9. *Erythræis*. Lib.V, ep. XXXVII.

10. *Ducitur*. In carcerem vel ædes creditoris, cui a Prætore addicitur, ære obrutus. — Obscœnum quid (voluptatem nempe umbratilem et curtam « viri muliere carentis ») in τῷ *ducitur* ego crediderim. Ed.

11. *Syris*. Quæ scilicet illustrium feminarum æmula, « longorum vehitur cervice Syrorum. » (Juv. sat. VI, vs. 350.) Lecticarii autem homines erant longi et proceri e Dalmatia sæpissime aut Syria. Et quatuor vulgo lecticam sustinebant; at identidem, si hæc splendidissima et gravior, sex, immo octo bajuli necessarii, et inde lecticæ nomen Tetraphoros, Hexaphoros aut Octophoros.

12. *Nondum sandapilæ* Ald. Junt. Colin. Gryph. Lang. etc. *Nudum sandapilæ* in codice Pulmanni. — *Sandapilæ*, etc. Lib. II, ep. LXXXI.

13. *Nunc*, etc. Castra miseros cinædos, ut tibi sint sacerdotes. Ironice. Immo Lupum potius, qui amicos inguini posthabet.

IV.

AD DOMITIANUM.*

QUANTUM jam Superis, Cæsar, cæloque dedisti,
Si repetas, et si creditor esse velis:
Grandis in æthereo licet auctio fiat Olympo,
Coganturque Dei vendere quidquid habent;
Conturbabit Atlas, et non erit uncia tota,

* Mirifice tollit opera Domitiani, dicitque nec Jovem, nec Superos omnes solvendo pares futuros, si nomina ab illis Cæsar exigat.

3. *Auctio*. Quæ publica est venditio, in qua pretium ab emptoribus certatim augetur: hoc est, licet hastæ subjiciantur bona Deorum et Dearum, et sic publice vendantur, pecunia tamen inde collecta non sufficit ut te creditorem dimittant.

5. *Conturbabit Atlas*. Atlas, qui cælum humeris gestat, proscribet cælum, nec unciam seu duodecimam debitorum partem colliget:

Decidat tecum qua pater ipse Deum.
Pro Capitolinis quid enim tibi solvere templis,
Quid pro Tarpeiæ frondis honore potest?
Quid pro culminibus geminis matrona Tonantis?
Pallada prætereo : res agit illa tuas.
Quid loquar Alciden, Phœbumque, piosque Laconas?
Addita quid Latio Flavia templa polo?
Exspectes, et sustineas, Auguste, necesse est;
Nam tibi quod solvat, non habet arca Jovis.

uncia pars est duodecima assis, qui pro integro debito accipitur. *Conturbare* significat dissipare. Farnabius interpretatur τὸ *conturbabit*, cedet foro; Bud. cælum totum tibi decoquet.

7. *Capitolinis*, etc. Id est, quod Capitolium incendio absumptum restituisti, et novam ædem in Capitolio excitavisti Jovi custodi, quid tibi pretii solvere illi queant? Cæterum de Capitolio restituto, adi Sueton. Domit. cap. 5, et Eutrop. lib. VII.

8. *Quid pro Tarpeiæ*. Vide lib. IV, epigr. LIV. In honorem Jovis Capitolini ludos instituit Domitianus, in quibus laureæ et coronæ quernæ dabantur. Cf. Suetonius in Domitiano ibid.

9. *Quid pro culminibus*. Ex his verbis colligere est Junoni duo templa consecrasse Domitianum.

10. *Pallada prætereo*. Cui Chalciœcæ templum erexisti (Cassiod. lib. VI, cap. 11), cui statuam in cubiculo consecrasti et quinquatria. Quin et Palladis filius dici volebat: cujus sacra ideo religiosissime coluit. — *Res agit illa tuas*. Illa a te stat; res tuas, rationes et consilia disponit; tibi familiare numen est, immo mater. Quum enim Domitianus audivisset ex lib. Sibyllinis, fore, ut virgo pareret æternum Imperatorem, nihil amplius voluit quam se esse filium perpetuæ virginis Dianæ.

11. *Quid loquar Alciden*. Herculi templum erexit: et ut Phœbi forte, sic Castoris et Pollucis templum incendio absumptum restituit. Suetonius in Domitiano, cap. 5: «Plurima et amplissima incendio absumpta restituit», templa nempe. Laconas *pios* dixit, quod Castor et Pollux Lacænæ Ledæ filii alternatim vivant. Vid. quæ in epist. ad Imp. lib. VIII, de voce hac *pietas* notata sunt. — Juntina nostra in margine exhibet : *duosque Laconas*.

12. *Addita quid*, etc. Templum Flaviæ gentis, quod cælum vertice tangit. Alibi : *Dum videt Augusti Flavia templa poli*. Tum ut Torrentius vult, *Latium polum* appellat eam veluti poli partem, cui Latinorum Romanorumque Dii transcripti fuerant, eosque inter Vespasianus. De quo supra, epigr. II; et infra epigr. XXXV, et lib. X, epigr. LI. —Alii legunt, *Latia foro?* quod juxta forum exstructum esset Flaviæ gentis templum.

V.

IN ÆSCHYLUM.*

Aureolis futui quum possit Galla duobus,
Et plus quam futui, si totidem addideris;
Aureolos a te cur accipit, Æschyle, denos?
Non fellat tanti Galla : quid ergo? tacet.

* *In Æschilum* apud edd. vett.; sed perperam.

1. *Aureolis*, etc. Nummia aureia. Quorum unus 100 sestertios (monetæ nostræ, sub Augusto, 20 fr.; dehinc, paulo minus) æquabat. Ed. — *Æreolis* Juntina nostra in margine; et sic legendum putat Rutgersius, quum vulgari scorto nimii sint aureoli. — Immerito; neque enim ita perspicuum est de vulgari meretricula hic agi, potius quam de celebri et venusta et divite, immo potius quam de femina quæ, licet meretricem haud professa, pecuniam tamen dantibus copiam sui faciat. Ed.

2. *Et plus*. Innuit tacite cæteros eroticæ nequitiæ modos quorum nullum ista abnuit. Sic infra epigr. xxxiii: «Quam redimit *totam* denarius alter.» Cæterum vid. lib. II, epigr. lii. Ed.

3. *Æschile* edd. vett.

4. *Tacet*. An hic arguit usitatæ feminas loquacitatis? an ipsius pungit Gallæ stultitiam, quæ fatuis sermonibus quidquid sibi est pulchritudinis corrumpit et rancidum facit? Eligat lector. Ed.

VI.

IN PAULLAM.*

Nubere vis Prisco, non miror, Paulla : sapisti.
Ducere te non vult Priscus : et ille sapit.

* In hujus epigrammatis lectione nulla varietas est in exemplaribus, aut manu exaratis, aut typis impressia.

1. *Nubere*. Diviti et nobili infamis Paulla cupiebat nubere. Priscus impuram rejecit. Ambo callide, inquit Noster : tu enim, Paulla, haud stulte agis, dum affectas nuptias divitis; sed æque sapienter ille, qui te contemnit. — *Paulla*. Fortean de qua lib. I, epigr. lxxv.

VII.

AD DOMITIANUM.

Tibi, summe Rheni domitor, et parens orbis,
Pudice princeps, gratias agunt urbes:
Populos habebunt; parere jam scelus non est.
Non puer avari sectus arte mangonis
Virilitatis damna mœret ereptæ;
Nec quam superbus computet stipem leno,
Dat prostituto misera mater infanti.
Qui nec cubili fuerat ante te quondam
Pudor, esse per te cœpit et lupanari.

1. *Rheni domitor*, etc. Germanice. Lib. V, epigr. II, vs. 7. — *Parens orbis*. Quippe quem parentem, quem patrem patriæ Roma, sed non ea libera, dixit. Vid. lib. spectaculorum epigr. III. Ed.

2. *Pudice*. Quod adulteria prohibuisset. — *Pudice princeps*. Lib. VI, epigr. IV, vs. 5. — Et hanc sane laudem maxime appetebat princeps alias impudicus et nullius non nequitiæ manifestus. Nec magis mirum quam singularis ille quo Minervam prosequebatur cultus et amor. Immo optime duo hæc consentiunt et sibi invicem aptissime cohærent. Ed.

3. *Populus habebunt*, sc. gratias, legendum censet Gruterus. — *Populos habebunt*. Quia nempe infanda libido tuo edicto sublata est; quod et Horatius Augusti sapientiam in administranda republica laudans: « Mos et lex maculosum edomuit nefas. » Aut, ut multis placet, quod castrari mares edicto prohibuisti. Vid. lib. VI, epigr. II, vs. 3, et libri hujus epigr. IX, infra. — *Parere jam*; quia non erit ulterius castratio, aut adulterium; vid. lib. VI, epigr. LXVII.

4. *Non puer aut vir* Beverlandi MS. — *Non puer*. Vide ad lib. VI, epigr. II et IV.

6. *Superbus*; nempe divitiis: sæpe Nostro hujus vocabuli talis usus.

7. *Dat prostituto*. Prostituendos quippe infantes a matribus conducebant lenones.

8. *Qui nec cubili*. Hoc est, sublatis adulteriis non solum pudica sunt matrimonia, sed et pudor est in lupanari, ubi jam non licet prostituere pueros.

VIII.

IN AFRUM.*

Dicere de Libycis reduci tibi gentibus, Afer,
Continuis volui quinque diebus Ave.
Non vacat, aut Dormit, dictum bis terque reverso.
Jam satis est : non vis, Afer, avere : Vale.

* Afer superbus, ex Africa redux, non admittebat Poetam ad gratulandum ventitantem. Indignabundus poeta, vel potius jocans: Si non vis, inquit, salvere, Vale. — Hic nulla lectionis varietas est in exemplaribus.

1. *Dicere*, etc. Volui tibi ex Africa reverso gratulari, et quinquies veni salutaturus : sed non admittebar. — *Libycis*. Libyæ (Λιβύης) olim nomen Africæ a Græcis impositum.

4. *Non vis*, etc. Si non vis salvere et vivere, abi in malam rem et morere : nam simul amicitiæ solutum fœdus notat; quo pacto eos valere jubemus, quos a nobis abigimus, aut potius a quibus nos discedimus. Sic et Græcis χαίρειν. Anacreon, Od. I, sub finem : Χαίροιτε λοιπὸν ἡμῖν Ἥρωες. Vide et lib. V, epigr. XVII. Rad.

IX.

AD DOMITIANUM.

Tanquam parva foret sexus injuria nostri
Fœdandos populo prostituisse mares;
Jam cunæ lenonis erant, ut ab ubere raptus
Sordida vagitu posceret æra puer.
Immatura dabant infandas corpora pœnas.

1. *Tanquam parva*. Hujus epigrammatis idem est argumentum ac epigr. VII, supra.

3. *Jam cunæ*, etc. Supra epigr. citat. vs. 6. — *Curæ* pro *cunæ* in codice Pulmanni; et sic legendum statuit Gruterus, ex codice Palatino.

4. *Sordida*. An quod æs, si argento contuleris, sordidum? an quod infamem quæstum artibus his obtinenti ferat? Hoc melius. Ed.

5. *Immatura corpora*. Infantium.

Non tulit Ausonius talia monstra pater;
Idem qui teneris nuper succurrit ephebis,
Ne faceret steriles sæva libido viros.
Dilexere prius pueri, juvenesque, senesque;
At nunc infantes te quoque, Cæsar, amant.

6. *Non tulit*, etc. Edicto prohibuit Domitianus pueros intra septimum annum prostitui, et Scatiniam revocavit. Suet. Domit. cap. 8. — *Ausonius pater*. Domitianus quem jam patriæ parentem dictum notavimus.

7. *Succurrit ephebis*. Prohibens scilicet ne castrarentur: supra lib. VI, epigr. II.

8. *Sæva libido mares* codex Pulmanni. Vide Stat. Sylv. lib. III, de Domitiano: « Nondum pulchra ducis », etc.

X.

AD BITHYNICUM.*

Nil tibi legavit Fabius, Bithynice, cui tu
Annua, si memini, millia sena dabas.
Plus nulli dedit ille; queri, Bithynice, noli:
Annua legavit millia sena tibi.

* Bithynicus quotannis Fabio sex millia HS. donavit, ut tandem hæres scriberetur a Fabio, plura scilicet laturus quam dederat. Sed Fabius artem captantis intelligens, illa sena millia consumpsit, et Bithynico moriens nil legavit. Querentem Bithynicum solatur Poeta irridendo deceptum. Noli, inquit, queri tibi nil legatum: quotannis enim tibi legavit sex millia, quæ solebas antea dare Fabio, et posthac non dabis. Rader.

— Hujus epigrammatis lectionem non variant membranæ, aut libri prelo excusi.

1. *Tibi legavit Fabius*, etc. Quem hæredipetam notarat.

2. *Annua*. Hoc est, quotannis.

3. *Plus nulli*, etc. In duobus quæ præcedunt versiculis locutus est poeta Bithynici nomine, non suo, Bithynici, non sua verba referens. Nunc proprio nomine respondet et querentem alloquitur. Cæterum vide Raderi notam ad titulum. Ed.

XI.

IN CANTHARUM.*

Cœnes, Canthare, quum foris libenter,
Clamas, et maledicis, et minaris.
Deponas animos truces, monemus;
Liber non potes, et gulosus esse.

* *In Cantarum* Ald. Junt. Colin. Gryph. etc. Mox in prim. vs. *Cantare*. — Cantharum quemdam alloquitur qui, quum parasitus esset, ferociæ tamen et παῤῥησίας multum retinebat, et necessarium ait truces spiritus cohibere: trechedipna enim induenti exuendam libertatem. Ed.

4. *Liber non potes*. Etenim parasitus instruatur necesse est octava arte ingenua, hoc est, adulatoria; gulosus cœnipeta loquitur placentia, ut qui libertatem dapibus vendiderit. Lib. II, epigr. LIII: « Liber eris, cœnare foris si, Maxime, nolis. »

XII.

DE EARINO DOMITIANI.*

Nomen cum violis, rosisque natum,
Quo pars optima nuncupatur anni;
Hyblam quod sapit, Atticosque flores,

* Jocatur hic Noster, quod et in duobus quæ sequuntur, in nomine Earini, Domitiani eunuchi ex pulcherrimis et amatissimis: et ait nomen quidem dulce esse, quod a vere sit deductum (Græcis enim ἔαρ *ver* sonat), at idem contumacibus syllabis constare quæ neque hexametri neque ἐνδεκασυλλάβων rhythmo congruant. Ii enim versus dactylos tantum aut spondæos aut trochæos recipiunt. Vocis autem istiusce *Earinus* tres primæ syllabæ breves. Sed quid obstitit, scire velim, quominus hic Noster iambicis aut scazonte uteretur? Ed.

2. *Nominatur anni* Pulmanni codex. — *Pars optima*. Ver enim pulcherrima est anni tempestas, qua nempe violæ et rosæ, atque omne florum genus nascitur.

3. *Hyblam*. Montem Siciliæ, ubi multi flores, unde melle abundat. — *Atticosque flores*. Quos delibant

Quod nidos olet alitis superbæ;
Nomen nectare dulcius beato,
Quo mallet Cybeles puer vocari,
Et qui pocula temperat Tonanti;
Quod si Parrhasia sones in aula,
Respondent Veneres, Cupidinesque;
Nomen nobile, molle, delicatum
Versu dicere non rudi volebam:
Sed tu, syllaba contumax, repugnas!
Dicunt Earinon tamen Poetæ,
Sed Græci, quibus est nihil negatum,
Et quos Ἆρες Ἄρες decet sonare:
Nobis non licet esse tam disertis,

apes in Hymetto, Atticæ monte.

4. *Alitis superbæ*. Hoc est, phœnicis. Lib. V, XXXVII, et VI, LV.

5. *Beato*. Cælicolum proprio; *beati* enim pro Dii, ut et Μάκαρες græcis pro Θεοί. Ed.

6. *Cybeles puer*. Atys nempe seu Attis, de quo lib. II, epig. LXXXVI.

7. *Et qui pocula*. Ganymedes scilicet.

8. *Parrhasia*, etc. Palatina. Lib. VII, epigr. LVI, vs. 2.

9. *Respondent*. Hoc est, quum tu loqueris, omnis suavitas atque elegantia fluit ab ore tuo.

12. *Tu syllaba*, etc. Prima brevis cum reliquis paribus officit, quominus versu eleganti dicatur. Ita fere *Equotutium* Horatius, *Sigillaria* Lucilius circumloquuti sunt, seu potius conjicienda dedere, dicentes hic, « Quæ versu hexametro non plane dicere possis; » et ille, « Quod versu dicere non est », etc.

13. *Dicunt*, etc. Ἐπ' ἄνθεσιν εἰαρινοῖσιν. Homer. Il. B. — *Earinon tamen*. Cujus primam brevem producunt græci poetæ. — Novit sane quisquis græcæ poeseos elementa delibavit antiquis iis in pangendis versiculis nihil non licuisse; syllabas v. g. fere ad libitum interpolari, recidi, corripi, produci, etc. Ed.

15. Ἆρες Ἄρες. Homer. Il. E. Ἆρες, Ἄρες, βροτολοιγὲ, μιαιφόνε, τειχεσιπλῆτα, ubi prima in Ἄρες communiter, sed variato accentu. Hinc et Lucilius lusit, Ἆρες Ἄρες, *Græci ut faciunt*. — *Et quos* ἄρες ἄρες mendose in edd. vett. Plant. Junian. Lang. Delph. Schrevel. etiam *Barbou*, Par. an. 1754. Ubi enim priori in hac voce ad libitum quantitas variatur, variatur et accentus.

16. *Disertos* in quibusdam, non ita bene: videatur Heins. ad Ovid. Heroid. epist. XIV, 64, et Broukh. ad Propert. II, 9, 46. Commode tamen potest defendi. Sæpius enim *licet* sequente accus. et infinitivo ponitur. Vide Observ. Misc. tomo V, p. 13, et VV. DD. ad Cæs. B. C. III, I; omnibus autem illis in locis omitti dativum nominis.

Qui Musas colimus severiores.

cujus accusativus plerumque expressus sit, eumque supplendum esse, docuit Dukerus ad Liv. XLI, 36, 6. Cic. Ligar. « liceat esse miseros », pro « liceat nobis nos esse miseros. » — *Nobis non licet.* Eadem licentia uti nobis poetis Latinis non licet.

XIII.

DE EODEM.*

Si daret autumnus mihi nomen, Ὀπώρινος essem;
Horrida si brumæ sidera, Χειμέρινος·
Dictus ab æstivo Θέρινος tibi mense vocarer:
Tempora cui nomen verna dedere, quis est?

* Idem est argumentum ac præcedentia epigramm. cujus adi notam primam.

1. Ὀπώρινος. Id est, Autumnalis.

2. Χειμέρινος. Hibernus.

3. Θέρινος. Æstivus. — Ald. Junt. Colin. Gryph. Pulm. Lang. etc. *mihi mense vocarer*, improbante Farnabio. Lectionem nostram primus reponebat Domitius Calderinus.

4. *Quis est?* Ἐάρινος nimirum, hoc est, *Vernus.*

XIV.

DE EODEM.

Nomen habes, teneri quod tempora nuncupat anni,
Quum breve Cecropiæ ver populantur apes;
Nomen, Acidalia meruit quod arundine pingi,

1. *Teneri anni.* Id est veris; quod et per similem περίφρασιν Ovidius Metam. lib. XV, 201, Pythagoram inducens, significat: « Nam tener, et lactens, puerique simillimus ævo Vere novo est annus. » Ed. — *Nomen habes.* Earini nomen a vere deductum. Vide duo præced. epigr.

2. *Quum breve.* Hoc est, flores veris, qui breviter marcescunt. Lib. II, epigr. XLVI, idem dixit.

3. *Acidalia arundine pingi.* Cnidio calamo? an columbæ penna, quæ Veneris avis? an penna seu sagitta Cupidinis, Veneris filii? vide lib. VI, epigr. XIII, vs. 5.

Quod Cytherea sua scribere gaudet acu;
Nomen, Erythræis quod litera facta lapillis,
Gemma quod Heliadum pollice trita notet;
Quod penna scribente grues ad sidera tollant;
Quod decet in sola Cæsaris esse domo.

5. *Nomen, Erythræis.* Uniones et margaritas intelligas, quæ in Erythræo seu Rubro mari reperiuntur. Lib. V, epigr. XXXVII.

6. *Gemma quod Heliadum.* Succinum intellige, quod tritum manibus suaviter olet. Ad lib. IV, epigr. LIX, egimus de sororibus Phaethoutis, seu Heliadibus: « Flentibus Heliadum ramis dum vipera serpit, Fluxit in obstantem succina gemma feram. »

7. *Quod penna scribente.* Grues, inquiunt Interpretes, gregatim volando literam *Y* efficiunt, quæ affinitatem habet cum Latina litera *V*, veris scil. prima. Vide lib. XIII, epigr. LXXV. Alii forte melius legunt, *penna stridente;* suo enim adventu veris quoque adventum nuntiant et celebrant grues, atque ita Earini nomen a vere deductum videntur pariter celebrare. Judicet lector.

8. *In sola Cæsaris*, etc. Quo nulla domus, nisi principalis, nisi regia, nisi perpetuum florens et virens, digna videatur. ED.

XV.

IN AMICUM CŒNIPETAM. *

HUNC, quem cœna tibi, quem mensa paravit amicum,

* *In fictos amicos* est inscriptio in Ald. Junt. Colin. Gryph. Calderin. Plant. Junian. Palman.

— Monet hic nescio quem de amico cœnipeta, quem ait non hospitis, sed hospitalis mensæ amantissimum, et qui, ut solitum, « diffugiet cadis Cum fæce siccatis. » ED.— Cœnipetam enim esse πάμφιλον, id est, omnium assentatorem, et nulli vere et sancte amicum. « Errat, inquit Seneca, qui amicum in atrio quærit, in convivio probat. »

1. *Quem cœna.* Horum amicorum duo sunt genera: quorum alios τὸ σχῆμα honestiores amicitia dignos judicamus, quum tamen nidore culinæ potius, quam amicitiæ honestate aut voluptate ducantur, περὶ τάγηνον, καὶ μετ' ἄριστον φίλει, ut dicebat Eupolis; alios minus periculosos et apertos, parasitos nuncupamus. HERALD. — *Hunc, quem.* Lepidus es, qui quod sodalitium tibi mensa conciliavit, amicitiam existimas!

Esse putas fidæ pectus amicitiæ?
Aprum amat, et mullos, et sumen, et ostrea, non te.
Tam bene si cœnem, noster amicus erit.

2. *Esse putas fidæ*, etc. Magna vero amicitia, et prodigiosa, si amici illi φίλου σκιὰν tantum habent.

3. *Aprum amat, et mulos* Ald. Junt. Colin. Lang. etc. *mullos* codex Pulmanni. — *Aprum amat*, etc. Hic licet Juvenalis meminisse et, immutato aliquantulum versu, dicere: « O aper! o mulli! vobis hunc præstat honorem, Vos amat. » Ed. — *Sumen;* cibi genus maximo in pretio apud Romanos; sed non satis constat quid fuerit sumen. Volunt alii illud factum ex papillis suillis uno die post partum sectis ac salitis. Noster lib. XIII, epigramm. XLIV. Sumen alii putant esse lac suis extractum ac densatum sue occisa. Cæterum *sumen* proprie a *sugendo* dictum: Nam et mulieris mammam *sumen* veteres dici voluerunt. Lucil. Satyr. lib. IV: « Quod si nulla potest mulier tam corpore duro Esse, tamen tenero maneat succussa lacerto, Et manus uberior lactanti in sumine sidat. » Ed.

4. *Amicus eris* edd. vett. Lectionem nostram exhibet cod. Pulm.

XVI.

DE CHLOE.

Inscripsit tumulo septem celebrata virorum
Se fecisse Chloe: quid pote simplicius?

1. *Celebrata.* Id exhibent Ald. Junt. Colin. Gryph. Plaut. Lang. alii. Quidam legunt, *scelerata;* et sic cod. Pulm. — *Celebrata.* Solemnia busta intelligit Domitius; sed sane epithetum est, quod refertur ad Chloen: hoc est, famosa Chloe.

2. *Se fecisse.* Hæc nempe erat inscriptio tumuli, « Chloe fecit »; jocus autem et acumen in voce ambigua *fecit*, qua inscia illa significat non solum se epitaphium, vel tumulum septem maritis posuisse, at se eorum mortis causam, quippe quos ab ea sublatos veneno, « Et otiosa credidit Neapolis Et omne vicinum oppidum. » — *Pote*, neutrum ab adject. *Potis;* id est, potest esse, ut in Cicer. ad Atticum XIII, epist. 38: « hoc quidquam *pote* impurius? » Catul. LXXVII, 16: « Hoc facies, sive id non *pote*, sive *pote*. » Propert. II, 1: « Qua *pote* quisque, in ea conterat arte diem. » Lucret. lib. III: « Nec devitari letum *pote*, quin obeamus. » In Plurali *potis sunt*, idem ac *possunt;* Plaut. Pœn. I, 2, 16; et Varr. de Re Rust. II, 2. Sanctii Minerva, IV, 17, plura refert exempla. Ed.

XVII.

DE COMA EARINI.*

CONSILIUM formæ speculum, dulcesque capillos,
    Pergameo posuit dona sacrata Deo,
Ille puer tota domino gratissimus aula,
    Nomine qui signat tempora verna suo.
Felix, quæ tali censetur munere tellus!
    Nec Ganymedeas mallet habere comas.

* Comam suam detonsam Earinus, Domitiani eunuchus, paulo ante quam lex vetaret, sectus, misit cum speculo Pergamum Æsculapio, deo patrio, nam et Earinus erat Pergamenus. Speculum vero eodem ritu, quo virgines pupas Veneri, milites emeriti arma Herculi donabant. Hanc comam venusto carmine Stat. Sylv. lib. III, et hic Martialis immortalem reddunt.

1. *Consilium formæ speculum.* A quo consilium petere solebat de forma sua.

2. *Pergameo*, etc. Æsculapio, cui nobile fanum Pergami, patrio suo Deo. Pergamus est, Ptolemæo teste, Troadis urbs in Asia Minore, Galeni patria, et chartarum, quæ Pergamenæ dicuntur, inventrix. In hac nobile fanum Æsculapii visebatur, qui inde Pergameus est dictus. — *Posuit dona sacrata Deo.* Vide lib. I, epigr. XXXII, vs. 1. « Vovet totos a vertice crines. »

3. *Ille puer tanto* Ald. Junt. Colin. Gryph. Pulman. Plant. Junian. Lang. et Delph. *Ille puer totæ domino gratissimus aulæ* in quibusdam edd. Lectionem nostram exhibent Grut. Scriv. Farnab. Schrevel. et recentt. —*Domino gratissimus.* Hoc est, quem Domitianus amabat præ cæteris omnibus pueris Palatii. — *Ille puer*, etc. Earinus; vide supra quæ ad epigr. XII, XIII et XIV, et quæ ad istius lemma.

4. *Nomine qui signet* in edd. vett. — *Nomine qui.* Earinus enim a vere (ἔαρ) nomen duxit.

5. *Nomine tellus* Beverlandi MS. — *Felix, quæ tali*, etc. Pergamea tellus beata tanto munere.

6. *Ganymedeas comas.* Ganymedes Trois filius, ita vultu et cæsarie insignis fuit, ut Jupiter eum deperiret, et in cælo sibi a poculis esse, Hebe dejecta, jusserit: unde finxerunt fabulæ illum a Jove in aquilam converso raptum fuisse, quum in Ida monte venaretur. Homer. Iliad. XX; Pausan. V; Cicer. Tuscul. I; Virgil. Æneid. V, 252; Horat. lib. IV, od. 4; Ovid. Metam. X. Præterea de Phryge puero et de pulcherrima illius coma fiet mentio infr. Epigramm. XXXVII, pag. 408. ED.

XVIII.

DE EADEM AD ÆSCULAPIUM.*

Latonæ venerande nepos, qui mitibus herbis
Parcarum exoras pensa, brevesque colos;
Hos tibi laudatos domino sua vota capillos
Ille tuus Latia misit ab urbe puer.
Addidit et nitidum sacratis crinibus orbem,
Quo felix facies judice tota fuit.

Υἱοῦ Λητόος υἱὲ, θρόνοισιν ὃς ἠπιοδώροις
Μοιρῶν ἐκλιπαρεῖς νῆμα, καὶ ἠλακάτην·
Τήνδε κλειζομένην φωναῖς τρίχα δεσποσύνῃσι
Πέμπει σοὶ πόλεως παῖς σὸς ἀπ' Αὐσονίης.
Τῇ τριχὶ δ' εὐαγεῖ καθαρὸν προσέθηκε κάτοπτρον,
Οὗ καὶ ἐπ' εὐθύναις σώζετο κάλλος ἑοῦ.

*Rogat Pergameum Deum Æsculapium, uti Earinum tonsum tam formosum servet, quam fuerat intonsus.

1. *Latonæ nepos.* Latona peperit Apollinem, ex quo et Coronide nympha natus est Æsculapius medicinæ inventor.— *Qui mitibus herbis.* Propter Hippolytum vitæ ab Æsculapio restitutum.

2. *Parcarum exoras pensa.* Ab Æsculapio enim Hippolytum vitæ restitutum fabulantur Poetæ. De Parcis, quæ hominum fata moderantur, jam sæpius dictum.—*Breves colos.* Eleganter pro *brevem vitam dispensantes.*

3. *Hos tibi laudatos dominorum voce capillos* Ald. Junt. Colin. Gryph. Calderin. Pulman. Plant. Junian. Lang. Delph. etc. *Hos tibi laudatos domino sua vota* in codice Vaticano. *Hos tibi laudatos doini* seu *domini rata vota* in Thuaneo. Et sic in Jacobi Hutteri codice; unde Janus Guilielmius emendavit, *domino rata vota;* tonsura enim voti non raro symbolum. Vide lib. I, ep. XXXII. Jun. de Coma, et VV. DD. ad Juvenal. sat. XII, 81.

4. *Ille tuus.* Earinus quippe Pergameus erat, epigr. præcedenti.

5. *Addidit et nitidum.* Speculum, quod consilium formæ vocavit superiori epigr., nunc judicem appellat et quidem incorruptum; quippe quod acceptam formæ speciem sincere reddit.

6. *Judice tota fuit* in edd. vett. in aliis, *judice tuta fuit;* et sic codd.

Tu juvenile decus serva, ne pulchrior ille
In longa fuerit quam breviore coma.

Σῶζε σὺ καὶ νεότητα κόρῳ, μήτ' εἶδος ἀμείνων
Εἴη ἀκερσεκόμης, ἢ τρίχα κειράμενος.

Thuan. Palat. et Gruteri. *Indice tota fuit* codex Pulmanni. Voces *index* et *judex*, ut et *indicium* et *judicium*, sæpissime permutantur ob similitudinem τῶν *in* et *iu* in vet. scriptura. Heins. ad Ovid. Amor. I, 14, 46 legit *culta* pro *tota*; et hæ quoque voces frequenter in libris antiquis confunduntur.

7. *Nec pulchrior ille* Ant. *de Rooy* cogitabat : sed eodem redit. — *Tu juvenile.* Æsculapi, quo favente vigor et sanitas diu retinentur, sanitatem et venustatem in hoc puero retine. — *Ne pulchrior*, etc. Neque rescissa cæsarie rescindatur decus; neque illi, breviore coma, minor adsit pulchritudo. Ed.

XIX.

AD CÆSAREM DOMITIANUM.*

Est mihi, sitque precor longum te præside, Cæsar,
Rus minimum : parvi sunt et in urbe Lares.
Sed de valle brevi, quas det sitientibus hortis,
Curva laboratas antlia tollit aquas.

Ἔστιν ἐμοὶ (καὶ δηρὸν ἔοι σέο, Καῖσαρ, ἐπ' ἀρχῆς)
Γήδιον· ἐν δὲ πόλει καὶ μικρὸν οἰκίδιον.
Ὀργανικοῖς δὲ πόνοις ὀλίγης ἀπὸ νᾶμα φάραγγος
Ἕλκεται, ὥς' ἄρδειν ὄρχατον ἀζαλέον.

* Ait se rusculum habere suburbanum, et urbanam domum; utrumque sitire, et rus et domum : sed agellum posse se irrigare, hausta de vicina valle aqua; domum non posse : petit ergo venulam aquæ Martiæ non procul inde salientis.

1. *Est mihi.* De suburbano Martialis prædio jam dictum est, lib. VIII, epigr. LXI.

3. *Sitientibus herbis* Langius, sine ulla notatione, quum sit *hortis* in aliis vett. — *Brevi, quas det*, etc. Sed de valle subjecta, aqua horto irrigando hauritur.

4. *Cura* Ald. Junt. Colin. Gryph.

Sicca domus queritur nullo se rore foveri,
Quum mihi vicino Martia fonte sonet.
Quam dederis nostris, Auguste, Penatibus undam,
Castalis hæc nobis, aut Jovis imber erit.

Ἀλλ' ὁ δόμος διψῶν, ὅτι μιν ῥανὶς οὔτις ἰαίνει,
Κλαίει, καίπερ ὕδωρ Μάρτιον ἐγγὺς ἔχων.
Ἣν λιϐάδ' ἡμετέροις, Καῖσαρ, μεγάροισιν ὀπάσσεις,
Κασαλὶς ἥδ' ἔςαι, καὶ Διὸς ὄμϐρος ἐμοί.

et Lang. *Curva* in aliis vett. *Curta* Pithœus in Adverss. Subsec. lib. II, cap. 19; et sic ex optimis libris legit Heins. ad Ovid. Fast. II, 645, quem vide. — *Laboratas.* Labore multo petitas. — *Antlia tollit aquas.* Haustrum, machina ad hauriendum. Ab ἀντλέω.

6. *Martia.* De qua egimus lib. VI, epigr. XLII, vs. 18.

7. *Quam dederis nostris,* etc. E qua Martia si per te mihi licuerit, o Domitiane, diducere venulam aquæ in ædes meas, quas ea scis summopere indigere.

8. *Castalis hæc nobis.* Hoc est, illa aqua æque mihi grata erit, ac si e fonte Musarum aut ab ipso Jove daretur; imbrem aureum, in quem conversus fuit Jupiter quum adiit Danaen, forte intelligit. De aqua Castalia, lib. VII, epigr. XXII.

XX.

IN SABELLUM.*

LAUDAS balnea versibus trecentis
Cœnantis bene Pontici, Sabelle.
Vis cœnare, Sabelle, non lavari.

* Hic nulla lectionis varietas in libris aut membr.; nisi quod Beverlandi MS. pro *Sabelle*, in vs. 2, habet *Fabelle*, manifesto errore, quum tamen in lemmate et vs. 3 *Sabellum* ac *Sabelle* scripserit.

1. *Laudas balnea.* Non quod illa probabat, sed quod cœnam captabat. Lib. II, epigr. XIV. — *Versibus trecentis.* Hoc est magna carminum profusione, non autem definito numero. Item Plaut. Persa, act. III, 3, 6: « Trecentis versibus tuas impuritias loqui nemo potest. » Horat. II, od. 4, 79: « Trecentæ Pirithoum cohibent catenæ. » Idem lib. I, sat. VI: « Trecentos inseris, ohe! » ED.

XXI.

AD DOMITIANUM.

Hæc, quæ tota patet, tegiturque et marmore et auro,
Infantis domini conscia terra fuit.
Felix, quæ tantis sonuit vagitibus, et quæ
Vidit reptantes, sustinuitque manus!
Hic steterat veneranda domus, quæ præstitit orbi,
Quod Rhodos, astrifero quod pia Creta polo.
Curetes texere Jovem crepitantibus armis,

Ἦδ' ἐπίχρυσος ὅλη, καὶ λύγδῳ πᾶσα καλυπτὴ
Γῆ κουριζομένου μάρτυς ἄνακτος ἔην.
Ὀλβίη, ἣ παιδνοῖσι κατηχηθεῖσα γοασμοῖς
Ἑρπύζοντος ἔτλη γυῖα, καὶ ἠὑγάσατο.
Ἐνθάδ' ἔην οἴκημα σεβάσμιον, ὅ,ῤῥ' ἀνέτειλεν
Ὅ,ττι Ῥόδος, καὶ γῆ Κρῆσσ' ἀνέδωκε πόλῳ.
Τὸν Δία Κούρητες πατάγῳ ῥύσαντο, Φρύγεσσι

1. *Hæc, quæ tota patet.* Illic enim conditum est templum Flaviæ gentis marmoreum atque inauratum, quod possunt omnes adire.

2. *Infantis domini.* Hic locus nascentem Domitianum excepit.

3. *Felix o tantis* ed. antiq. Ferrar. an. 1471. Gruterus scripturam Palatini probat, legentis : *O felix quantis sonuit vagitibus, et quas.* Nec dubitat de veritate hujus scripturæ, quum ei patrocinentur, et quasi columnam supponant omnibus literis membranæ aliæ, et editio omnium antiquissima. — *Quæ tantis*, etc. Quæ suscepit Domitianum, ut Rhodos Neptunum, ut Creta Jovem. Vel, quæ non minus præstitit orbi, suscepto Domitiano, quam Rhodos et Creta cælo, Jove suscepto. Rhodii enim Telchines iidem qui Curetes. Vid. libr. IV, epigr. 1, vs. 2.

7. *Cretenses texere Jovem* in Ald. Junt. Colin. Gryph. Pulm. Plant. Junian. Lang. Delph. etc. — *Curetes.* Cybeles sacerdotes qui Jovem clam subductum Saturno aluerunt in Creta insula. Hanc fabulam lege apud Natalem Comitem lib. IX, cap. 7, et Lucret. lib. II, 633, ubi de Curetibus sic loquitur : « qui Jovis illum Vagitum in Creta quondam occultasse feruntur, Quum

Semiviri poterant qualia ferre Phryges.
At te protexit Superum pater, et tibi, Cæsar,
Pro jaculo et parma, fulmen et ægis erat.

Τῶν εὐβαςάκτων θηλυδρίησιν ὅπλων.
Χεὶρ δὲ Διὸς, Καῖσάρ, σ' ἐῤῥύσατο· τόφρα καὶ αἰγὶς
Ἀντὶ σοὶ ἦν πέλτης, ἀςραπὴ ἀντὶ βέλους.

pueri circum puerum pernice chorea, Armati, in numerum pulsarent æribus æra. »

8. *Semiviri.* Corybantes seu Curetes, Cybeles comites, castrati, ex Phrygia orti, lib. I, epigr. LXXI, vs. 10, et lib. III, epigr. XCI.

9. *Porrexit superum* Beverlandi MS. — *At te protexit.* Vitelliano bello, delitescentem in Capitolio. Suetonius in Domitiano. Et Tacitus Historiarum lib. III, cap. 1.

10. *Jaculo*, etc. Ense et scuto, quæ Corybantum arma sunt. — *Ægis erat.* Vid. lib. VII, epigr. 1, vs. 1 et 4.

XXII.

AD AUCTUM.*

Artemidorus habet puerum; sed vendidit agrum:
Agrum pro puero Calliodorus habet.
Dic, uter ex istis melius rem gesserit, Aucte?
Artemidorus amat, Calliodorus arat.

* Nullam lectionis varietatem in hoc epigrammate exhibent exemplaria scripta, aut excusa. — Ludit in Paronomasia versus ultimi, et antithetis vocum *amat* et *arat*.

XXIII.

AD PASTOREM.*

Credis ob hoc me, Pastor, opes fortasse rogare,

* Liberalem sibi inesse animum profitetur.

1 *Credis ob hæc* Gruterus ex codd. — *Pastor* an hic Julius, de quo

Propter quod vulgus crassaque turba rogat;
Ut Setina meos consumat gleba ligones,
Et sonet innumera compede Tuscus ager;
Ut Mauri Libycis centum stent dentibus orbes,
Et crepet in nostris aurea lamna toris;
Nec labris nisi magna meis crystalla terantur,
Et faciant nigras nostra Falerna nives;
Ut Canusinatus nostro Syrus assere sudet,
Et mea sit culto sella cliente frequens;
Æstuet ut nostro madidus conviva ministro,

Plinius Junior lib. I, epist. xviii. An ejus frater, qnem impius Caligula interfecit, ut est apud Senecam, lib. III de Ira, cap. 33?

2. *Propter quæ* in Gruteri codd. — *Propter quod*. Ad luxum nempe et voluptates, plerique vulgo divitias optant.

3. *Ut Setina*. Setia civitas Latii, unde optimum vinum. Adi lib. IV, epigr. lxiv, et supra epigr. iii.

4. *Innumera compede*. Hoc est, ut innumeri servi compedibus vincti opus faciant in meis Etruriæ agris. Lib. III, epigr. xxix, vs. 1. Vinciebantur servi in agris. Tibullus, lib. II, 6, 25: «Sæpe etiam valida solatur compede vinctum, Crura sonant ferro: sed canit inter opus.»

5. *Ut magni* Beverlandi MS. — *Ut Mauri Libycis*. Hoc est, mensæ allatæ ex Manritania impositæ dentibus Libycis, id est, dentibus eburneis elephantorum, quibns abundat Libya. Lib. II, epigr. xliii: «Tu Libycos Indis suspendis dentibus orbes.» Tò *centum* forte refertur ad *orbes*.

6. *Lamma* codex Pulmanni. Librarius procul dubio invenerat in exemplari suo, *lama*, i. e. *lamna*, quod et *lamma* legi possit, si tale fuerit verbum. Sed *lamna* est contractio pro *lamina*; et hoc *lamma* legi possit, et ex marginali glossa verisimile sit. — *Et crepet*. Aurea nempe bractea lecti, quibus accumbebant, ornabautur. Lib. VIII, ep. xxxiii.

7. *Crystalla*. Quæ apud Romanos summo erant in pretio.

8. *Faciant*, etc. Dum nives quibus diluitur vinum Falernum, nigrescunt a vino. — Nigrescunt vero quia Falernum subnigri coloris est. Lib. V, epigr. lxiv.

9. *Ut Canusinatus*. Hoc est, ut servi ex Syria missi vestibus indnti ex lana Canusina confectis, de qua lib. XIV, epigr. cxxvii et cxxix. — *Assere sudet*. Id est, sub lecticæ ligno prominenti, cui servi humeros subjiciunt: Cannsinm vero Apulorum Danniorum oppidum.

10. *Frequens*. Stipata. Nec ideo peto divitias, ut habeam multos anteambulones, comites, clientes togatos.

11. *Æstuet ut nostro*. Amore nimirum nostri Ganymedis. Vid. infra, epigr. xxvi. — *Madidus*, vino.

Quem permutatum nec Ganymede velim;
Ut lutulenta linat Tyrias mihi mula lacernas,
Et Massyleum virga gubernet equum.
Est nihil ex istis : superos, ac sidera testor.
Ergo quid? Ut donem, Pastor, et ædificem.

12. *Velim*, ut nos, exhibent edd. vett. Alii, pro lectione hac, *velis;* alii, *velit.*

13. *Tyrias mihi.* Ut mihi mula vecto vestes purpureæ inquinentur.

14. *Et Massyla meum* codex Pulmanni. — *Et Massyleum.* Massyli seu Numidæ virga, non frænis, regunt equos. Virgilius, Æn. IV. Item Lucanus, lib. IV : «Et gens quæ nudo residens Massylia tergo Ora levi flectit frænorum nescia virga», etc.

XXIV.

AD CARUM.

O cui virgineo flavescere contigit auro,
Dic ubi Palladium sit tibi, Care, decus?
Aspicis en Domini fulgentes marmore vultus,
Venit ad has ultro nostra corona comas.
Albanæ livere potest pia quercus olivæ,
Cinxerit invictum quod prior illa caput.

1. *O cui.* Quærit a Caro suo amico, ubinam posuerit auream coronam, qua donatus fuerat in ludis celebratis in honorem Minervæ, lib. IV, ep. LIV; unde aurum virgineum dicitur, quasi ab ipsa virgine Minerva donatum.

2. *Palladium decus.* Id est, Palladia corona, sive in certamine Palladi sacro reportata, et quasi ab ipsa Pallade accepta. Sic *regium decus*, diadema et corona regia.

3. *Aspicis en.* Respondet Carus marmoreæ Domitiani statuæ se imposuisse suam coronam.

5. *Albanæ livere.* Subjungit Martialis : Querna corona quam solet ferre Imperator, lib. VIII, epigr. LXXXII, poterit invidere huic olivæ Albanæ, hoc est, coronæ aureæ factæ in similitudinem foliorum olivæ, quam tu, o Care, in Albano monte, ubi celebrabantur Quinquatria, reportasti, et qua coronasti statuam Cæsaris : pia autem quercus dicitur, quod Jovi dicata sit.

6. *Cinceret invictum* Junt. an. 1512. Cætera, nulla est lectionis varietas in hoc epigrammate.

XXV.

AD EUMDEM.*

Quis, Pallatinos imitatus imagine vultus,
Phidiacum Latio marmore vicit ebur?
Hæc mundi facies; hæc sunt Jovis ora sereni;
Sic tonat ille Deus, quum sine nube tonat.
Non solam tribuit Pallas tibi, Care, coronam;
Effigiem domini, quam colis, illa dedit.

* Idem argumentum de statua Domitiani, quam in ædibus suis factam colebat Carus: hujus elegantiam artemque prædicat.

1. *Pallatinos vultus.* Hoc est, quis statuarius Domitiani (Palatinam domum habitantis) formam tam bene expressit, ut ipsum Phidiam cælando ebore præstantem, de quo lib. VI, epigr. XIII, superaverit?

3. *Hæc mundi.* Hoc est, facies illa quam mundus adorat et veneratur, quæ mundum regit. — *Hæc sunt Jovis ora.* Talis fingitur Jovis facies, sed placidi, sed sereni. Ita Theseus de Plutone apud Senecam in Herc. Fur. vs. 723 *Vultus est illi Jovis, Sed fulminantis.*

4. *Quum sine nube tonat.* Hoc est, sine ira, quæ frontis serenitatem turbet.

5. *Non solam.* Minerva dedit coronam de qua epigr. præced.; sed præterea hanc Domitiani statuam munerata est, cujus mirum artificium nulli potest nisi ipsi tribui.

6. *Quam colit* codex Pulmanni. Lectionem nostram exhibent Ald. Junt. Colin. Gryph. Calderin. Plant. Junian. Lang. Delph. etc.

XXVI.

IN AFRUM.*

Dantem vina tuum quoties aspeximus Hyllum,

Ὕλλον ὅτ' οἰνοχοεῦντα τεὸν θεράποντα θεῶμαι,

* Zelotypum irridet, rogans an nefas pulchra intueri, an ergo nefas in venustum pocillatorem oculos conjicere.

1. *Hylum* in quibusdam vett. et sic codd. Juvenalis. — *Hyllum.* Pulchrum nempe et « nigris oculis nigroque crine decorum », ut ait

Lumine nos, Afer, turbidiore notas.
Quod, rogo, quod scelus est mollem spectare ministrum?
Aspicimus solem, sidera, templa, Deos.
Avertam vultus, tanquam mihi pocula Gorgon
Porrigat, atque oculos oraque nostra tegam?
Trux erat Alcides; sed Hylam spectare licebat.
Ludere Mercurio cum Ganymede licet.
Si non vis teneros spectet conviva ministros:
Phineas invites, Afer, et Œdipodas.

Σκυθρωπὸς ϛυγνοῖς μ' ὄμμασιν, Ἄφρε, βλέπεις.
Καὶ τί ἔρεξα κακὸν θηεύμενος ἁϐρὸν ὑπουργόν;
Θηεῦμαι νηοὺς, ἥλιον, ἄϛρα, θεούς.
Ἀρ' ἀντικρὺ πρόσωπον ἀποϛρέφω, ὥϛπερ ἂν εἴ μοι
Δῷ δέπας ἡ Γοργὼν, ὄσσε καλυπτόμενος;
Ἀλκείδης ἦν ὠμὸς, Ὕλαν ἀτὰρ εἰδέμεν ἐξῆν·
Ἐψιάαν Ἑρμῇ σὺν Φρυγὶ παιδὶ πάρα.
Εἰ φθονέεις συσσίτῳ ὁρᾷν μαλακοὺς θεράποντας,
Ἑϛίασον Φινεῖς, Ἄφρε, καὶ Οἰδίποδας.

Horat. Carm. lib. I, od. 32, 11. Ed.

2. *Lumine turbidiore notas.* Timens nempe ne quis eum amet, et amato potiatur.

5. *Gorgon.* Sic dicitur Medusa, quod e tribus Gorgonibus apud poetas est celebratissima, quamvis sola morti obnoxia esset, quum duæ illius sorores neque senectutem, neque mortem pati possent. Hanc raptam et in templum Minervæ translatam Neptunus compressit. Minerva, ut aiunt alii, formosam Medusæ comam in angues horridos vertit, et illius oculis eam indidit vim, qua mutaret in saxa, quoscumque aspiceret. Hom. Iliad. V, 11; Hesiod. Theog. Pindar. Pyth. VII, Olymp. III; Apollod. II, 4; Pausan. II, 16; Apollon. IV; Cicer. Verrin. IV, 56; Virgil. Æn. II, 616; Ovid. Metam. IV, 655, V, 180. Ed.

6. *Porrigat, et vultus oraque nostra tegat* codex Pulmanni: *oraque nostra petat* Beverlandi MS.

7. *Sed Hylam.* Herculis puerum notissimum de quo egimus lib. V, epigr. XLVIII.

8. *Cum Ganymede.* Jovis puero. Vid. supr. epigr. XVII, vs. 6.

10. *Phineas.* Accusativus est græcus. Phineus duas uxores duxit; alterius suasu susceptos ex priore liberos excæcavit, quam ob causam et ipse a Diis excæcatus est. Œdipi vero historia nota est ex antiquis omnibus, qui, cognitis suis sceleribus, sibi ipse oculos effodit. Sensus est: O Afer, cæcos invites.

XXVII.

DE NERVA.

AUDET facundo qui carmina mittere Nervæ,
  Pallida donabit glaucia, Cosme, tibi.
Pæstano violas, et cana ligustra colono,
  Hyblæis apibus Corsica mella dabit.
Sed tamen et parvæ nonnulla est gratia Musæ :
  Appetitur posito vilis oliva lupo.
Nec tibi sit mirum, modici quod conscia vatis
  Judicium metuat nostra Thalia tuum.

1. *Nervæ*. Cujns versus jam laudavit lib. VIII, epigr. LXX, et Plinius junior lib. V, epist. 3.

2. *Pallida*, etc. Ille non minus inepte facit, quam qui Cosmo seplasiario atque myropolæ optimo mittit vilem pallentis meminthes sive papaveris corniculati succum, qui glaucinm vocatur. *Pallida donabit glaucina* in quibusdam. — *Pallia donavit glaucina* in Ald. Junt. Colin. Gryph. Pnlman. Calderin. Plant. Jnnian. Lang. et Delph. Sed *Pallida donabit glaucia* in optimis codicibus; sic Grnt. Scriv. Farnab. et Schrevel. Illnd tamen si receptum fuerit, hic erit sensus : Qui versiculos tibi, Nerva, mittit, perinde facit ac si te donaret vestibus coloris glanci, quum tibi sit purpurearum vestinm copia.

3. *Pæstano violas*. Pæstnm, quæ et *Posidonia* qnia Neptuno (Græce Ποσειδῶν) sacra (hodie *Agropilli*), Lucaniæ oppidum. Ager autem Pæstanus omni florum genere abundavit, at rosarum præcipne. Lib. V, epigr. XXXVII, vs. 9. ED.

4. *Hyblæis*, etc. Ipse apibns, vel, iis, qui habent apes Hyblæas, mittet amari saporis mella Corsica. — *Corsica mella*. Amari nempe saporis. De Hybla jam dictum lib. VII, epigr. LXXXVIII, vs. 8.

6. *Et petitur*, vel *Ut petitur* conjicit Ant. *de Rooy*. Codex Pulmanni, *posito jugis;* et sic ex Vaticano et Pnteaneo legit Heinsius ad Cland. de Nupt. Honor. et Mar. vs. 267. Nostram lectionem exhibent ed. antiq. Ferrar. an. 1471 et Ald. Junt. Colin. Gryph. etc.—*Appetitur*, etc. Neque enim appositis in lautissimo convivio delicatis piscibus, fastidimns viles olivas.—*Posito lupo*. Pisce delicato.

7. *Nec tibi*. Nervam alloquitur, cujus aurem censoriam timebat ipse Nero. Lib. VIII, epigr. sup. citat.

8. *Thalia tuum*. Lib. IV, epigr. VIII, vs. 12, et lib. VII, epigr. XVII, vs. 4. — *Judicium metuat* te-

Ipse tuas etiam veritus Nero dicitur aures,
Lascivum juvenis quum tibi lusit opus.

stantur Palat. cod. et ed. Ferrar. a. 1471, Ald. Junt. Colin. etc. *Judicium metuit* codd. Thuan. et Pulm. *Judicium meruit* codex Vaticanus.

10. *Lusit opus.* Fortean Nerva unus ex iis adolescentulis quibus id officii apud principem fuit « considere simul, et adlatos vel ibidem repertos versus connectere, atque ipsius verba quoquo modo prolata supplere ». Tacit. Annal. l. XIV, c. 16. *Ludere* vero est, levia scribere; Virg. Eclog. 1, vs. 10: « *Ludere* quæ vellem calamo permisit agresti. » Ed.

XXVIII.

IN CHRESTUM.

Quum depilatos, Chreste, coleos portes,
Et vulturino mentulam parem collo,
Et prostitutis lævius caput culis,
Nec vivat ullus in tuo pilus crure,
Purgentque crebræ cana labra volsellæ;
Curios, Camillos, Quintios, Numas, Ancos
Et quidquid usquam legimus pilosorum
Loqueris, sonasque grandibus minax verbis;
Et cum theatris sæculoque rixaris.
Occurrit aliquis inter ista si draucus,
Jam pædagogo liberatus, et cujus

1. *Chreste.* De quo jam lib. VII, epigr. LV.

3. *Prostitutis*, etc. Cinædorum.

5. *Purgentque sævæ* in cod. Pulmanni, cum edd. vett. Ferrar. Ald. Junt. Calderin. etc. *Pingantque crebræ* in aliis. — *Purgentque.* Vid. lib. II, epigr. XXIX.

6. *Curios*, etc. Ei habea usque in ore Curii, Numæ et μακροπωγώνων veterum incultam gravitatem et continentiam. Sic lib. I, epigr. XXV.

9. *Et cum theatris*, etc. Et exclamas : O tempora! o mores! indignatus theatra et sæcula hæc, quasi ludicra et lasciva nimis.

10. *Ista draucus, et* in edd. vett. In codice Pulmanni: *ista si draucis;* unde ille nostram eruit lectionem.

11. *Jam pædagogo.* Qui ex ephebis excesserit.

Refibulavit turgidum faber penem,
Nutu vocatum ducis, et pudet fari,
Catoniana, Chreste, quod facis lingua.

12. *Refibulavit turgidum.* Fibulam solvit et sustulit. Lib. VII, epigr. LXXXII.

13. *Pudet fari.* Jubet me pudor tacere quid agat lingua tua, qua te profiteris tertium moribus Catonem. — Vel qua nihil crepas nisi Catone digna.

14. *Facis lingua.* Ut et lib. II, epigr. LXXII.

XXIX.

EPITAPHIUM LATINI.*

DULCE decus scenæ, ludorum fama, Latinus
Ille ego sum, plausus, deliciæque tuæ :
Qui spectatorem potui fecisse Catonem,
Solvere qui Curios Fabriciosque graves.
Sed nihil a nostro sumpsit mea vita theatro,

Σκηνῆς ἀγλαΐη, θυμέλης κλέος ἡδὺ, Λατῖνος
Κεῖνος ἐγὼ, σὸς ἔρως, ξεῖνε, σός εἰμι κρότος·
Ὅς τε Κάτωνα μέγαν ποιεῖν ἴσχυσα θεωρὸν,
Κούριον ὃς διαχεῖν, Φαβρίκιόν τ' ἄγελων.
Οὔτ' ἐμὸς ἡμετέρου βίος οὐδὲν ἀπηῦρε θεάτρου,

* Latinum arte mimica nobilem et immortalem laudat a morum innocentia, et vita procul a scenica licentia distante. Vid. lib. I, epigr. v.

1. *Dulce decus.* Jam τὸ *dulcis* aut *dulce* hisce verbis, *decus*, *gloria*, frequenter jungi notatum est. Horat. lib. I, od. 1, vs. 2, et Nostri lib. VIII, epigr. ultimo. ED.

2. *Plausus.* Sic lib. X, epig. LIII, de Scorpo; « plausus, Roma, tui deliciæque breves ».

3. *Fecisse Catonem.* Virum nempe omnium gravissimum, seu Uticensem intelligas, seu censorem. Recurrere est ad lib. I, epigram. 1.

4. *Solvere qui.* Hoc est, risum excitare Curiis et Fabriciis viris severis, de quibus Livius, et passim alii.

5. *Sed nihil a verso* in Vat.; unde Beverl. legi jussit : *Sed nihil a vestro.* Nostram lect. habent edd. vett. — *Sed nihil.* Hoc est, gestu quidem lascivus fui, at moribus

Et sola tantum scenicus arte feror :
Nec poteram gratus Domino sine moribus esse ;
Interius mentes inspicit ille Deus.
Vos me laurigeri parasitum dicite Phœbi,
Roma sui famulum dum sciat esse Jovis.

Ἀλλ' ἀπὸ τῆς τέχνης σκηνικὸς ἦα μόνον·
Οὐκ ἂν ἐμῷ γὰρ ἐγὼν ἀρετῆς ἄτερ ἦρεσ' ἄνακτι.
Ἐνδοτέρας ὁ θεὸς κεῖνος ὁρᾷ πραπίδας.
Ὑμεῖς μή με κικλήσκετ' Ἀπόλλωνος παράσιτον·
Ῥώμη δὲ γνῷ ἑοῦ δοῦλον ἐόντα Διός.

probus ; sic Martialis de se ipso, lib. I, epigr. v, vs. 8 : « Lasciva est nobis pagina, vita proba est. »

6. *Et sola arte.* Moribus enim probus sum.

7. *Nec poteram*, etc. Sanctimoniæ nempe et castitatis gloriam Domitianus aucupabatur. Unde supra : « Tibi, pudice princeps, gratias agunt urbes, » etc. et similia passim. Ed.

8. *Interius mentes suspicit* ed. antiq. Ferrar. an. 1471. Ald. Junt. Colin. Gryph. Calderin. Pulmann. Plant. etc. *Interius mentes inspicit* Beverlandi MS. cum edd. Grut. Scriv. Farnab. Schrevel. et recentt.

9. *Parasitum dicite Phœbi.* Turnebus, lib. XXI, cap. 24. Mimi et histriones dicti sunt parasiti Apollinis : aliquando parasitos Apollinis interpretatur Verrius mimos secundarum partium, quod ludis Apollinaribus in mimis fere essent parasiti illarum partium actores, etc.

10. *Roma sui.* Hoc est, dum sciat Roma me exercuisse artem scenicam propter Domitianum Deum, non autem propter alios.

XXX.

EPITAPHIUM PHILÆNIS.*

SÆCULA Nestoreæ permensa, Philæni, senectæ,
Rapta es ad infernas tam cito Ditis aquas?

* Epitaphium Philænis, sagæ, lenæ et lupæ; cui terram levem precatur, et tam levem ut illius corpus a canibus effossum devoretur.

1. *Nestoreæ permensa.* Hoc est, quæ attigisti annos Nestoris; ille nonaginta annos vixit, ut diximus alibi. De Philæni vero, lib. VII, epigr. LXVII.

2. *Tam cito.* Hoc est, tam ma-

Euboicæ nondum numerabas longa Sibyllæ
  Tempora, major erat mensibus illa tribus.
Heu quæ lingua silet! non illam mille catastæ
  Vincebant, nec quæ turba Serapin amat;
Nec matutini cirrata caterva magistri,
  Nec quæ Strymonio de grege ripa sonat.
Quæ nunc Thessalico Lunam deducere rhombo,

ture : id quod per ironiam dictum Poetæ perspicuum est.

3. *Euboicæ Sibyllæ*. Hoc est, Cumanæ, de qua Virgilius Ecloga IV; quæ a Phœbo impetraverat, ut tot annos viveret, quot arenarum corpuscula manu capere posset. Ovidius Met. XIV. — *Euboicæ*. Eubœa enim insula Ægæi maris, in qua Chalcis civitas; et Chalcidici coloniam Cumas deduxere, unde et ipsæ Cumæ Euboicæ dictæ. Virg. Æneid. lib. VI, 2 : « Et tandem Euboicis Cumarum allabitur oris. »

4. *Major erat*, etc. Fingit hyperbolice poeta defuisse Philænidi tres tantum menses de ætate Sibyllæ. Scriverius conceptum hariolatur *messibus*. Sed prior scriptura pluribus magis arridet.

5. *Quæ lingua silet!* Quam vocalis et Stentorea! scilicet loquacissimam fuisse ostendit. Alii scribunt *siles*. — *Catastæ*. Servi in catastis, id est, pegmatibus, ita venales expositi. Lib. VI, epigr. XXIX, vs. 1. De lignea hac machina, ubi servi, natura sua loquacissimi, venales exponebantur, jam egimus ad hunc locum nostri poetæ.

6. *Quæ turba*, etc. Isidis sacerdotes invento Osiri, Juven. sat. VIII, vs. 28; vel impura turba quæ in Serapidis sacris solennibus ad Canopum per fossam ex Alexandria descendunt in naviculis cantantes, frementes, etc. Strabo, lib. XVII. — *Turba Serapin*, etc. Deum Ægyptiorum, cujus solennia celebrabant Ægyptii magnis clamoribus. Strab. libro eodem.

7. *Curiata caterva* Beverl. MS. — *Cirrata caterva magistri*. Pueri cirrati in scholis. Pers. sat. I, vs. 29. — *Nec matutini*. Hoc est, nec pueri, qui summo mane jam magistrum adibant. Juv. Sat. VII, 222, alloquens magistrum : « Dummodo non pereat, mediæ quod noctis ab hora Sedisti, qua nemo faber, qua nemo sederet, Qui docet obliquo lanam deducere ferro », etc.

8. *Strymonio grege*, etc. Gruibus, imminente tempestate vel hyeme, magno cum clangore e Thracia, cujus Strymon fluvius, advolantibus. — Juxta vero Strymonis ripas multæ erant grues (Virg. Georg. I, Strymoniæque grues); quæ gregatim vivere solent; unde eas per hanc περίφρασιν, *Strymonio de grege*, designat.

9. *Thessalico*. Thessaliam olim veneficiis atque incantationibus famosissimam fuisse, satis notum. Vide Apuleii celeberrimum opus Asinum aureum. — *Rhombus* turbo erat, quem in orbem agebant veneficæ. Theocriti Pharmaceutria. Horatius, Epod. XVII. « Canidia parce voci-

Quæ sciet hos illos vendere lena toros?
Sit tibi terra levis, mollique tegaris arena,
Ne tua non possint eruere ossa canes.

bus tandem sacris, Citumque retro solve, solve turbinem. » Et noster poeta, lib. XII, epigr. LVII.

10. *Lena.* Amorum est conciliatrix.

11. *Sit tibi terra levis.* Vide lib. I, epigr. LXXXIX, vs. 2, cujus precationis formulam invertit Poeta versu seq. dicens : Sit tibi terra tam levis, ut ossa tua a canibus effossa rodantur. Sic Ammianus, Εἴη σοι κατὰ γῆς, etc. Antholog.

XXXI.

IN PIETATEM NIGRINÆ.*

Cappadocum sævis Antistius occidit oris
Rusticus : o tristi crimine terra nocens!
Rettulit ossa sinu cari Nigrina mariti,
Et questa est longas non satis esse vias :
Quumque daret sanctam tumulis, quibus invidet, urnam,
Visa sibi est rapto bis viduata viro.

* Antistii Rustici tumulus, et pietas Nigrinæ describitur.

— *De Antistio* inscriptio est in Ald. Junt. Colin. etc. *De Antistio Rustico* in Plant. Junian. Pulmann. Lang. aliis. Cætera, nulla est in scriptura varietas.

1. *Cappadocum*, etc. Impiam Cappadocum terram dixit, lib. VI, epigr. LXXXV, vs. 3.

3. *Rettulit ossa*, etc. Ex Armeniæ Cappadocia Romam. Ita enim solebant ossa amicorum et carorum, e terra peregrina ad patrium solum referre. Et sic Germanici e Syria Romam Agrippina. Tac. Annal. III, cap. 1. Quod ut fieret, multi etiam testamento cavebant, ut patet ex Inscriptionibus. Mulieres autem ossa sinu legebant, ut Heraldus docet lib. I. Adversarior. Vide Tibull. I, eleg. 3, 6, editionis nostræ pag. 33. Ed.

4. *Et questa est.* Quamvis ex Cappadocia longum esset iter Romam, tamen quia illic mariti reliquias tumulo condere debebat Nigrina, cupiebat etiam longius esse, ne tam cito reliquias, quas sinu fovebat, deponeret.

5. *Quibus invidet, urnam.* Erepturis illi et servaturis ossa mariti in urna deposita.

6. *Bis viduata viro.* Primo quum occidit maritus, et rursus quum ejus ossa condere coacta est.

XXXII.

DE VELII VOTO.*

Dum comes Arctois hæreret Cæsaris armis
  Velius, hanc Marti pro duce vovit avem.
Luna quater binos non tota peregerat orbes,
  Debita poscebat jam sibi vota Deus.
Ipse suas anser properavit lætus ad aras,
  Et cecidit sanctis hostia parva focis.
Octo vides patulo pendere numismata rostro

Βαίβιος Ἀρκτῴουσδε κιὼν ἅμα Καίσαρι, ῥέξειν
  Ηὔξαθ' ὑπὲρ κείνου πτηνὸν Ἄρηϊ τόδε.
Κύκλα μὲν οὐ μήνη δὶς τέσσαρα πλῆσεν, ἀπήτει
  Τῆς εὐχῆς ὁ θεὸς χρεῖος ὀφειλόμενον.
Εὐθὺς χὴν βωμοῖσι παρίσταται αὐτοκέλευστος,
  Καὶ πέσε θῦμ' ἱεροῦ βαιὸν ἐπ' ἐσχαρίου.
Ὀκτὼ ὁρᾷς εὐρῆος ἀπήορα κέρματα ῥάμφους;

* Velius Crispus in expeditione Sarmatica, sequutus Domitianum, vovit Marti anserem, velut custodem Cæsaris: hunc laudat Poeta, et simul auctorem pacis esse Cæsarem ex numismatum symbolo ostendit. Raderus.

— *De Vebii voto* in Ald. Junt. Colin. etc. *De Vibii voto* in aliis vett. *Ad Cæsarem de ansere* codex Pulmanni.

1. *Dum comes Archadis* Beverl. MS. — *Dum comes Arctois.* De expeditione Sarmatiæ, quæ est ad Septemtrionem, jam sæpe dictum. Vide lib. VII, epigr. v. Vibii cujusdam mentionem facit Suetonius in Domitiano cap. 3.

2. *Vebius hanc* in edd. vett. *Vibius hanc* in aliis. *Velius hanc* Beverlandi MS. — *Vovit avem.* Anserem nempe Romani Imperii custodem. Lib. XIII, epigr. LXXIV.

3. *Luna quater binos.* Nondum elapsi erant octo menses, jam Sarmaticum bellum erat confectum.

4. *Deus.* Mars; redeunte Cæsare, parta ex Sarmatis laurea.

5. *Ipse suas anser.* Quum autem renitens iret ad aras, quæ immolanda erat victima, omen infaustum habebatur.

6. *Et cecidit.* Solenne verbum in sacris. Vide Brisson. lib. I. Form.

7. *Octo vides.* Ad Martis sane statuam posita fuit argentea anseris

Alitis? hæc extis condita nuper erant.
Quæ litat argento pro te, non sanguine, cæsa
Victima, jam ferro non opus esse docet.

Τοῦ πτηνοῦ σπλάγχνοις ταῦτ' ἐνικεκρύφατο.
Σεῦ ὕπερ ἀργυρίῳ, κ' οὐχ αἵματι καλλιερῶν χὴν
Φησὶν, ἄναξ, ὁτιὴ μηκέτι δεῖ χάλυβος.

effigies, ex cujus rostro pendebant octo nummi, qui octo menses in peragendo bello Sarmatico insumptos significarent.

8. *Hæc extis.* Nempe anseris præcordiis condita erant numismata, dum bellum fieret.

9. *Non sanguine Cæsar* in codd. Bodl. Scriv. et Beverlandi MS. *non sanguine cæsa* in edd. vett. — *Quæ litat argento.* Intelligere hic videtur Poeta, temporibus Domitiani argenteam ætatem rediisse, quum dicat, jam non opus esse ferro. Forte, inquit Raderus, intelligit, non sanguine, nec pugna, sed argento a barbaris redemptam fuisse pacem, ut patet ex Dionis fragmento, item e Tac. Agr. cap. 64: at sic intellectus sensus Carminis Velio sane et Martiali gravissimum damnum attulisset. Judicet lector.

XXXIII.

QUALEM VELIT AMICAM.

Hanc volo, quæ facilis, quæ palliolata vagatur;
Hanc volo, quæ puero jam dedit ante meo;
Hanc volo, quam redimit totam denarius alter;

1. *Palliolata.* Nam *palliolum* et *pallium* veteres non tantum quo humeros tegerent, sed etiam quo capita velarent, appellarunt. Et id cinædis et mollibus usitatissimum. *Palliola* quoque mulierum, et præcipue meretricum. Sic Ovid. Art. Am. lib. I, 733: « Arguat et macies animum: nec turpe putaris Palliolum nitidis imposuisse comis. » Ita enim vetustissimæ membranæ scriptum exhibent, quamquam vulgatæ omnes editiones habeant *Pileolum*, etc. Salmasius. — Alii interpretantur: non togata, non stolata, sed ancillari habitu vestita.

2. *Dedit*, etc. Lib. II, ep. xlix.

3. *Redimit totam denarius* « Omnibus modis largam ». ut lib. XII, epig. lxv; Ausonius, epig. lxxi, vs. 7. « Deglubit, fellat, molitur per utramque cavernam. » Vide lib. II,

Hanc volo, quæ pariter sufficit una tribus.
Poscentem nummos, et grandia verba sonantem,
Possideat crassi mentula Burdigali.

epigr. LII. — *Alter.* Duo denarii. Viliores hæc *Diobolares* a Plauto eleganter appellantur.

6. *Crassi Burdigali.* Divitis fatui, insulsi, an simpliciter, *crassi.* — «Gruterus notat MSS. omnes et olim excusos habere *Burdigalæ:* et eam scripturam esse revocandam. Sed in MS. qui quondam Pircheimeri, postea Comitis Arondeliæ fuit, inveni, *Burdigalem.* Hoc igitur nomen meretricis est, quam dicit *Poscentem nummos et grandia verba sonantem.* At præterea *Crassi* scribendum, id est, hominis divitis et opulenti, propter Licinium Crassum ditissimum Romanorum.» Gronovius. — Non probo *Burdigali* hic pro *Burdigalensis*, et *crassi* (adj., non nomen propr.) de statura omnino intelligendum. Sexcenties Gallos Noster irridet, provinciali ego crediderim æmulatione Hispanias inter et Gallias; et inter multa corporis crassitudinem sæpe objicit. Vid. lib. VIII, epigr. LXXV in Lingonum, «Gallus qua se ratione moveret?» et passim. Jam sensus patet, malignus et mordax in Gallos. Et sic multi hodie, quibus Britannos cavillari in deliciis est, dicerent: «Poscentem nummos, et grandia verba sonantem, Possideant crassi Londiniensis opes.» Ed.

XXXIV.

AD FLACCUM.

Audieris in quo, Flacce, balneo plausum;
Morionis illic esse mentulam scito.

2. *Morionis.* Alii, *Mutonis*, id est, mutoniati; alii, *Mathonis;* cod. Palat. *Maronis.* Nostram lectionem exhibent edd. vett.

XXXV.

DE TEMPLO GENTIS FLAVIÆ.

Jupiter Idæi risit mendacia busti,

Ζεύς ποτε τῆς Ἴδης ψεύστην τάφον ἐξαθέρισσεν,

1. *Idæi busti.* Mendaces enim Cretes finxerunt Jovem interiisse,

Dum videt Augusti Flavia templa poli :
Atque inter mensas largo jam nectare fusus,
Pocula quum Marti traderet ipse suo;
Respiciens Phœbum pariter Phœbique sororem,
Cum quibus Alcides et pius Arcas erat :
Cnossia vos, inquit, nobis monumenta dedistis;
Cernite, quam plus sit, Cæsaris esse patrem.

Φλαύιον Αὐγούςων ὡς ἴδ' ἀνακτόριον·
Ὡς δὲ πάρ' ειλαπίνῃ σπάσας πολὺ νέκταρ ἔκειτο
Ἠδίων, τὸ δέπας τ' ἐγγυάλιζεν Ἄρει,
Εἰς τὸν Φοῖβον ὁρῶν, καὶ τὴν Φοίβοιο σύναιμον,
Σὺν τοῖς Ἀλκείδης καὶ ταχὺς Ἀρκὰς ἔην,
Γνώσσιον αὐτοὶ ἐμοὶ μὲν ὀπάσσατε, φησὶ, τὸ σῆμα·
Πόσσῳ ἔμεν γενέτην Καίσαρός ἐςι πλέον.

cui condiderunt tumulum, quem vocat Poeta bustum Idæum, quod saue esset prope Idam Cretæ montem. Vide Callimachum in Hymno Jovis. Illum vero tumulum irridet Jupiter, superbum intuitus templum, quod Domitiauus iu honorem auæ geutis exstruxerat, epigr. IV, supra.

2. *Cum videt* Beverlandi MS. Alii pro *poli* leguut *tholi;* de quo vide lib. I, epigr. LXXI, 10. — *Flavia templa poli.* Hoc est, templa altissima.

3. *Nectare fusus.* Hoc est, madidus.

6. *Et pius Arcas.* Hoc est, Mercurius in urbe Cylleno vel Cylleue Arcadiæ moute uatus, qui *pius* dicitur, quod Deorum sacra instituit. Horat. I, od. 10.

7. *Uberis monumenta* Beverl. MS.

8. *Cernite quam plus.* Mihi uempe a vobis couditum monumeutum Vespasiani tumulo multo inferius est, atque ita videtur optare Jupiter potius esse Domitiani, quam cæterorum Deorum pater.

XXXVI.

IN PHILOMUSUM.*

ARTIBUS his semper cœnam, Philomuse, mereris;
Plurima dum fingis, sed quasi vera refers.

* Vide mihi Theophrasti characterem περὶ λογοποιΐας.

2. *Et quasi* in Beverlandi codice legitur.

Scis, quid in Arsacia Pacorus deliberet aula,
Rhenanam numeras, Sarmaticamque manum.
Verba ducis Daci chartis mandata resignas;
Victricem laurum, quam venit, ante vides.
Scis, quoties Phario madeat Jove fusca Syene;
Scis, quota de Libyco littore puppis eat:
Cujus Iuleæ capiti nascantur olivæ;
Destinet æthereus cui sua serta pater.

3. *Scis.* Qnod universe dixerat more suo, speciatim per partes exponit. — Sic Juvenalis verum de muliere: «..novit quid toto fiat in orbe, Quid Seres, quid Thraces agant; secreta novercæ Et pueri; quis amet, quis diripiatur adulter. Dicet, quis viduam prægnantem fecerit, et quo Mense; quibus verbis concumbat quæque, modis quot. Instantem regi Armenio Parthoque cometen Prima videt: famam rumoresque illa recentes Excipit ad portas; quosdam facit. Isse Niphaten In populos, magnoque illic cuncta arva teneri Diluvio, nutare urbes, subsidere terras.» Sat. vi, vs. 402. Ed. — *Arsacia.* Parthica. Parthorum reges ab Arsace deinde Arsaces dicti: ut Pontici, Mithridates; Ægyptii, Ptolemæi (Syrii, Seleucus et Antiochus; Cappadoces, Ariarathi; Pergameni, vel Eumenes vel Attalus. Ed.); Armenii, Tigranes; Romani Imp. Cæsares, etc. — *Pacorus.* Parthorum rex. — Non igitur Domitiano imperante epigramma illud factum. Nam Pacori duo tantum regnavere, quorum prior Vologeso successit anno U. C. 861, Chr. N. 108, 12 ergo postquam mortuus Domitianus. At quomodo illud inter duos quibus Domitiano adulatur? Ed.

5. *Daci Cattis mandata* in edd. vett. et sic legendum censet Gruterus. *Daci carthis mandata* cod. Vat. *Daei cartis mandata* cod. Thuan. — *Verba ducis Daci.* Cujus arcana perinde tibi comperta esse garris, ac si illius literas Cattis scriptas resignasses. Catti autem populi Germaniæ Visurgim, Daci Danubium incolebant. De his lib. II, epigr. 11.

6. *Victricem laurum.* Hoc est, victoriam futuram.

7. *Scis quoties parco mandat* Beverlandi MS. — *Scis*, etc. Tu scis quoties pluat in Ægypto, quod perraro. — *Phario madeat.* Ægyptus, a Pharo insula. Infra epigr. xli, vs. 2. — *Jove.* Pluvia, imbre. Jupiter enim media aeris regio, ima Juno, summa Minerva, qui magni hinc dii. — *Fusca Syene.* Cujus incolæ a Sole colorantur. Syene enim in confinibus Ægypti et Æthiopum, sub tropico Cancri directe locatur. «Atque umbras nusquam flectente Syene.» Lucan. Phars. II, 587. Ed.

9. *Iuleæ olivæ.* Hoc est, Scis nomina eorum qui in Quinquatribus victores coronandi sunt a Domitiano. *Iuleæ coronæ*; hoc est, Cæsareæ, ab Ascanio cognomine Iulo, Æneæ filio, a quo ortum se prædicabat Julius Cæsar.

10. *Æthereus pater.* Jupiter Capi-

Tolle tuas artes, hodie cœnabis apud me,
Hac lege, ut narres nil, Philomuse, novi.

tolinus, cui et Indos instituit Domitianus. Sueton. in Domit. cap. 4.

11. *Tolle tuas artes.* Nam hodie te invito ea lege, ut sileas.

XXXVII.

COLLOQUIUM GANYMEDIS ET JOVIS SUPER EARINO ET ALIIS DOMITIANI PUERIS. *

Viderat Ausonium posito modo crine ministrum
Phryx puer, alterius gaudia nota Jovis :
Quod tuus, ecce, suo Cæsar permisit ephebo,
Tu permitte tuo, maxime rector, ait.
Jam mihi prima latet longis lanugo capillis;
Jam tua me ridet Juno, vocatque virum.
Cui pater æthereus, Puer o dulcissime, dixit :

Τὸν Διὸς Αὐσονίου θεράποντα κεκαρμένον ἄρτι
Φρὺξ, ἑτέρου Ζηνὸς παιδικὰ, κοῦρος ἰδὼν,
Ὄ,ῤῥα χαριζόμενός περ ἑῷ, φάτο, Καῖσαρ, ἐφήβῳ
Δῶκε, δὸς, ἡγεμόνων καὶ σὺ μέγιστε, τεῷ.
Ἤδη μοι πλοκάμοισιν ὑποσταχύουσιν ἴουλοι,
Καί με γελῶσ' Ἥρη, σὴ δάμαρ, ἄνδρα καλεῖ.
Ζεὺς δ' ἀπαμειβόμενός μιν, Ἐγώ, φησ', οὐκ ἀποκρούω,

* *De Ganymede et Jove* inscriptio est in edd. vett.

1. *Ausonium ministrum.* Intellige Earinum de quo epigr. XVII et XVIII supra. Ausonius dicitur, quod duci Ausonio seu Domitiano serviret, lib. VIII, epigr. XXI, vs. 10.

2. *Phryx puer.* Ganymedes vidit Earinum tonsum, et petiit a Jove ut sibi pariter liceret deponere capillos. — *Alterius gaudia.* Per appositionem vocat Earinum delicias Domitiani, quem jam appellavit Jovem, epigr. XXIX supra. Aut potius refert ad ipsum Ganymedem delicias alterius Jovis, cui Domitianum præferre videtur.

3. *Suo ephebo.* Hoc est puberi Earino.

4. *Hoc mihi permittas conditor or-*

Non ego quod poscis, res negat ipsa tibi.
Cæsar habet noster similes tibi mille ministros,
Tantaque sidereos vix capit aula mares.
At tibi si dederit vultus coma tonsa viriles,
Quis mihi, qui nectar misceat, alter erit?

Φίλτατε παῖ, τὰς σὰς, αὐτὸ δὲ πρᾶγμα, λιτάς.
Νηρίθμους θεράποντας ἔχει σοὶ Καῖσαρ ὁμοίους,
Καὶ τόσον οὐ χάδε δῶμ' ἄῤῥενας ἰσοθέους.
Ἀλλ' ἤν σ' ἄνδρα κόμη ποιῇ τμηθεῖσα τέλειον,
Τίς δέ μοι ἐκ τούτων ἔσσεται οἰνοχόος;

bis, ait. Codex Pulmanni legit ita.

8. *Non nego* legit Janus Rutgersius. *Res vetat* Beverlandi MS. — *Res* (subaud. *sed*) *negat ipsa tibi;* id est, ipsa necessitas: Domitiano enim non desunt alii pueri, et quidem siderei seu formosissimi, et digni qui in cælum evehantur: at vero ego, inquit Jupiter, alterum pincernam non inveniam, si tonsis capillis vir factus fueris.

10. *Vix capit*, etc. Tantus eorum numerus est.

12. *Qui nectar misceat.* Antiqua φράσις, et ex more antiquo. *Miscere* simpliciter χέειν, sæpe apud Martial. Juv. Sat. v, 61. « Nescit tot millibus emptus Pauperibus *miscere* puer. »

XXXVIII.

IN GALLAM.

Quum sis ipsa domi, mediaque ornere Suburra,
Fiant absentes et tibi, Galla, comæ;
Nec dentes aliter, quam Serica, nocte reponas,

1. *Mediaque ornere Suburra.* Medicaminibus et fucis quæ petuntur empta ex media Suburra, vico romano percelebri.

2. *Absentes et tibi*, etc. Fictitiæ, accersitæ, caliendra.

3. *Quam sera nocte* Pulmanni codex. — *Nec dentes aliter*, etc. Et ex osse vel ebore factitios dentes reponas noctu, eodem tempore quo vestes sericas. — *Quam Serica.* Sericæ vestes matronis placuere, et præcipue matronis e Veneris grege. Clare Seneca, de Beneficiis cap. 9: « Video Sericas vestes, si vestes vocandæ sunt, in quibus nihil est, quo defendi aut corpus, aut denique pudor possit », etc. Vestibus

Et jaceas centum condita pyxidibus;
Nec tecum facies tua dormiat: innuis illo,
Quod tibi prolatum est mane, supercilio.
Et te nulla movet cani reverentia cunni,
Quem potes inter avos jam numerare tuos.
Promittis sexcenta tamen; sed mentula surda est;
Et, sit lusca licet, te tamen illa videt.

perlucidis usas fuisse Venereas illas matronas, testatur etiam Lucianus in Amoribus.

4. *Et lateas* edd. vett. *Et jaceas* cod. Pulm.—*Et jaceas*, etc. Et mundus tuus, fuci, medicamina, etc. recondantur innumeris pyxidibus.

5. *Nec tecum*, etc. Adscititium faciei nitorem singulis noctibus reponas, crastino die novum sumptura.

6. *Quod tibi prolatum.* Prolatum, aut ex pyxidibus depromptum aut productum. Nam supercilia fuligine sibi producebant : jacturam enim superciliorum sic arte reparabant. Vide Juven. sat. II, 93. — Amavere antiqui longissima et quasi concurrentia supercilia. Ed.

9. *Promittis*, etc. Lib. VI, epigr. XXIII.

10. *Lusca licet*, etc. Quid miri, si videat, quæ lusca est? Gruterus ex Palat. *cæca* legit : sed et alteri scripturæ sua venustas. Lib. II, ep. XXXIII. Scriverius mallet, *surda*.

XXXIX.

AD AGATHINUM.

Summa licet velox, Agathine, pericula ludas;
Non tamen efficies, ut tibi parma cadat.

Εἰ καὶ πάντα κύβον ῥίπτειν σ', Ἀγαθῖνε, δεήσει,
Οὐ τεύξῃ, πέλτην ὥςε σοι ἐκπεσέειν.

1. *Ludas.* Pro hoc verbo legit *laudas* Cælius lib. VII, cap. 8; sed in Beverlandi codice, *laudes.* — *Summa licet.* De pilariis et ventilatoribus pauca sic Quintilianus lib. X, c. 7, 11: « Quo constant miracula illa in scenis pilariorum ac ventilatorum, ut ea, quæ emiserint, ultro venire in manus credas, et qua jubentur decurrere. » Scilicet ex eorum numero erat Agathinus, qui parmulam seu clypeum parvum in altum jaciebat, recipiebatque tanta solertia, ut nunquam caderet.

Nolentem sequitur, tenuesque reversa per auras,
Vel pede, vel tergo, clune, vel ungue sedet.
Lubrica Corycio quamvis sint pulpita nimbo,
Et rapiant celeres vela negata Noti;
Securos pueri neglecta perambulat artus,
Et nocet artifici ventus et unda nihil.
Ut peccare velis, quum feceris omnia, falli
Non potes: arte opus est, ut tibi parma cadat.

Ἑσπομένη ἀέκοντι παλίσσυτος ἵζει ἐπ' ἄκρου
Ἢ ποδὸς, ἢ νώτοι', ἰξύος, ἢ ὄνυχος.
Ἢν καὶ ὄλισθος ἔχῃ θυμέλην ῥανίδεσσι κρόκοιο,
Ἢν καὶ ἀνειλίσσῃ τὰς ὀθόνας ἄνεμος,
Τῶν μελέων ἀμερίμνου ἐπέσσυται ἀπρονοητί·
Οὔτ' ἀνέμῳ παίκτης βλάπτεται, οὔτε κρόκῳ.
Πάντα ποιῶν, Ἀγαθῖν', ἵν' ἁμάρτῃς, οὐκ ἀτυχήσεις·
Τέχνης δεῖ, πέλτην ὥϛε σοι ἐκπεσέειν.

4. *Crine, vel ungue sedet* Gruterus ex Palat. legit.

5. *Lubrica.* Pulpita hic significant theatra in quibus ludebant pilarii: lubrica autem fiebant aspersionibus e croco et vino dulci. Lib. Spect. epigr. III.

6. *Et rapiant madidi* codex Pulmanni; sed in margine aliena manu adjectum erat, *celeres*, quod exhibent edd. vett. Alii legunt, *Et rapiant fortes.* — *Et rapiant.* Quamvis magna vis ventorum vela hinc inde rapiat, aperiatque theatrum velis undequaque tectum; tamen non sic abripit parmulam, ut non incidat aut insideat vel tergo, vel manibus pedibusve Agathini. Velis enim tegebatur theatrum, quæ *ventis negari* dicebantur, quum, summa cura ligata, vehementiorum tamen ventorum flatu agitata molliter fluctuarent. Lib. XI, epig. XXI: «Quam Pompeiano vela negata Noto.» Sensus est: Ventus vehemens nec aqua in theatro sparsa impediunt Agathinum, quominus missam in altum parmam excipiat.

7. Alii legunt, *perambulat armos.* — *Pueri.* Agathini. —*Neglecta.* Parma scilicet, quam nec cogitans excipit.

8. *Ventus, et unda nihil.* Quamvis parmam in aere lubricam aspersionibus, et agitatam turbine venti in diversas rapiant partes; ille tamen ita feliciter excipit, ac si summa cælo tranquillitas foret.

9. *Ut peccare velis.* Hoc est, etiamsi et parmam humi labi sinere velis. — *Non potes.* Vid. supr. ad vs. 3, *Nolentem sequitur.*

10. *Arte opus est.* Hoc est: Alii ne errent, artem adhibent; Agathini autem tanta est industria ut arte indigeat, si errare velit.

XL.

DE NATALI CÆSONIÆ.

Prima Palatino lux est hæc orta Tonanti,
Optasset Cybele qua peperisse Jovem.
Hac et sancta mei genita est Cæsonia Rufi .
Plus debet matri nulla puella suæ.
Lætatur gemina votorum sorte maritus,
Contigit hunc illi quod bis amare diem.

1. *Prima Palatino*. Nono Kalendas Novembris natus est Domitianus, teste Suetonio in Domitiano, quem noster poeta Palatinum Tonantem dicit, et Jovem appellavit millies supra.

2. *Cybele*. Deorum mater.

3. *Hac et Santonici* in edd. vett. *Sancta meo.... Rufo* cod. Pulman. — Sanctones vel Santones vel Xantones populi sunt Galliæ ex Aquitania prima, hodie, *Saintonge*. Ed.

4. *Plus debet patri nulla puella suo* Pulmann. — *Plus debet matri nulla*. Quod nata sit hoc die.

5. *Gemina...Contigit*, etc. Quod unum eumdemque celebret natalem Cæsaris et uxoris.

6. *Bis amare diem*. Quod eo die uxor Cæsonia et Domitianus natus sit, quorum communis peragit natalis festum.

XLI.

DE DIODORO ET VOTO PHILÆNIS UXORIS.*

Tarpeias Diodorus ad coronas
Romam quum peteret Pharo relicta;

* *De voto Philenis* inscriptio est in Ald. Junt. Colin. etc.

1. *Tarpeias Diodorus ad coronas*. Notatur hic: In Quinquatribus Minervæ; immo in agone Capitolino: nam Quinquatribus Albanæ coronæ dabantur, non Tarpeiæ. Gronovius. — *Tarpeias Diodorus*, etc. In Quinquatriis Minervæ. Libri IV, epigrammate LIV, vs. 1.

2. *Pharo*. Pharos, hodie *Farion*, colonia et oppidum Ægypti, apud Alexandriam, in insula continenti pæne juncta, etc. Ferrarius.

Vovit pro reditu viri Philænis,
Illam lingeret ut puella simplex,
Quam castæ quoque diligunt Sabinæ;
Dispersa rate tristibus procellis,
Mersus fluctibus, obrutusque ponto,
Ad votum Diodorus enatavit.
O tardus nimis et piger maritus!
Hoc a litore si puella votum
Fecisset mea, protinus redissem.

5. *Sabinæ*. Sabinæ feminæ ab omnibus auctoribus audiunt castæ, simplices.

10. *Hoc in litore* in quibusdam vett. Cætera, nulla est varietas.— *Si puella*. Ostendit puellam suam immunda femora habere, et indigere purgante lingua. Domitius.

XLII.

IN PONTICUM.

Pontice, quod nunquam futuis, sed pellice læva
Uteris, et Veneri servit amica manus,
Hoc nihil esse putas? scelus est, mihi crede, sed ingens,
Quantum vix animo concipis ipse tuo.
Nempe semel futuit, generaret Horatius ut tres;
Mars semel, ut geminos Ilia casta daret.
Omnia perdiderat, si masturbatus uterque
Mandasset manibus gaudia fœda suis.

1. *Pellice læva*. Diogeniana uteris Venere, qui τὸν δ' Ὑμέναιον Ἤειδεν παλάμῃ, Λαίδος οὐ χατέων. Agathias lib. VII Anthologiæ. Quod idem, refert Galenus lib. VI, περὶ τῶν πεπονθότων τόπων. Innuitque ipse Diogenes Luciani, ἐν Βίων φιλοσοφικῶν πράσει.

5. *Nempe semel futuit*, etc. Ex uno congressu geniti sunt trigemini illi Horatii, qui tres Curiatios singulari de re Romana certamine commissos, regnante Tullo Hostilio, devicerunt : ex uno geniti Romulus et Remus, Romæ conditores.

7. *Perdiderat*, pro perdidisset. *Masturbatus uterque*. Ut tu.

8. Alii legunt, *gaudia sæva*.

Ipsam crede tibi naturam dicere rerum :
Istud quod digitis, Pontice, perdis, homo est.

10. *Quod digitis*, etc. Nimirum illi *Fratres* dicebantur, qui nefario concubitu turpe perdendi hominis præstabant officium. RIGALTIUS.

XLIII.

AD APOLLINEM PRO STELLA SUO.*

CAMPIS dives, Apollo, sic Myrinis,
Sic semper senibus fruare cycnis;
Doctæ sic tibi serviant sorores;
Nec Delphis tua mentiatur ulli;
Sic Pallatia te colant, amentque:
Bis senos cito me rogante fasces

* *Ad Apollinem* in edd. vett. — Vovet Stellæ consulatum; implorat Apollinem, ut votis suis annuat.

1. *Apollo sic Myrinis* codex Pulmanni; et sic Raderus. *Apollo Semurinis* legit Joseph. Scaliger. Vide Var. Notas. *Ab ille semurinis* Turnebus. — *Campis dives*. Hoc est, sic semper colaris in campis Myrinis, et semper tibi canant cycni. Strabo lib. XIII. Εἶτα πολίχνιον Μυριναῖον, Γρύνιον, καὶ ἱερὸν Ἀπόλλωνος, καὶ μαντεῖον ἀρχαῖον, καὶ νεὼς πολυτελὴς λίθου λευκοῦ. *Oppidulum deinde Myrinæorum, Grynium, et fanum Apollinis, vetusque oraculum, et templum sumptuosum ex albo lapide.* Hæ nempe urbes sunt in Æolide Asiæ Minoris regione. Et ex hoc Strabonis loco patet, cur hanc lectionem aliis pluribus anteposuerimus.

2. *Senibus fruare cycnis*. Qui non sine causa Apollini dicati sunt, quod ab eo divinationem habere videantur: providentes enim quid in morte boni sit, cum cantu et voluptate moriuntur. Lib. XIII, ep. LXXVII: «Dulcia defecta modulatur carmina lingua Cantator cycnus funeris ipse sui.» — Id falsum esse, nunc nemo nescit. ED.

3. *Sorores*. Novem Musas intellige. Domitius male refert ad sorores fatidicas Fortunæ Prænestinæ, vel Dodonæas. Vide quæ ad Medeam Senecæ vs. 349.

4. *Nec Delphis*, etc. Et vera semper det responsa sacerdos tua Pythia. — Phœbas Delphica quam et Delphidem Græci vocant, quorum lingua syllabæ istæ *as*, *is*, ubi syllabarum ultimæ sunt, feminas fere semper indicant. ED.

6. *Me rogante*. Alii, *te rogante*. — *Bis senos*, etc. Ut consulatum Stellæ meo deferat Cæsar. Duodecim enim

Det Stellæ bonus annuatque Cæsar.
Felix tunc ego, debitorque voti
Casurum tibi rusticas ad aras
Ducam cornibus aureis juvencum.
Nata est hostia, Phœbe, quid moraris?

fasces præferebantur usquequaque consulibus; et ut erant consulatus insignia, ideo sumuntur a Poeta pro ipso consulatu.

7. *Det Stellæ.* De quo dictum lib. I, epigr. VIII.

8. *Debitorque voti.* Reus voti, si impetraro.

9. *Rusticas ad aras.* Hoc est, in meo prædio suburbano tibi sacratas.

10. *Cornibus aureis.* Ad majorem pompam victimarum cornua inaurabantur. Juven. Sat. VI, 48, « auratam Junoni cæde juvencam »; et Virgil. Æn. IX, 627, « Et statuam ante aras aurata fronte juvencum. »

11. *Quid moraris.* A Domitiano impetrare consulatum meo Stellæ.

XLIV.

DE STATUA HERCULIS.*

Hic, qui dura sedens porrecto saxa leone
  Mitigat exiguo magnus in ære Deus,
Quæque tulit, spectat resupino sidera vultu,

* *De statua Herculis* inscriptio est in edd. vett. omnib. *De Herculis sigillo apud Vindicem* legit Scriverius. *De Lysippo sculptore* scribit codex Bodleianus.

— Ut publice in conviviis excipiebantur deorum simulacra pulvinaribus, ita et privatim in mensa collocabantur statuæ velut tutela geniumque mensæ. Inter cæteras imagines quas Nonius Vindex in cœna ostenderat, erat Hercules epitrapezius. Cujus signi artificium, ad verbum cum Nostro, Statius Papinius quarto Sylvarum libro, Carm. VI, exprimit, admiratur, laudat.

1. *Dura sedens,* etc. Saxo insidens mitigat duritiem ejus instrata leonis pelle, quæ Herculi pro armatura et lecto erat; durius enim est nudum insidere. Senecæ Hercul. Fur. vs. 1150. *Leone* vero, synecdochicōs, totum pro parte.

2. *Exiguo magnus.* Ærea quidem illa statua erat pedalis. Papinius loco cit. 37: « parvusque videri, Sentirique ingens; et quum mirabilis intra Stet mensura pedem. »

3. *Quæque tulit.* Hoc est: Cælum suspicit, quod olim, Atlanti fesso opem laturus, aliquandiu humeris sustinuit.

Cujus læva calet robore, dextra mero;
Non est fama recens, nec nostri gloria cæli;
Nobile Lysippi munus opusque vides.
Hoc habuit numen Pellæi mensa tyranni,
Qui cito perdomito victor in orbe jacet.
Hunc puer ad Libycas juraverat Hannibal aras;
Jusserat hic Syllam ponere regna trucem.
Offensus variæ tumidis terroribus aulæ,

4. *Calet robore.* Hoc est, clava facta ex robore, quod est quercus species durissima.

5. *Non est forma recens* in quibusdam vett. *Non nostri gloria sæcli* legit Heraldus. — *Non est fama.* Jam diu celebris est hæc statua. — *Nec nostri gloria.* Cælum cælatorum et statuariorum instrumentum est. Sensus est : Nostris temporibus non fuit formata illa statua.

6. *Nobile Lysippi.* Alexandri Magni temporibus vixit Lysippus statuarius nobilissimus, qui hanc Herculis statuam effinxit, et ea donavit Alexandrum.

7. *Pellæi mensa tyranni.* Alexandri regis, nati Pellæ in Macedonia. — Vox *tyrannus* olim sumebatur non in pessimam partem : «dextram tetigisse tyranni » Virgil. Æn. VII, 266. Neque enim aliud indicabat quam regem cujus potestati nullus finis, nisi sua ipsius voluntas. Scilicet duplex in his quæ ab uno reguntur civitatibus imperii genus; modo enim quæ censuit aut senatus aut populus, fieri curat servator quidem legis, at non auctor, princeps; modo et ferendarum et exsequendarum legum munus principi demandatum. Hic tyrannus, ille rex; et hinc vocitatus Polycrates *tyrannus* Sami, Dionysius Syracusarum; dum et Lacedæmoniorum et Romanorum principibus *regum* nomen datum fuit. Ed.

8. *Qui cito perdomito.* Nempe intra duodecim annos Asiam fere totam subegit, et Babylone juvenis adhuc veneno sublatus est. Adi et Curtii, et Arriani historias. — Sic fere noster *Racine* de Achille : « il triomphe en courant. »

9. *Lybicas juratam* codex Farnabii. — *Hunc puer.* Aliter sentit Silius l. I, 118 : « Juro nostri per numina Martis, Per manes, regina, tuos », etc. Sed noster Poeta, ut opinor, vult tantum significare hanc Herculis statuam fuisse in potestate Hannibalis, ut Papinius loco citato.

10. *Syllam trucem.* Nempe ob crudelitatem, quam in victos cives exercuit. Vide Sallustium, Appianum, et Velleium. Sylla ergo hunc etiam Herculem possedit, a quo, ut fingit Poeta, dictaturæ imperium deponere jussus est.

11. *Offensus variæ.* Cœpit nempe fastum et tyrannidem aversari, atque in privata Vindicis mensa coli maluit. Sic et Statius loco cit. 96 ; « Hic igitur tibi læta quies, fortissime Divum Alcide; nec bella vides pugnasque feroces. »

Privatos gaudet nunc habitare Lares.
Utque fuit quondam placidi conviva Molorchi,
Sic voluit docti Vindicis esse Deus.

13. *Molorchi.* Qui pastor Nemeæus, cujus indicio Hercules, ab eo hospitio exceptus, feram Nemeæ interfecit. Lib. IV, epigr. LXIV, v. 30.

XLV.

DE EADEM STATUA.*

Alciden modo Vindicis rogabam,
Esset cujus opus laborque felix.
Risit (nam solet hoc), levique nutu,
Græce numquid, ait, Poeta, nescis?
Inscripta est basis, indicatque nomen.
ΛΥΣΙΠΠΟΥ lego, Phidiæ putavi.

* Elegantiam et artificium ejusdem statuæ laudat poeta.

1. « *Alcides* mavult Lips. Nescio an non legendum ait, *Alciden* (vel *Alcides*) *modo Vindicem rogabam*; et sane lect. meam confirmat codex Petavii, ubi pro *Vindicem*, legitur male *Indicem.* » HERALD. — Sed priorem lectionem probat Raderus bis verbis : « Interrogabam ego Alciden, a quo esset artifice factus. Risit, inquit, Deus, et, ut id de Deo credibile videretur, ait Herculem hoc solere, nam facies statuæ non erat torva, sed hilaris, et epulis apta. » Papin. lib. IV Sylv. « Non torva effigies, epulisque aliena remissis. » Et paulo infra : « Sic mitis vultu, veluti de pectore gaudens Hortetur mentes. » — Ego crediderim potius non Deum, sed ex adstantibus quemlibet de Deo interrogari a poeta. Sic Græci : θεοὺς ἀμφισβητέω εἰ ὄντως ὄντες, θεοὺς πυνθάνομαι εἰ, κ. τ. λ. Quæ si ad verbum expresseris : *Deos dubito an sint, Deos interrogo an sint*, pro, *Dubito, interrogo, an Dii sint.* Ed.

5. *Inscripta est basis.* Basis subternebatur statuis; cui aut artificis, aut dedicatoris, aut ejus cujus esset statua, aut hæc omnia simul inscribebantur, et ea sæpius e marmore. Plin. lib. III, epist. 6. *Herald*

6. ΛΥΣΙΠΠΟΥ, *lego.* Inscriptum est βάσει, ΛΥΣΙΠΠΟΥ ἔργον scil. Non autem omnibus operibus, sed præstantioribus, nomen suum inscribebant artifices. — *Phidiæ putavi.* Hoc est : Credideram ego fuisse Phidiæ potius, qui finxit Jovem, et nobilior statuarius fuit Lysippo.

XLVI.

AD MARCELLINUM.*

Miles Hyperboreos modo, Marcelline, Triones,
Et Getici tuleris sidera pigra poli;
Ecce Prometheæ rupes, et fabula montis,
Quam prope sunt oculis nunc adeunda tuis.
Videris immensis quum conclamata querelis
Saxa senis, dices, Durior ille fuit.

Εὖτ' ἂν Ὑπερβορέων στρατιώτης κλῖμα διατλῇς,
Μαρκελλῖνε, πόλου τ' ἀστέρας ἰσοβραδεῖς,
Οὐ φθαίης μύθευμα Προμηθείου σκοπέλοιο,
Καὶ πάγον αὐτόπτης ἐγγύθεν ἱστορέειν.
Ὄκριν ἄρ' ἰυγμοῖσι καταυληθέντα γέροντος
Τρηχὺν ὁρῶν, φήσεις, Ἦν ὅδε τρηχύτερος.

* Ad Sarmatas et Scythas iturum Marcellinum filium, admonet fabulæ Prometheæ.

1. *Hyperboreos Triones.* Describit Septemtrionem, ubi Marcellinus multa toleraturus erat incommoda. De Trionibus stellis nempe dictum, lib. VI, epigr. LVIII, et lib. VII, epigr. LXXX. Item de Marcellino lib. III, epigr. VI, et lib. VI, epigr. XXV.

2. *Tuleras* Palat. unde quis facile fecerit *toleras ;* nisi *modo* signet *dummodo :* sed nihil muto. *Gruter.* — *Sidera pigra.* Hoc est, Ursas et Booten lente se moventes. Vide lib. VI, epigr. XXV, et IV, III, 5. De Getis egimus lib. VII, epigr. II.

3. *Ecce Prometheæ rupes.* Caucasum montem interpretare, cujus vertici affixum fuisse Prometheum fabulantur Hesiodus, Æschylus, Ovidius, alii.

5. *Conclamata querelis.* Clamoribus Promethei cælum, et terram contestantis conscia, se pati indigna. Vid. Æschyli Prometheus Vinctus. Domitius. — Namque in illo Æschyli dramate quo in primis notus Prometheus, omnes fere versus querelas et ejulationes continent. — *Conclamata.* Interpretantur quidam saxa quæ summis clamoribus vocabat Prometheus, et testabatur sibi indigna supplicia illata a Jove.

6. *Senis.* Ut Dii omnes ante Jovem, Saturnus, Cælum, Titanes, etc. — *Durior ille fuit.* Cautibus, quippe qui tot et tantos cruciatus tam diu ferre potuerit. — *Ille.* Quidam *ipse.*

Et licet hoc addas : Potuit qui talia ferre,
Humanum merito finxerat ille genus.

Καὶ τούτοις ἔτι πρόσθες· Ὃς ἴσχυσε τοιάδε τλῆναι,
Οὐκ ἐτὸς ἦν πλάσης ἀνδρομέοιο γένους.

7. *Potuit qui talia ferre.* Sensus est : Prometheus duris cautibus affixus, ipse saxis durior et duriora perpessus, documenta dat duram esse hominis progeniem ab illo auctore, atque in ærumnas et pœnas natam. — Neque hac ab sententia multum abest Ovidius, Metam. lib. I, 414, postquam de lapidum in homines mutatione enarravit, id subjiciens : « Inde genus durum sumus, experiensque laborum; Et documenta damus, qua simus origine nati. » Ed.

XLVII.

IN GELLIUM.*

Gellius ædificat semper : modo limina ponit,
Nunc foribus claves aptat, emitque seras;
Nunc has, nunc illas mutat, reficitque fenestras.
Dum tamen ædificet, quidlibet ille facit :
Oranti nummos ut dicere possit amico
Unum illud verbum Gellius, Ædifico.

Γέλλιος οἰκοδομῶν αἰεὶ προθύραια τίθησι,
Νῦν γε θύραις κλεῖς ἧρ', ἢ ὀχέας πρίαται·
Νῦν θυρίδας τεύχει, μεταθεὶς πυκινῶς ἀραρυίας·
Ἐν τῷ δ' οἰκοδομεῖν πρᾶγμ' ὁτιοῦν ἀνύει·
Ὄφρα δύναιτ' εἰπεῖν αἰτοῦντι χρήμαθ' ἑταίρῳ
Μοῦνον ἔπος κρατερὸν Γέλλιος, Οἰκοδομῶ.

* Sordidum et illiberalem taxat Gellium.

1. *Selius* Beverlandi MS.—*Ædificat semper.* Minutula nescio quæ semper reficit, ut ædificandi prætextu illiberalem tegat animum, ne quid in amicos eroget.

3. Alii, *reficit, mutatve.*

4. Pro *tamen* alii *tantum* : quod in textum recepit *Barbou*, Par. 1754. — *Quidlibet.* Sibi quidlibet facere videtur.

6. *Ædifico.* Atque hoc prætextu nihil amicis donat, quippe qui sua pecunia egeat ad ædificandum; nec ædificat tamen, sed pauca mutat.

XLVIII.

IN PANNICUM.

Democritos, Zenonas, inexplicitosque Platonas,
Quidquid et hirsutis squalet imaginibus,
Sic quasi Pythagoræ loqueris successor, et hæres;
Præpendet mento nec tibi barba minor.
Sed, quod et hircosis serum est, et turpe pilosis,
In molli rigidum clune libenter habes.
Tu, qui sectarum causas et pondera nosti,
Dic mihi, percidi, Pannice, dogma facit?

1. *Democritos*, etc. Crepat usque stoicos et academicos reconditioris scientiæ philosophos, quorum imagines visuntur hirsutæ et incultæ, ipse hispidus et barba promissa gravis; sed, etc. De hujusmodi hypocritis vide epigr. XXVIII supra, et lib. I, epigr. XXV, et Juvenal. sat. II.—*Zenonas*. Cave, quanquam plural. hic numero usus sit Martialis, et plures sane exstiterint Zenones (Elæus nempe, Cyprius qui qui Stoicæ sectæ princeps, Tarsius qui quoque e Stoicis, Sidonius qui Epicureus, et unus e Pompeii et Ciceronis institutoribus), cave inquam, ne de iis omnibus locutum poetam intelligas. De Stoicæ philosophiæ auctore unice agitur, qui gravitate ex severissimis præcipue censendus. Democritus Abderitanus fuit Leucippi discipulus, cujus doctrinam de atomis amplificavit illustravitque, Epicuri præcursor. Noti satis Plato Academiæ primæ, Pythagoras Italicæ sectæ institutor. De iis omnibus vid. Diog. Laert. Vit. Orat.

4. *Præpendet mento*. In MSS. est *Præpendet tamen*, vel *Propendetque minor*; unde Heinsius ad Claudiani Consulatum Manlii: *Propendet Samia*. Vide nostram ed. Claud. pag. 1432. At Vossius ad Melæ I, 9: *Præpendet meta*. Thuan. *sane*; Vaticanus *tamen*; sed alius cod. Vatic. vetust. *Dependet sane*.

5. *Quod* pro *quid* Beverlandi MS. —*Hircosis*, etc. Quibus sub axillis « fertur Valle sub alarum trux habitare caper. » Catull.

6. *Molli rigidum*, etc. Pro his, *mobili rigidam* Beverlandi codex.

7. *Pondera*. Argumenta, rationes.

8. *Percidi* Beverlandi codex manuscriptus. *Quid* et *præcidi* exhibent edd. Ald. Junt. Colin. Gryph. aliæ. *Præcidi* etiam Barb. Maittarii. — *Percidi*, muliebria pati; de quo dictum lib. II, epigr. LXXII; et VII, epigr. LXI: et Senec. de Provid. cap. 5. En.

XLIX.

IN GALLICUM.*

HÆREDEM quum me partis tibi, Gallice, quartæ
Per tua jurares sacra, caputque tuum;
Credidimus (quis enim damnet sua vota libenter?)
Et spem muneribus fovimus usque datis;
Inter quæ rari Laurentem ponderis aprum
Misimus : Ætola de Calydone putes.
At tu continuo populumque Patresque vocasti;
Ructat adhuc aprum callida Roma meum.
Ipse ego (quis credat?) conviva nec ultimus hæsi;
Sed nec costa data est, caudave missa mihi.
De quadrante tuo quid sperem, Gallice? nulla
De nostro nobis uncia venit apro.

* *Ad Garricum* Beverlandi MS. —In ingratum Gallicum hoc epigramma scriptum, qui per fraudem spoliaverat Poetam apro, quum ei promisisset ex quadrante hæreditatem.

1. *Garrice* Beverl.—*Partis quartæ* hoc est, quadrantis: tota vero hæreditas in duodecim uncias ut plurimum dividitur.

2. *Per tua sacra.* Hoc est, per deos Penates quos domi colis.

3. *Damnet sua vota.* Libenti quippe animo id nos credimus quod optamus.

5. *Laurentem aprum.* Captum in Laurente saltu.

6. *Ætolum* Palat. — *Ætola de Calydone.* Calydon urbs Ætoliæ, ubi erat ingens aper quem interfecit Meleager, lib. Spectacul. epigr. XVII; lib. VII, epigr. XXVII.

7. *Populumque.* Alii *fringuillarum.* Quid hoc sibi velit nescio.

8. *Ruptat* Beverlandi MS. *candida* Pulmanni; alii *pallida.* —*Callida Roma.* Hoc est, callidi Romani, qui lautiores cœnas sectabantur.

9. *Ipse ego.* Dolenter sane dicit hoc, infelix poeta; qui velut canis Æsopicus, dum captaret umbram, carnes amisit. — *Quis credat?* Tantum nefas in ingratos cadere mortales. — *Nec ultimus hæsi.* Nec ima quidem sede admissus, immo præteritus, non vocatus.

11. *Quid sperem.* Legunt alii, *qui sperem?* hoc est, quomodo.

12. *De nostro.* Sensus est : Si mihi ne unciolam quidem dedisti de meo, quomodo daturus es de tuo tres uncias? nam ea est hæreditatis pars quarta, quam, ut as ipsum, in tres partes dividi jam notavimus. ED.

L.

DE TOGA A PARTHENIO SIBI DONATA.*

HÆC est illa meis multum cantata libellis,
Quam meus edidicit lector amatque togam.
Partheniana fuit, quondam memorabile vatis
Munus : in hac ibam conspiciendus eques;
Dum nova, dum nitida fulgebat splendida lana,
Dumque erat auctoris nomine digna sui;
Nunc anus, et tremulo vix accipienda tribuli,
Quam possis niveam dicere jure tuo.
Quid non longa dies, quid non consumitis anni?
Hæc toga jam non est Partheniana : mea est.

* *De Partheniana toga* inscribitur in Ald. Junt. Colin. et aliis.

— Togam a Parthenio missam sibi, detritam ait, taciteque petit novam.

1. *Multum cantata.* Vide lib. VIII, epigr. XXVIII.

2. *Quamque meus* Palat.

3. *Vatis.* Parthenii, de quo lib. V, epigr. VI : « Musæ Parthenium rogate vestrum », etc. et lib. XII, epigr. XI : « Parthenio dic Musa tuo nostroque salutem ; Nam quis ab Aonio largius amne bibit? »

4. *Conspiciendus eques.* Non quidem censu, sed munere principis. Videre est lib. V, epigr. XIII ; et lib. XII, epigr. XXVI.

5. *Splendebat fulgida* Pulman.

6. *Auctoris.* Parthenii. — Subtilius quidam volunt, nescio an verius, jocum hic circa nomen *Parthenium*, quod a Græco παρθένος, *virgo;* quasi diceret Noster : dum et novitate et elegantia *quasi virgo* esset toga. ED.

7. *Tribuli.* Ex tribu civem Romanum significat tribulis, et sumitur hic pro paupere plebeio, qui totus frigore horreat. — Omnium quidem olim, vel si nobilissimo loco nati, relata nomina in tribus ; sed quum magistratus, sacerdotia, consulatus obtinerent, his titulis designabantur. Pauper nil erat nisi tribulis. ED.

8. *Ducere* Pulm. — *Niveam.* Adeo tritam, ut fila alba appareant. — Nonne et ad senectutem insuper referendum? quum et *anum* togam vocet, et frequentissime senio additum hoc ἐπίθετον, *canum*, *niveum*, etc. ED.

10. *Non Partheniana.* Hoc est, non amplius Parthenio auctore, sed me paupere digna est. Tacite novam togam a Parthenio petere videtur.

LI.

IN GAURUM.

Ingenium mihi, Gaure, probas sic esse pusillum,
 Carmina quod faciam, quæ brevitate placent.
Confiteor : sed tu bis denis grandia libris
 Qui scribis Priami prælia, magnus homo es.
Nos facimus Bruti puerum, nos Lagona vivum;
 Tu magnus luteum, Gaure, Giganta facis.

3. *Bissenis* Beverlandi MS.

4. *Magnus homo.* Nempe tibi videris : lib. II, epigr. xxxii, et imprimis lib. VII, epigr. c.

5. *Langona* alii pessime; nam sensus inde vero contrarius. Vid. infra. — *Bruti puerum.* De quo lib. XIV, epigr. clxxi : «Gloria tam parvi non est obscura sigilli : Istius pueri Brutus amator erat.» — *Nos Lagona.* Puerum formosum de quo Plinius lib. XXXIV : «Lyciscus Lagonem puerum subdolæ ac fucatæ vernilitatis fecit.» Sensus est : Ego facio carmina brevia quidem, at similia formosis his pueris : tu vero, o Gaure, magnos libros componis similes Gigantibus luteis, qui cito pereunt : magnus enim liber, magnum malum. Vid. epigr. ult. lib. I. (Optime autem de Gigantibus *luteum*, quum e terra sive luto orti Gigantes, unde et Græcis πηλόγονοι nominati. Callimachus, Hymn. in Jov. v. 3 : «Πηλογόνων ἐλατῆρα, δικάσπολον οὐρανίδῃσι.» Ed.) Cæterum hic Horatii lib. I, sat. x, «dumque Diffingit Rheni luteum caput», etc. citat Heinsius, ex quo loco epigramma hoc desumptum existimat.

6. *Luteum.* Alii legunt *puerum*.

LII.

DE LUCANO ET TULLO.

Quod semper Superos invito fratre rogasti,
 Hoc, Lucane, tibi contigit, ante mori.

Ὅρρ' ηὔχου, Λευκανὲ, θεοῖς, ἀέκοντος ἀδελφοῦ,
 Αὐτοῦ πρόσθε θανεῖν, τούτου ἐπήβολος εἶ.

2. *Lucane.* De his duobus fratribus jam ante dictum est ad libri I epigramma xxxvii, ubi Martialis illos ab amicitia Castori et Polluci

Invidet ille tibi : Stygias nam Tullus ad undas
  Optabat, quamvis sit minor, ire prior.
Tu colis Elysios, nemorisque habitator amœni
  Esse tuo primum nunc sine fratre cupis.
Et si jam nitidis alternus venit ab astris;
  Pro Polluce mones Castora, ne redeat.

Χ' ὃς φθονέει σοὶ νῦν· ὁ γὰρ ἐς Στύγα πρόσθε κατελθεῖν
  Ηὔχετο, καίπερ ἐὼν ὁπλότερος γενεήν.
Ἄλσεα δ' οἰκῶν τερπνὰ, καὶ Ἠλυσίοις ἐπιδημῶν
  Τὸν κάσιν οὐ ποθέεις ἄρτι σύνοικον ἔχειν.
Εἰ δὲ ἀμοιϐαῖος Πολυδεύκεος αὖθι παρέλθῃς
  Ἀςρόθεν, ὀτρύναις Κάςορα μὴ' ναδραμεῖν.

alternatim viventibus comparabat.

3. *Modo raptus*, pro *nam Tullus* Pulman. Cætera, nec membranæ, nec libri typis impressi, minimam varietatem produnt.

8. *Mones Castora.* Ut scilicet inter vivos maneat : jam enim Pollux exemplo tuo motus ad superos reverti non vult, sicut et tu optas, ut Tullus perpetua luce fruatur.

LIII.

AD QUINTUM OVIDIUM.*

Si credis mihi, Quinte (quod mereris),
Natales, Ovidi, tuos Apriles,
Ut nostras amo Martias Kalendas.
Felix utraque lux, diesque nobis
Signandi melioribus lapillis!
Hic vitam tribuit, sed hic amicum.
Plus dant, Quinte, mihi tuæ Kalendæ.

* Hoc epigramma in nonnullis inscribitur *Ad Quintum :* ut in Ald. Junt. Colin. Delph. etc. — Natalem Q. Ovidii celebrat eumque suo præfert. — *Ne mereris* Pulman.

2. *Tuos Apriles.* De Quinto actum, lib. VII, epigr. XCIII.

5. *Signandi.* De hac formula diximus, lib. VIII, epigr. XLV, vs. 2.

7. *Plus dant.* Etenim amicitia vitæ anteponenda est.

LIV.

AD EUMDEM.

Natali tibi, Quinte, tuo dare parva volebam
Munera : tu prohibes ; imperiosus homo es.
Parendum est monitis : fiat quod uterque jubemus;
Et quod utrumque juvat, tu mihi, Quinte, dato.

1. *Natali.* Quo nempe tempore moris erat munera invicem sibi mittere. Unde id factum, ut panperes pauca quædam et minnscula ditioribus darent, plura laturi. Vid. lib. VIII, epigr. LXIV.

3. *Jubemus.* Pro hoc Thuan. *volenti;* Vaticanus aliique dant *volemus.*

4. *Et quod*, etc. Ex inverso officio elegans mendicatio. — *Et quod utrumque.* Nimirum in amicos libenter confers munera, quæ et ego libenter accipio. Sic festive mendicat Poeta.

LV.

AD COGNATUM.*

Si mihi Picena turdus palleret oliva,
Tenderet aut nostras sylva Sabina plagas;
Aut crescente levis traheretur arundine præda,

* *Ad eumdem* Scriver. Χαρίστια amici celebrat, et agrestia mnnera excusat. *Charistia* dicebantur, qunm propinqui solenne adornarent convivium, cni tantum cognati aderant, litium ponendarnm, et amoris instaurandi gratia institutum, de quo Valer. Maxim. lib. II, cap. 1. Celebrabantur hæc XI. Kalend. Mart. Ovid. II, Fast. 617 : « Proxima cognati dixere Caristia cari, Et venit ad socias turba propinqua dapes. »

1. *Picena oliva.* Vid. lib. I, ep. XLIV.

2. *Tenderet.* Hoc est, aut si liceret tendere in sylvis Sabinorum venationi faventibus.

3. *Levis traheretur :* ita Gruterus, ut omnino de avibus intelligatur, ut epigrammate insequente, et lib. XIV, epig. CCXVIII; rejecta lectione vulg. *vadis.* Vel nt Raderus exponit : *Præda* scilicet turdorum, traheretnr arundine, nempe visco illita; *arundine crescente vadis*, quæ provenit locis uliginosis; unde *fluvialis arundo.* Et Gruterus dicit, *trahere*

Pinguis et implicitas virga teneret aves;
Cara daret solenne tibi cognatio munus,
Nec frater nobis, nec prior esset avus.
Nunc sturnos inopes, fringuillarumque querelas
Audit, et arguto passere vernat ager.
Inde salutatus picæ respondet arator;
Hinc prope summa rapax milvus in astra volat.
Mittimus ergo tibi parvæ munuscula cortis,
Qualia si recipis, sæpe propinquus eris.

hic notare, attrahere, seu detrahere. Silius lib. XIV, v. 263, «cælo traxisse volucrem». —*Aut crescente.* Alii interpretantur virgam recens abscissam, et flexibilem, qualia sunt arbuscula : mihi videtur cum Radero intelligenda esse virga, quæ crescat in locis palustribus. Nos priori sententiæ suffragamur et posteriori simul; arundinem nempe rati eam esse quæ in locis palustribus crescat, sed quæ tenella et flexilis, ita ut prædæ pondere trahatur in longitudinem et crescat. Ed.

4. *Pinguis virga.* Hoc est, viscata arundo.

5. *Clara* pro *Cara* alii : sed *Cara* rectius esse censet Pulmann. *Solemnati* pro *solenne tibi* Beverlandi MS. *Mihi* Pulmann. — *Cara daret.* Videsis supra quæ de iis conviviis diximus quibus nomen Charistia. Dicebantur quoque *Chara cognatorum.*

6. *Vobis* codex Pulmanni.

7. *Sturnos inopes.* Gallice *étourneaux :* inopes vocat, quod pauperibus conveniant.—*Fringuillarum :* Gallice *Pinsons.* Legunt alii, *fringillarum*, sive *frigillarum*, quæ sic appellantur quod frigore cantent, ut ait Festus. — *Querelas.* Cantum nempe qui gemitus et ejulationum simile aliquid habeat. Sic Virgil. Ecl. I : « Nec gemere aeria cessabit turtur ab ulmo. »

8. *Vernat ager.* Poeta notat tempus quo celebrabantur hæc charistia, ver nempe.

9. *Salutatus picæ respondet.* Picam *salutatricem* dixit, lib. VII, epigr. LXXXVII. — Scilicet mos aves eas ad vocis humanæ imitationem docentibus τὸ Ave et Χαῖρε in primis docere. Et sic Persius, Satyrarum Prologo : « Quis expedivit psittaco suum χαῖρε. Corvos quis olim concavum salutare Docuit. » Ed.

10. *Hunc* pro *hinc* exhibet codex scriptus Pulmanni minus bene; *ad astra* Thuan. et Vaticanus.

11. *Munuscula cortis.* Hoc est, aves domesticas. Lib. VII, epigr. XXXI, « raucæ cortis aves ».

12. *Sæpe propinquus eris.* Hoc est, si parvulam hanc et velut meam ipsius rem exiguam benigne admiseris, sæpe tibi tanquam propinquo ejusmodi munera mittam.

LVI.

AD FLACCUM.*

Luce propinquorum, qua plurima mittitur ales,
Dum Stellæ turdos, dum tibi, Flacce, paro,
Succurrit nobis ingens onerosaque turba,
In qua se primum quisque meumque putat.
Demeruisse duos, votum est : offendere plures,
Vix tutum : multis mittere dona, grave est.
Qua possum sola veniam ratione merebor;
Nec Stellæ turdos, nec tibi, Flacce, dabo.

* Omnes membranæ et libri typis impressi, sive excusi, in hoc epigramm. exhibendo consentiunt. — Veniam petit quod in charistiis, nulla Flacco aut Stellæ mittat munera; caussam adfert, ne offendat plures, dum paucis tantum parat munera. Igitur nulli, inquit, dabo, ut nullus ægre ferat; credo Poetam nulla habuisse, immo desiderasse ab aliis.—Num hic Valerium Flaccum Setinum Balbum alloquitur? qui poeseos laude Flaviorum temporibus inclaruit, et octo libris nondum absolutum poema reliquit, cui titulus Argonautica. Ille certe Martiali amicissimus. Et quamquam de eo hic agi nihil demonstret, vel ex hoc crediderim quod Stellæ eum jungit, qui et ipse haud ignobilis poeta. Ed.

1. *Luce propinquorum*. Vide præcedens epigramma. De charistiis Ovid. lib. II, Fast. 617; quem locum jam retulimus pag. 425. Ed.

2. *Dum Stellæ*. Poeta haud vilioris notæ, de quo lib. I, epigr. VIII. — *Flacce*. Vide supra.

3. *Succurrit* pro *Occurrit*, offert sese mihi obvia.—*Onerosaque turba*. Amicorum turba, quibus omnibus munera si vellem mittere, mihi foret onerosum.

4. *In qua se primum*, etc. Hoc est, cujus nempe sibi videtur amicitia mea, his munusculis potissimum dignus. *Meum* vox est qua caritas et amor multus indicatur.

5. *Demeruisse duos. Demeruisse* idem sonat ac *meruisse*. Is ergo sensus est : Beneficio mihi conciliare te et Stellam volebam. Sed timeo et nequeo; nam si duobus misero, alios offendam, quod maxime vereor; si omnibus, rem familiarem conturbabo.

7. *Merebor*. Respicit ad quod prius dixerat *Demeruisse*.

8. *Nec Stellæ*. Ut ex aliis mihi amicis nemo conqueratur et me ingrati animi insimulet : sic festive se excusat Poeta.

LVII.

DE SPENDOPHORO.

Spendophorus Libycas domini petit armiger urbes :
  Quæ puero dones, tela, Cupido, para,
Illa quibus juvenes figis, mollesque puellas;
  Sit tamen in tenera levis et hasta manu.
Loricam clypeumque tibi galeamque remitto;
  Tutus ut invadat prælia, nudus eat.
Non jaculo, non ense fuit, læsusve sagitta,
  Casside dum liber Parthenopæus erat.

Καίσαρος ὁπλοφόρος Λιβύων ἐπαφίκετο δήμους
  Σπενδοφόρος· τάδ', Ἔρως, παιδὶ δοθησόμενα,
Οἶσε βέλη· κούρους οἷς βάλλεις, οἷς σύ γε κούρας·
  Δεξιτερῇ δ' ἔμπης ἔγχος ἐλαφρὸν ἔχοι.
Ἀσπίδα, καὶ κυνέην, καί σοι θώρηκ' ἀνίημι·
  Εἰ μαχέσαιτο μόνος γυμνὸς, ἄτρωτος ἔοι.
Λόγχῃ δ' οὐ βέβλητ', οὔτε ξίφει, οὔτε βελέμνῳ,
  Γυμνὸς ἕως κόρυθος Παρθενοπαῖος ἔην.

1. *Splendophorus* alii. Male ; nam hybrida vox. — *Spendophorus*. Domitiani tiro in Africam profecturus. — *Domini*, Domitiani, ut intelligunt omnes fere interpretes.

2. *Tela, Cupido, para.* Tua arma. *Altera tela arcus, altera tela faces.*

6. *Tutus*, etc. Illæsum et a vulneribus immunem præstabit eum, inermem utique, forma sua et venustas.—Immo et minus periculi, simul et magis virium nudo, quam si invida veste pulchritudinem celaverit. Sic Catullus aut par Catullo poeta in elegantissimis trochaicis, qui Pervigilium Veneris inscribuntur : « Jussus est inermis ire, nudus ire jussus est. Sed tamen, Nymphæ; cavete...Est in armis totus idem, quando nudus est Amor. » Ed.

7. *Ense*. Hic *hasta* Beverl. MS.

8. *Cum l.* id. — *Parthenopæus*. Formosissimus Meleagri atque Atalantæ filius fuit, ita nominatus ob eximiam quasi virginis (παρθένου) oculos (ὄπας), et quem ad bellum Thebanum profectum a vulnere

Quisquis ab hoc fuerit fixus, morietur amore.
O felix, si quem tam bona fata manent!
Dum pucr es, redeas, dum vultus lubricus; et te
Non Libye faciat, sed tua Roma, virum.

Πᾶς τούτου βελέεσσι παρεὶς ὑπ' ἔρωτος ὀλεῖται.
Εὐδαίμων, τοίης κηρὸς ὃν αἶσα μένει!
Νίσσεο, μέσφ' εἶ παῖς, μέσφ' ἔπλετο θῆλυ πρόσωπον·
Σὴ Ῥώμη τελέοι σ' ἄνδρα, καὶ οὐ Λιβύη.

defendit pulchritudo. (Vide lib. VI, epigr. LXXVII.) Suavissime de eo Æschylus, et juvenem et formosum et strenuum laudans: ματρὸς ἐξ ὀρεσκόου Βλάστημα καλλίπρωρον ἀνδρόπαις ἀνήρ· Στείχει δ' ἴουλος ἄρτι διὰ παρηΐδων!... Sept. ad Theb. vs. 484, sqq. Et Papinius lib. IV Sylvarum, « Qualis belli jam casside missa Parthenopæus erat. » Ed.

9. *Hoc fuerit fixus*, etc. Altero Cupidine, et Amoris telis instructo, ut modo vs. 2.

11. *Vultus.* Alii *vultu:* quod etiam in textum suum recepit *Barbou* Par. 1754. — *Vultus lubricus.* Horat. lib. I, od. XIX: « Et vultus nimium lubricus aspici. » *Lubricus* vero dicitur metaphora ducta a via lubrica, in qua difficile est sine prolapsione insistere. Sic difficile est formosum vultum adspicere, quin amore labefacietur animus.

LVIII.

IN HEDYLUM.*

Nil est tritius Hedyli lacernis,
Non ansæ veterum Corinthiorum,
Nec crus compede lubricum decenni,
Non ruptæ recutita colla mulæ,
Nec quæ Flaminiam secant salebræ,

* *In Edilum* Ald. Junt. Colin.

1. *Nil est tritius lac. Hedyli.* Cinædi nempe quem acute carpit.

2. *Veterum Corinthiorum.* Vasa intellige facta ex veteri ære Corinthio.

3. *Nec crus.* Servorum nempe, epigr. XXIII, supra.

4. *Recutita colla.* Cute nempe, quæ labore et verberibus detracta fuerat, renovata.

5. *Salebræ.* Sunt loca inæqualia,

Nec qui litoribus nitent lapilli,
Nec Tusca ligo vinea politus,
Nec pallens toga mortui tribulis,
Nec pigri rota quassa mulionis,
Nec rasum cavea latus bisontis,
Nec dens jam senior ferocis apri :
Res una est tamen, ipse non negabit,
Culus tritior Hedyli lacernis.

et aspera, saxis tritis, et lævigatis, quæ quasi sine saltu præteriri non possunt. De via Flaminia lib. IV, epigr. LXIV, vs. 18.

7. *Nec Tusca.* Ligonem interpretare lævigatum in fodiendis Etruriæ vineis, epigr. XXIII, supra.

8. *Nec pallens toga.* Qua amicti efferebantur mortui. Juven. Sat. III : « Pars magna Italiæ est (si verum admittimus) in qua Nemo togam sumit nisi mortuus. » De tribuli dictum epigr. L, supra. — Sed quid hic *pallens ?* Num alba? quum enim Romanorum cadavera efferrentur togata pro sua cujusque conditione, censorum purpurea, magistratuum prætexta, privatorum reliquias candida et simplex vestiebat. An vilior et tritior? quod in exsequiis usitatum, et omnibus togis convenit, sive candidæ ea fuerint, sive purpura aliisve coloribus splendidiores. ED.

9. *Nec pigri rota lassa mulionis.* Ant. *de Rooy* conjicit *Lassa* sc. circumacta quotidiano, atque adeo trita.

10. *Nec rasum.* Nec latus bovis sylvestris attritum cavea ubi includitur, lib. I, epigr. CV.

LIX.

AD NYMPHAM SABINI.*

NYMPHA sacri regina lacus, cui grata Sabinus,
Et mansura pio munere templa dedit;

* *Ad Nympham* sine additamento inscribitur in Ald. Junt. Colin. Gryph. aliis.
— Mittit librum ad censorium tribunal Cæsii Sabini Umbri, Auli Pudentis municipis; cui librum quoque septimum transmisit, ut est lib. VII, epigrammate XCVII.

1. *Nympha sacri l.* Vide notam præcedentem. Librum ad Nympham fontis Sabini idcirco mittit, ut, si displiceat ipsi Sabino, in aquas immergatur.

2. *Templa dedit.* Numina quippe

Sic montana tuos semper colat Umbria fontes,
Nec tua Baianas Sarsina malit aquas;
Excipe sollicitos placide, mea dona, libellos;
Tu fueris Musis Pegasis unda meis.
Nympharum templis quisquis sua carmina donat,
Quid fieri libris debeat, ipse monet.

fontibus inesse credebant Veteres, atque illa colebant. De his jam dictum.

3. *Sic montana*. Lib. VII, epigramm. citat. vs. 2.

4. *Nec tua*. Hoc est, nec Baianas aquas tuis anteponant Sarsinates. — *Sarsina* Umbriæ urbs.

5. *Sollicitos*. De judicio Sabini.

6. *Pegasis unda*. Hoc est: Te existimabo Hippocrenen fontem Musis sacrum, quem Pegasus ungula sua aperuit: unde et Musæ dictæ sunt Pegasides. Ovid. Met. IV: « Fama novi fontis nostras pervenit ad aures, Dura Medusæi quem præpetis ungula rupit. »

8. *Docet* pro *monet* Pulmann. — *Quid fieri*. Nimirum in undas mergendos esse, si displicuerint. Conf. lib. III, epigr. c et lib. IV, epigr. x.

LX.

IN MAMURRAM.*

In septis Mamurra diu multumque vagatus,
Hic ubi Roma suas aurea vexat opes,
Inspexit molles pueros, oculisque comedit;

* Epigramma elegans, quo facete describitur homo ἀλαζών. Ideo in Mamurra paupertatis dissimulatores irridet; qui in nundinis scilicet ibant perinde quasi omnia empturi, quum vix haberent quod domi cœnarent.

1. *In septis*. In campo nempe Martio erant septa, de quibus lib. II, epigr. xiv.

2. *Ubi Roma*, etc. Ubi venales exponuntur, ostentantur, licitantur, emuntur ingentis pretii merces. Lib. X, epigr. lxxx. — *Vexat*. Emendo, licitando, litigando, ostentando. — Miræ sane audaciæ vox, et quæ dithyrambicum aliquid sapiat. Usurpaverat tamen Crispus in Bello Catil. ubi de Romanorum prodigentia Catilina ait: « trahunt pecuniam, vexant. » Ed.

3. *Inspexit molles pueros*. Venales diligenter inspexit. Lib. VI, epigr. lxxxii, vs. 1. — *Oculisque comedit*. Sic lib. I, epigr. xcvii, vs. 12. — *Inspexit molles*. Quasi empturus.

Non hos, quos primæ prostituere casæ;
Sed quos arcanæ servant tabulata catastæ,
Et quos non populus, nec mea turba videt.
Inde satur, mensas, et opertos exsuit orbes,
Expositumque alte pingue poposcit ebur;
Et testudineum mensus quater hexaclinon,
Ingemuit citro non satis esse suo.
Consuluit nares, an olerent æra Corinthon;
Culpavit statuas et, Polyclete, tuas.
Et turbata brevi questus crystallina vitro,
Myrrhina signavit, seposuitque decem.
Expendit veteres calathos, et si qua fuerunt
Pocula Mentorea nobilitata manu;

Juvenalis Sat. VII, vs. 132. « Perque forum juvenes longo premit assere Medos, Empturus pueros, argentum, myrrhina, villas. »

4. *Casæ*. Tabernæ viliores et expositæ. Ubi scil. viliora mancipia et rejicula.

5. *Sed quos....servant catastæ*. Catasta machina erat lignea, in qua servi exponebantur veuales. De hac nos supra egimus ad epigr. XXX, et lib. VI, epigr. XXIX.

6. *Nec mea turba*. Hoc est, nec turba pauperum mihi similium.

7. *Satur*. Ut oculis satiatis. — *Opertos exsuit orbes*. Retegi postulavit et efferri opertas atque interius reconditas magni pretii mensas citreas et eburneas rotundas. Lib. II, epigr. XLIII, vs. 9.

9. *Et testudineum hexaclinon*. Hoc est, lectum discubitorium sex hominibus capiendis aptum, et testudinis puntaminibus ornatum. Juv. Sat. II, vs. 95. « Nemo inter curas et seria duxit habendum, Qualis in Oceani fluctu testudo nataret, Clarum Trojugenis factura ac nobile fulcrum. »

10. *Satur* Pulmann. —*Non satis esse*. Hoc est, non satis amplum esse, ut par esset citreæ suæ mensæ.

11. *Consuluit nares*, etc. An statuæ essent ex ære ut aiunt Corinthio, quod erat pretiosissimum. In Corinthi enim incendio confluxere æris, aurique, argentique venæ: unde æs Corinthium mistum, laudabilius.

12. *Polyclete*. Polycleti meminit lib. VIII, epigr. LI.

13. *Brevi*. Pro hoc Pulmann. *siti*. Vat. *nitro;* ita Salm. p. 204.

14. *Myrrhina*. Vasa scilicet, lib. III, epigr. XXVI. — *Signavit seposuitque decem*. Quasi empturus.

15. *Calathos*. Vasa vinaria hoc loco intelligere videtur Poeta, lib. XIV, epigr. CVII. Virgil. Eclog. V. « Vina novum fundam calathis Arvisia nectar. »

16. *Mentorea*, etc. Lib. III, epigramm. XLI, vs. 1.

Et virides picto gemmas numeravit in auro,
Quidquid et a nivea grandius aure sonat.
Sardonychas veros mensa quæsivit in omni,
Et pretium magnis fecit iaspidibus.
Undecima lassus quum jam discederet hora,
Asse duos calices emit, et ipse tulit.

17. *Virides gemmas*, etc. Smaragdos aureo calici insertos. Conf. lib. XIV, epigr. CIX. Virides enim gemmas auro decorando maxime convenire, persuasum Veteribus; quapropter eas præcipue poculis aureis includebant.

18. *Aure sonat.* Margaritæ nempe atque uniones pendebant ex auribus mulierum.

19. *Veros.* Habet hic Beverlandi MS. *quæ viro.* Alii *mensas quæsivit in omnes:* ut in Junt. Colin. etc. — *Sardonychas veros.* Sunt enim et adulterini, lib. IV, epigr. LXI, vs. 6.

21. *Undecima.* Hoc est, hora diei undecima, una ante noctem; lib. IV, epigr. VIII.

22. *Et ipse tulit.* Quia tam pauper erat, ut nec servum haberet.

LXI.

SABINO MITTIT CORONAM ROSEAM.*

Seu tu Pæstanis genita es, seu Tiburis arvis,
Seu rubuit tellus Tuscula flore tuo,
Seu Prænestino te villica legit in horto,
Seu modo Campani gloria ruris eras;
Pulchrior ut nostro videare corona Sabino,
De Nomentano te putet esse meo.

* *De corona rosea* in edd. vett. Ald. Junt. Colin. Gryph. Delph. nulla alia varietas in libris invenitur.

—Quo gratior sit Cæsio Sabino rosea hæc corona quam illi mitto, putet hanc natam fuisse in horto meo Nomentano: etsi forte sit e bifero Pæsto, Tibure, Tusculano, Præneste, seu Campania. Namque mihi empta est: sic et lib. X, epigrammate XCIV.

1. *Seu tu.* Recenset varia loca quæ rosis abundarent, de quibus sæpius dictum.

6. *De Nomentano*, etc. In agro suo Nomentano, de quo jam lib. II, epigr. XXXVIII.

LXII.

DE PLATANO CÆSARIS.*

In Tartessiacis domus est notissima terris,
   Qua dives placidum Corduba Bætin amat;
Vellera nativo pallent ubi flava metallo,
   Et linit Hesperium bractea viva pecus;
Ædibus in mediis totas amplexa Penates
   Stat platanus densis Cæsariana comis;
Hospitis invicti posuit quam dextera felix,
   Cœpit et ex illa crescere virga manu.
Auctorem, dominumque nemus sentire videtur;
   Sic viret, et ramis sidera celsa petit.
Sæpe sub hac madidi luserunt arbore Fauni,
   Terruit et tacitam fistula sera domum;

* *De platano Cordubensi* hoc epigramma in nonnullis inscribitur. — Explicat platanum Cæsaris manu satam Cordubæ, de qua nihil alii scriptores, quum passim celebrentur platani Socratis apud Platonem in Phædro; Ciceronis primo de Oratore, cap. 7; Xerxis regis Persarum in Lydia, apud Ælianum lib. II, cap. 14.

1. *In Tartessiacis.* Idem est Tartessus ac Bætis Hispaniæ fluvius, lib. VIII, epigr. XXVIII, vs. 5.

2. *Placitum* Pulmann.—*Corduba.* Urbs Hispaniæ nota ad Bætin.

3. *Vellera.... flava metallo.* Ubi nempe aureum vellus habent oves. Noster, lib. XII, epigr. XCIX: « Bætis olivifera crinem redimite corona, Aurea qui nitidis vellera tingis aquis. » Item Juvenalis Sat. XII, vs. 42: « Atque alias, quarum generosi graminis ipsum Infecit natura pecus, sed et egregius fons Viribus occultis, et Bæticus adjuvat aer. »

9. *Dominumque nemus.* Alii *dominumque suum.* Placet prior lectio; nam platanum *nemus* appellat propter ejus magnitudinem.

11. *Fauni.* Numina agrestia.

12. *Terruit*, etc. « Vulgo sequenti versui hoc pentametron, et quod illic legitur, huic subjicitur. Id contra mentem Martialis factum ex MS. Palat. docuit Gruterus. Cui adversatur Scriverius invitis Musis ac Gratiis: ut ostendit Gronovius et auctoritate codicis Arondelliani, et certa ratione lib. I Observationum. » SCHREVEL. — *Fistula sera.* Syrinx Pana fugiens in arundinem conversa fuit, ex qua facta est fistula qua utebatur Pan.

Dumque fugit solos nocturnum Pana per agros,
Sæpe sub hac latuit rustica fronde Dryas.
Atque oluere lares commissatore Lyæo,
Crevit et effuso lætior umbra mero;
Hesternisque rubens dejecta est herba coronis,
Atque suas potuit dicere nemo rosas.
O dilecta Deis, o magni Cæsaris arbor,
Ne metuas ferrum, sacrilegosque focos.
Perpetuos sperare licet tibi frondis honores;
Non Pompeianæ te posuere manus.

14. *Dryas.* Nympha querquetulana. Singulis enim arboribus Nympham præesse credebant antiqui : quam, quod una cum arbore nasceretur moreretur que, Hamadryadem appellabant ; qunm *Dryas* sit quæ toti nemori silvæque præsit, a δρῦς.

16. *Effuso latior.* Scriverius, et *Barbou.* Vulg. *lætior. Delecta* etiam vulg. *Detecta* Grut. — *Crevit et effuso.* Platanos vino irrigare solebant Veteres, ut melius crescerent. Macrobins Saturn. lib. III, cap 13. Vide et lib. I. Anthol. εἰς οἶνον.

18. *Atque suas*, etc. Quia sponte natæ erant.

20. *Ne metuas.* Quum sis dictatori Cæsari sacra.

21. *Perpetuos frondis.* Hoc est, perpetuam viriditatem.

22. *Non Pompeianæ.* Victæ, scilicet, atque infausti ominis manus.

LXIII.

DE PHILÆNI.*

Tinctis murice vestibus quod omni

Χρᾶται εἵμασι κοκκίνῳ βαφεῖσι

* *De Philænide* alii. *De Phileni* Junt. Colin. Cætera, haud invenio ullam varietatem.

— *De Philæni.* Ipsa illa, de qua actum jam lib. VII, epigr. LXVII. Hæc mulier purpureis utebatur vestibus, ut vehementi odore impuri oris fœtorem obrueret. Et improbus poeta quam tueri contra accusantes simulat, superbiæ enim et luxus innoxiam canit, altius pungit, fœditatis arguens; hæc enim criminationibus cunctis pejor excusatio. Ed.

Et nocte utitur, et die Philænis,
Non est ambitiosa, nec superba;
Delectatur odore, non colore.

Νύκτωρ καὶ πρόπαν ἦμαρ ἡ Φιλαινίς·
Κοὐκ ἔστιν φιλότιμος, οὐδ' ὑπέρφρων·
Ὀσμῇ τέρπεται, οὐ βαφῆς ἄρ' ἄνθει.

LXIV.

IN PHOEBUM.*

Ad cœnam invitant omnes te, Phœbe, cinædi;
Mentula quem pascit, non, puto, purus homo est.

* In hoc etiam epigrammate exhibendo omnes libri et codices consentiunt.

1. *Phœbe*. Ludit forte in nomine; φοῖβος enim *purum* sonat, quasi dicat, nomine purus, re impurus.—Si jocus circa vocem unam, malim circa τὸ *pascit*, quod ambiguum, et *alimenta suppetit* et *os opplet* pariter significat. Ed.

LXV.

DE STATUA CÆSARIS DOMITIANI.*

Herculis in magni vultus descendere Cæsar
Dignatus Latiæ dat nova templa viæ,

* *De statua Domitiani* in edd. vett.

1. *Herculis*, etc. Domitianus se ad imaginem Herculis, cui templum in Appia via, octavo ab Urbe lapide, condiderat, fingi et coli voluit, epigr. cıı, infra.—Mirum autem quam cupide similes sese fabulosi *scytalosagittipeltigeri* (sic vocat Tertullianus) dici et effici voluerint fatui et mali imperatores, Domitianus, Commodus, Caracalla; et post eos collega Diocletiani, Maximianus, cui cognomen additum est imperanti *Herculius*. Ed.

2. *Latiæ viæ*. Videtur Poeta in-

Qua Triviæ nemorosa petit dum regna viator,
 Octavum domina marmor ab urbe legit.
Ante colebatur votis, et sanguine largo;
 Majorem Alciden nunc minor ipse colit.
Hunc magnas rogat alter opes, rogat alter honores;
 Illi securus vota minora facit.

telligere viam Appiam, quam templo decoravit Domitianus, in quo sub Herculis imagine adorari volebat.

3. *Qua Triviæ*. Hoc est, Dianæ, lib. Spect. epigr. I. — *Nemorosa regna*. Templum celeberrimum et antiquissimum intellige, cui lucus Dianæ Aricinæ sacer adjacebat. Ovid. lib. III Fastorum describit locum et lucum. — *Viator*. Pedes scilicet; equiti enim nemus illud adire non licebat. Sic Ovidius loco citato, vs. 266: « Unde nemus nullis illud aditur equis. »

4. *Decimum* pro *dominam* Vat. — *Octavum marmor*. Hoc est, octavum ab Urbe milliarium. Sic dominam Romam dixit, lib. I, epigramm. IV.

5. *Ante*, etc. Hos quatuor versus alii a superioribus segregant, et *De eadem statua* inscribunt. — *Colebatis* in edd. Ald. Junt. Colin. Par. 1617. Delph.

6. *Ipse*. Pro hoc quidam *iste*. — *Majorem Alcidem*. Domitianum intellige, quem precibus et victimis colebant Romani: eum rursus anteponit Herculi, in epigrammate jam supra citato.

7. *Hunc*. Domitianum nempe.

8. *Illi securus*. Quia Hercules non ægre feret a se minori Deo peti minora, quam a Domitiano Deo majori.

LXVI.

AD HERCULEM, DE EADEM STATUA.*

Alcide, Latio nunc agnoscende Tonanti,
 Postquam pulchra Dei Cæsaris ora geris,

* *De eadem, ad Herculem* in ed. *Barbou*, Par. 1754.

— Nullum facit adulandi finem poeta, Herculemque a Cæsaris facie tantam dignitatem capere dicit, ut, si illum vultus honorem et elegantiam mortalis habuisset olim, nullum omnino periculum aditurus fuisset.

1. *Nunc agnoscende Tonanti*. Nunc tandem probas te Jovis Capitolini filium, postquam indutus es formam Domitiani, modo supra epig. LXV, versu. I.

Si tibi tunc isti vultus habitusque fuissent,
Cesserunt manibus quum fera monstra tuis;
Argolico famulum non te servire tyranno
Vidissent gentes, sævaque regna pati:
Sed tu jussisses Eurysthea; nec tibi fallax
Portasset Nessi perfida dona Lichas.
OEtæi sine lege rogi securus adisses
Astra patris summi, quæ tibi pœna dedit;
Lydia nec dominæ traxisses pensa superbæ;
Nec Styga vidisses, Tartareumque canem.
Nunc tibi Juno favet, nunc te tua diligit Hebe;
Nunc te si videat Nympha, remittet Hylan.

5. *Argolico tyranno.* Eurystheo, regi Argivorum, qui ope Junonis prior Hercule natus erat: quamobrem jus habuit in Herculem, ipsique imperavit, ut atrocissima tot subiret pericula. Hæc historia satis nota.

7. *Jussisses Eurysthea.* Censet Gronovius Martialem potius scripsisse: *Sed tu jussisses Eurystheo:* contractis duabus syllabis, ut solent poetæ. Ant. *de Rooy* conjicit evenisse a manu Martialis *Sed tu risisses Eurysthea;* hoc est, *Sprevisses, non curasses.* Exhibent *Eurysthei* Ald. Junt. Colin. — *Sed tu jussisses Eurysthea.* Unicum hoc exemplum est verbi *jubere* cum accusativo personæ non apposito infinitivo. An placet ex præcedenti versu intelligere, *regna pati?*— Audacius, et meo quidem judicio melius nihil supplere. Ed.

8. *Fallax Lichas.* Servus nempe Dejaniræ nomine vestem Nessi centauri Herculi portavit; quam vocat *perfida dona*, quia veneno imbutam muneris loco illam Dejaniræ reliquerat Centaurus. Hac indutus Hercules, sic furore correptus est ut in flammas se immiserit. Vide Ovidium in Dejanira, et Senecam in *Hercule furenti.*

9. *OEtæi sine lege rogi.* Hoc est, non combustus rogo exstructo in OEta monte cælum adiisses, sed a morte immunis inter Deos relatus fuisses.

11. *Lydia nec dominæ.* Omphalen reginam Lydiæ intellige, quæ Herculem amore perditum ad fila deducenda compulit.

12. *Nec Styga vidisses.* Hoc est, nec ab Omphale jussus, ut videtur Martialis intelligere, aut potius ab Eurystheo, ut aliis placet, descendisses ad Inferos.

13. *Hebe.* Junonis filia sine patre, Dea juventutis, quæ uxor data est Herculi in cælum relato.

14. *Nunc te.* Scilicet si referentem Domitiani effigiem te videat Amphidacia Nympha (lib. V, epigr. XLVIII, vs. 5), quæ tuum Hylan rapuit, illum reddet.

LXVII.

AD FABULLUM.

Uxor quum tibi sit formosa, pudica, puella,
Quo tibi natorum jura, Fabulle, trium?
Quod petis a nostro supplex Dominoque Deoque,
Tu dabis ipse tibi, si potes arrigere.

2. *Quid tibi* alii, ut est in Ald. Colin. Gryph. Delph. etc. — *Quo*. Hoc est, quorsum tibi opus est jure trium liberorum? de quo jam copiose nobis dictum lib. II, epigr. XCI, et lib. VIII, epigramm. XXXI, cujus argumentum fere idem est.

3. *Dominoque Deoque*. Sic Domitianum appellavit dominum, lib. V, epigr. VIII.

4. *Tu dabis*, etc. Vid. lib. VIII, epigr. XXXI.

LXVIII.

IN ÆSCHYLUM.*

Lascivam tota possedi nocte puellam,
Cujus nequitias vincere nemo potest.
Fessus mille modis, illud puerile poposci;
Ante preces totas, primaque verba dedit.
Improbius quiddam ridensque rubensque rogavi;
Pollicita est nulla luxuriosa mora.

* In exhibenda hujus epigrammatis lectione nequaquam variant membranæ aut libri typographici.

3. *Illud puerile poposci*. Δύσφημεν ἐκεῖνο, ὅ, τι πάσχουσιν οἱ παῖδες. Sic sæpe hoc pronomen ponitur, relato subintellecto. Catullus : « Et quærendum unde unde foret nervosius *illud*. » Sic *res illas* dixit Arnobius τὸ ἀνδρεῖον. Dicebantur aliquando *multa illa*, id est, lascivæ illæ et obscœnæ voluptates. Et Catullus : « Ubi illa multa tam jocosa fiebant. » Græci ταῦτα vel ἐκεῖνα eodem modo. Heraldus.

5. *Improbius*, etc. Ore morigerari

Sed mihi pura fuit; tibi non erit, Æschyle : si vis,
Accipe et hoc munus conditione mala.

7. *Sed mihi*, etc. Nec tamen feci, pretio deterritus, seu rei turpitudine.—Ego sic intelligo : At tunc primum improbum id faciebat ; hactenus voluptatis illius expers fuerat et rudis ; nunc non est. ED.

8. *Conditione mala.* Magno pretio, caro emptum.

LXIX.

IN MAGISTRUM LUDI.*

Quid tibi nobiscum est, ludi scelerate magister,
Invisum pueris virginibusque caput?
Nondum cristati rupere silentia galli;
Murmure jam sævo verberibusque tonas.
Tam grave percussis incudibus æra resultant,
Causidicum medio quum faber aptat equo.
Mitior in magno clamor furit amphitheatro,
Vincenti parmæ quum sua turba favet.

* In hoc epigrammate nulla varietas, nisi quod Beverlandi MS. pro *Vicini*, vs. 9, habet *Vicino*, et vs. penult. pro *quantum*, *tantum*.
— Irascitur clamoso ludi moderatori, somnum poetæ matutinum interrumpenti : ait se didactrou solutnrum, non si doceat, sed taceat.

2. *Virginibusque.* Verbera timentibus. Vide lib. X, epigr. LXII.

3. *Nondum cristati.* Hoc est, nondum galli cecinere. — Scilicet miserrimi illi homines media pene nocte scholam aperire incipiebant, id est, primo diluculo, vel ante, et pene prinsquam galli solem advenientem salutarent. Juv. Sat. VII, 223 : « Dummodo non pereat, mediæ quod noctis ab hora Sedisti », etc.

5. *Tam grave*, etc. Non intonas minore verberum verborumque strepitu, quam fabri incus, dum fingitur equestris statua causidico. Vide auctorem dialogi de Oratoribus. Item Juven. Sat. VII, vs. 123 : « Æmilio dabitur quantum licet », etc. Quod nempe suis in vestibulis statuam equestrem haberet, quæ tunc temporis multos clientes conciliabat causidico.

7. *Magno amphitheatro.* Illud nempe cui modo Vespasiani, modo Titi nomen inditum. Spect. ep. III.

8. *Vincenti parmæ.* Nomen proprium putat Domitius : alii sic interpretantur, quum nempe turba par-

Vicini somnum non tota nocte rogamus;
  Nam vigilare leve est, pervigilare grave.
Discipulos dimitte tuos : vis, garrule, quantum
  Accipis ut clames, accipere ut taceas?

mulario (sic Thracas, genus gladiatorium celeberrimum nuncupabant quod armati *parma* dimicarent)... Quod autem *sua turba* dixit, non temere; erant enim in Theatro, Amphitheatro, atque Circo factiones, et inde diversus favor. De populi acclamationibus in Circo et Amphitheatro, variisque de factionibus, vide Bullengerum cap. 46, lib. de Circo. — *Vincenti*. Quum parmularii, i. e. qui Thracibus gladiatoribus parma armatis favent, suæ factioni victrici applaudunt.

10. *Pervigilare*. Hoc est, tota nocte vigilare gravissimum est.

LXX.

IN POLYCARMUM.*

Quum futuis, Polycarme, soles in fine cacare.
  Quum pædicaris, quid, Polycarme, facis?

* Omnes libri typographici et excusi similem lectionem hujus epigrammatis produnt. Nos libentius *Polycharmum* non *polycarmum* scriberemus. Illud enim græcum, hoc minime. Sed quid græcanica voce hic opus? scilicet græcanicam indicat pars prior istius vocabuli *Poly*. Ed.

1. *Quum*, etc. Clarior illius versiculi sensus et sequentis, quam ut commentarii egeat; et pudet.

LXXI.

IN CÆCILIANUM.*

Dixerat, o mores! o tempora! Tullius olim,
  Sacrilegum strueret quum Catilina nefas;

* *In Mæcilianum* Palatin., quod recepit *Barbou* Par. 1754.
— Adulatur Cæsari, dum reprehendit Cæcilianum, vel ut alii legunt, Mæcilianum, sua tempora vituperantem, ac priora immodice laudantem.

1. *Dixerat, O mores!* Quum in

Quum gener atque socer diris concurreret armis,
Mæstaque civili cæde maderet humus.
Cur nunc, o MORES! cur nunc, O TEMPORA! dicis?
Quod tibi non placeat, Cæciliane, quid est?
Nulla ducum feritas, nulla est insania ferri;
Pace frui certa, lætitiaque licet.
Non nostri faciunt, tua quod tibi tempora sordent;
Sed faciunt mores, Cæciliane, tui.

patriam arma civilia moverenlur. Nota esl ex Sallustio et aliis Catilinæ conjuratio; el celeberrimæ quatuor orationes quas in illum et de illo in Senatu et in concione populi habuit lunc consul Cicero.

3. *Quum gener atque socer.* Cæsar nempe et Pompeius qui Juliam Cæsaris filiam uxorem duxerat: quorum historia passim obvia. *Insania ferri* pro illius insania, quicumque *arma amens rapit.*

LXXII.

DE LEONE ET ARIETE.*

MASSYLI leo fama jugi, pecorisque maritus
Lanigeri, mirum, qua coiere fide.
Ipse licet videas, cavea stabulantur in una,

Μασσύλου λῖς εὔχος ὄρους, πόσις είροπόκου τε
Ποίμνης ἀλλήλοις ὅρκια πίς' ἔταμον.
Τὴν αὐτὴν (ὁράας γὰρ) ὁμέςιοι αὖλιν ἔχουσι·

* Laudat et stupet concordiam leonis et arielis, simul innoxie habitantium; ideoquedignum utrumque cælo judicat, æque ac leonem Nemeæum, et arietem Phryxi vectorem et Helles.

1. *Massyli.* Libyæ pars est Massylia, in qua sunt leones ingentis magnitudinis: lib. VIII, epigr. LV. — *Pecorisque maritus.* Aries nempe. Sic Virgilius Eclog. VII, « Vir gregis ipse caper », etc.

2. *Coiere.* Quod facillime intelligas. At in vett. edd. *posuere*; quæ vox sine addito significat « sedati sunt », hoc esl, consenseruut. Virgil. Æneid. VIII. «Quum venti posuere », elc. nempe iram. En

Et pariter socias carpit uterque dapes.
Nec fœtu nemorum gaudent, nec mitibus herbis;
Concordem satiat sed rudis agna famem.
Quid meruit terror Nemees, quid proditor Helles,
Ut niteant celsi lucida signa poli?
Sidera si possent pecudesque feræque mereri,
Hic aries astris, hic leo dignus erat.

Κοινὴν φέρβονται δαῖτα συναμφότεροι.
Κ' οὐ θαλλοῖς χαίρουσι, καὶ οὔτι ποηφαγέουσι·
Σύμφρονα χορτάζει θῆρα τέρεν πρόβατον.
Καὶ τί μέγ' ἔῤῥεξαν Νεμέης τρόμος, ἢ κριὸς Ἕλλης,
Ὥς' ἐςηρῖχθαι τείρε' ἐπουράνια;
Εἴγε βοτοῖς τόπος ἦν καὶ θηρσὶν ἐν ἀςράσ', ὅδ' ἄςρων
Ἄξιος ὁ κριὸς ἦν, ἄξιος ἦν ὁ λέων.

4. *Pariter socias*, etc. Uno eodemque cibo vescuntur leo et aries.

5. *Nec fœtu*. Hoc est, nec leo desiderat feras, nec aries herbas quibus vesci solet.

6. *Sociat* Pulmannus. *Feram* Ald. Juni. Colin. Gryph. Langii, Par. 1617. Delph. *Famem* Scriverius, Barbou, Par. 1754. — *Sed rudis agna*. Quod mirum videtur, arietem scilicet agna vesci.

7. *Portitor Helles* alii. — *Terror Nemees*. Nemeæus ille ab Hercule interfectus, de quo lib. V, epigr. LXV. — *Quid proditor*. Phryxi aries, de quo lib. VIII, epigr. LI.

LXXIII.

AD LIBERUM.*

Liber, Amyclæa frontem vittate corona,

* *Ad Liberum amicum* in aliis editt. — Rogat hic Martialis a Libero pugile esculentis donatus, quam ob causam absit vinum; ludens nempe in nomen *Liberi*, quod perinde sonat ac Bacchus. Quis autem non obstupescat a vini Deo omnia missa præter vinum, sine quo friget? En

1. *Redimite* pro *vittate* alii; sed Gruterus ex Palat. Angl. legendum censet, *vittate;* nec aliter codex Pircheimeri. — *Liber*. Ad quem scripsit, lib. VIII, epigr. LXXVII. Amyclæ civitas est Laconiæ, in qua re-

Qui quatis Ausonia verbera Graia manu,
Clausa mihi texto quum prandia vimine mittas,
Cur comitata dapes nulla lagena venit?
Atqui digna tuo si nomine munera ferres,
Scis, puto, debuerint quæ mihi dona dari.

perit Pollux Spartanus pugilatum; quæ ars deinceps apud Amyclenses præcipue invaluit.

2. *Qui quatis Ausonia.* Hoc est, qui Italus exerces Græcorum certamen, scilicet pugilatum.

3. *Clausa*, etc. Cur simul cum dapibus sportulæ (hoc est enim *texto vimine*) non misisti lagenam?

5. *Digna tuo*, etc. Liber nempe Bacchus dicitur, atque ita Bacchi munera mittere debuit.

LXXIV.

IN SUTOREM.*

Dentibus antiquas solitus producere pelles,
Et mordere luto putre vetusque solum,
Prænestina tenes decepti regna patroni,
In quibus indignor si tibi cella fuit.
Rumpis et ardenti madidus crystalla Falerno,

* Dolet sutorem clientem in possessionem agrorum, qui quondam fuerant domini sui, venisse, artem quamquam vilem professum: se autem nobilissima disciplina eruditum, esurire.

1. *Antiquas pelles.* Hoc est, vetera coria; quod videmus cerdones et sutores facere, dum mordicus extendentes corium adaptant calceis.

2. *Solum.* Sumitur hic pro solea calcei rupti, quem reficit sutor. — Et sic Lucretius « loca nullius ante Trita *solo* ». Et Noster lib. X, LXXII, v. 7: « pictorum *sola* basiate regum. »

3. *Defuncti rura* alii; quod paulo immutat sensum. — *Prænestina regna.* Legata nempe a patrono, quem sane malis artibus captaverat sutor. Nam haud raro id factum, uti, quum patronus sine liberis decederet, cliens aut libertus in bona patroni succederet; ut contra in liberti, patronus. De Prænestino rure copiose satis egimus ad lib. IV, epigr. LXIV, vs. 33.

4. *In quibus*, etc. In quibus indignum est tibi esse vel cellam servi; quasi dicat, indignus eras cella, ne dicam tota domo, et omnibus bonis. Lib. III, epigr. XLVIII. — *Si tibi cella fuit.* Hoc est, nec cella, nec minima domus parte dignus eras.

Et pruris domini cum Ganymede tui.
At me literulas stulti docuere parentes.
Quid cum grammaticis rhetoribusque mihi?
Frange leves calamos, et scinde, Thalia, libellos;
Si dare sutori calceus ista potest.

6. *Et pruris.* Lascivis φιλόκνισος. — *Cum Ganymede.* De puero delicato, lib. V, epigr. LVI.

7. *At me literulas.* Per contemptum utitur hoc verbo, atque insanos vocat parentes, quod illum, neglectis pecuniosis artibus, docuerint nobiliores scientias, quæ nullum ipsi fructum afferrent.

9. *Frange leves.* Sic etiam Juven. Sat. VII, vs. 28: « Frange miser calamos, vigilataque prælia dele »; hoc est, O Musa, abjice studia, siquidem plus prodest ars sutoria. Haud minus suave et luculenter in Anthol. lib. I, cap. 17. Ὄργανα μουσάων, τὰ πελύσσονα βιβλία πωλῶ.... Πιερίδες σώζοισθε, κ. τ. λ. Et Nostras *Boileau*, sat. VIII:

Prends-moi le bon parti, laisse-là tous les livres.
Cent francs au denier cinq, combien font-ils?
— Vingt livres. Ed.

10. *Sutori.* Pro hoc *quæ sutor* Pulmannus, male.

LXXV.

DE EFFIGIE CAMONI.*

Effigiem tantum pueri pictura Camoni
Servat, et infantis prima figura manet.
Florentes nulla signavit imagine vultus,
Dum timet ora pius muta videre pater.

* *De Gamonio puero* Thuan. Pulmannus *De Gamono puero*.

— Defunctorum imagines caritatis et memoriæ ergo sibi fieri curabant servabantque Veteres. Pater Camoni adolescentis vicennis emortui imaginem expressit, non quidem in illo ætatis flore, ne tantæ spei juvenis aspectus immodico dolore patrem afficeret, sed infantis forma effinxit, quo recordatio foret minus ingrata. Vide et huic confer epigramma græcum cujus id initium: Αὐτὴν Θειοδότην ὁ ζωγράφος, etc. lib. III Anthologiæ, cap. 12.

1. *Gamoni* Beverlandi MS.

2. *Prima figura.* In MS. Gronovius invenit, *parva fig.* et placet, est enim hypallage pro *parvi.* Alterum satis est haberi epigr. LXXVII infra *primaque forma fuit.* Schrev. — *Manus* Beverlandi MS.

3. *Florentes.* Ætate, scil. viginti annorum.

4. *Muta.* Pictura enim muta; vel quia infantes non loquuntur.

LXXVI.

DE BALNEO TUCCÆ.*

Non silice duro, structilive cæmento,
Nec latere cocto, quo Semiramis longam
Babylona cinxit, Tucca balneum fecit;
Sed strage nemorum, pineaque compage,
Ut navigare Tucca balneo possit.
Idem beatas lautus exstruit thermas
De marmore omni, quod Carystos invenit,

* *De balneo et thermis Tuccæ* in ed. *Barbou* Par. 1754.

— Irridet balneum Tuccæ ligneum, et thermas marmoreas; quum ordo materiæ vertendus esset. *Balneum* enim hoc loco accepit pro receptaculo aquarum frigidarum, seu cella frigidaria; *thermas* pro caldaria, in qua erant calefaciendæ aquæ. Conveniebat, ut thermæ fierent ligneæ, sic aquis calefaciendis multo aptiores, et marmora ad frigidas excipiendas pararentur. Habebant prisci Romani juxta thermas, etiam cellas frigidas, ut ex Papinio, Plinio juniore, doceri posset. Raderus.

1. *Structilive cæmento.* Nec lapide cæso ad fundamentum jaciendum, cui ædificium superstruatur.

2. *Nec latere cocto*, etc. Bene; nam ex lateribus coctis muri Babylonis. Unde non his absona Naso Metam. lib. III, de Pyramo et Thisbe incipiens: « Hic ubi fertur *Coctilibus* muris *cinxisse* Semiramis urbem. » — *Longam.* Ambitus mœnium Babylonis erat milliariorum nostrorum undecim, altitudo pedum ducentorum, latitudo quinquaginta pedum: quo nomine Antipater dixit, ἐπίδρομον ἅρμασι τεῖχος.

4. *Strage nemorum*, etc. Lignis, materia navibus magis, quam frigidariis balneis conveniente.

6. Quam frequenter *beatus* pro locuples, opulentus, splendidissimus, satis notum, vel ex Flacci ἀποστροφαῖς, qui sic magnos amicos allocutus: « O *beate* Sexti, Vitæ summa brevis », etc. Lib. I, od. iv. « Quando repostum Cæcubum ad festas dapes... Tecum sub alta... domo, *Beate* Mæcenas, bibam! » Epod. X. Ed.

7. *De marmore omni.* Varia nempe præstantissimi marmoris genera enumerat. Vide lib. VI, ep. xlii. — *Carystos.* Oppidum Eubœæ insulæ, hodie *Negroponte.* Strabo lib. X: Κάρυστος δ' ἐστὶν ὑπὸ τῷ ὄρει τῇ Ὄχῃ. Πλησίον δὲ τὰ Στύρα, καὶ τὸ Μαρμάριον, ἐν ᾧ τὸ λατόμιον τῶν Καρυστίων κιόνων, ἱερὸν ἔχον Ἀπόλλωνος Μαρμαρίνου, etc. « Carystus sub monte Ocha sita est: in propinquo Styra, et Marmarium, ubi Carystiæ exscinduntur columnæ, et templum ibi marmorei Apollinis. »

Quod Phrygia Synnas, Afra quod Nomas mittit,
Et quod virenti fonte lavit Eurotas.
Sed ligna desunt : subice balneum thermis.

8. *Quod Phrygia Synnas.* Hæc ultima vox deest in multis codicibus, in quibus claudicat versus. *Phrygia, sive Afra* alii. *Sumas* Beverlandi MS. *Synas* ed. *Barbou* Par. 1754. Pro *Nomas* Vat. *novias.* — Synnas, quæ et Synnada, oppidum fuit Phrygiæ prope Galatiam. Ed. —Strabo lib. XII : Σύνναδα δ' ἐστιν οὐ μεγάλη πόλις, « Synnada urbs non est magna. » Deinde addit ἐπέκεινα δ' ἐστὶ Δοκιμία κώμη, καὶ τὸ λατόμιον τοῦ Συνναδικοῦ λίθου : « Ab altera parte est Docimia pagus, et lapidicinæ Synnadici lapidis. » Hoc loco Phrygiam describit Strabo. — *Afra Nomas.* Numidia Africæ provincia, ut et lib. VIII, epigr. LV.

9. *Fronte* Beverlandi MS. — *Eurotas.* Fluvius Laconiæ ad quem est marmor viride, quod Lacedæmonium et Laconicum dicitur.

10. *Si ligna* Pulmannus.—*Subice balneum.* Ut nempe calefiant thermæ.

LXXVII.

DE EFFIGIE CAMONI.

Hæc sunt illa mei, quæ cernitis, ora Camoni;
Hæc pueri facies primaque forma fuit.
Creverat hic vultus bis denis fortior annis:
Gaudebatque suas pingere barba genas;
Et libata semel summos modo purpura cultros
Sparserat : invidit de tribus una soror;
Et festinatis incidit stamina pensis,
Absentemque patri rettulit urna rogum.

1. *Hæc sunt.* Vid. ep. LXXV supra.

3. *Bis denis annis.* Hoc est, viginti annos natus interiit.

4. *Pingere.* In margine ed. Scriverii hæc verba manu scripta exstant, « *cingere* in quibusdam, male » : vox *pingere* in textu ejusdem ed. subscripta.

5. *Cultus* alii, vel *vultus.* — *Et libata.* Sensus est, inquit Raderus, et semel illi barba resecta erat. *Purpura* barba forte subrufa, aut prima lanugo, quæ flavescit potius. Videtur tamen rufam insinuare.

6. *De tribus una.* Similiter lib. IV, epigr. LIV, 10 : « Et semper de tribus una necat. »

8. *Absentemque.* Longe enim a

Sed ne sola tamen puerum pictura loquatur,
Hæc erit in chartis major imago meis.

patre mortuus et crematus fuerat Camonus.

9. Pro *sola tamen* in Beverlandi MS. *sublatum*.

10. *Hæc erit in chartis.* Nunquam perituris scilicet. Sic lib. VII, epigr. LXXXIV, vs. 6: «Certior in nostro carmine vultus erit.»

LXXVIII.

DE CONVIVIO PRISCI.*

Quod optimum sit disputat convivium
Facunda Prisci pagina;
Et multa dulci, multa sublimi refert,
Sed cuncta docto pectore.
Quod optimum sit quæritis convivium?
In quod choraules non venit.

* Adhibebantur olim Romæ in urbe opulentissima, et orbis opes concoquente, ad convivia omnis generis fere instrumenta musica: cantabatur, saltabatur, etc. Hinc Horat. Epod. IX, vs. 1, sq. «Quando repostum Cæcubum ad festas dapes, Victore lætus Cæsare Tecum sub alta, sic Jovi gratum, domo, Beate Mecænas, bibam, *Sonante mixtum tibiis carmen lyra. Hac Dorium, illis Barbarum!*» Poeta igitur ait, illud esse convivium suavissimum, in quod nullus veniat choraules, h. e. a quo absit omnis tumultus clamantium, saltantium, ebriosorum: simulque irridet occulte Priscum, tam multis chartis de hac re disputantem, quum verbo dici possit.

2. *Pagina.* Pro opus, liber. Vid. supra, lib. I, epigr. V, vs. 8: «Lasciva est nobis pagina, vita proba est.» Ed.

3. *Multa dulci, multa*, etc. Per hanc vocem innuit nec semel sane longiorem in disputando et verbosiorem Priscum. Ed.

5. *Quod optimum sit.* Sensus est: Quid opus est multo sermone? uno scilicet verbo definiri potest, optimum nempe convivium illud esse a quo abest musicorum strepitus, et in quo quieta est mensa.

6. *In quo ... erit* Pulmanni codex. Cætera, non variant membranæ aut libri typographici. — *Choraules.* Is est qui tibia canit, lib. V, epigr. LVI, vs. 9.

LXXIX.

AD PICENTINUM.*

Funera post septem nupsit tibi Galla virorum,
Picentine : sequi vult, puto, Galla viros.

* In hoc etiam epigrammate nulla est varietas librorum.

— Sensus est : Galla venefica post occisos septem viros, tibi Picentino venefico et parricidæ nupsit. Ergo videtur decrevisse mori, quod tibi nupserit : qui perinde tollis e medio uxores, ut Galla viros. *Rad.*

2. *Sequi vult*, etc. A te venefico exstincta. — Immo certius et callidius. Vid. libr. VIII, epigr. XLIII, et notata modo ad titulum. Ed.

LXXX.

AD DOMITIANUM.*

Oderat ante ducum famulos turbamque priorem,
Et Pallatinum Roma supercilium;
At nunc tantus amor cunctis, Auguste, tuorum,
Ut sit cuique suæ cura secunda domus.
Tam placidæ mentes, tanta est reverentia vestri,

* Blanditur Cæsari et Cæsarianis. Priorum Imperatorum familia tam arrogans et superba fuit, ut intoleranda videretur civibus : tua tam est comis et humana, ut plus illam, quam se ipsos diligant cives.

1. *Turbamque priorem*. Ita legunt alii, scil. *priorem;* recte, inquit Gruterus : nam *turba prior* sunt liberti, qui præ servis odiosissimi, tanquam qui procuratores provinciarum, et exactores tributorum, vectigalium, etc. Legunt alii *turbamque priorum*, Imperatorum nempe, aut Aulicorum qui comitarentur Imperatorem. Eligat lector. — Apud quosdam *minorem ;* nec displicet. Sic enim pungit Noster aulicorum multitudinem, qui, principi humillime servientes, servitio rursus cunctos premunt, unde eos dominos minores, secundarios tyrannos (*tyrans en sous-ordre*) jure tuo vocaveris. Ed.

2. *Pallatinum supercilium*. Id est, ipsorum Imperatorum, vel aulicæ turbæ superbos fastus intellige. Vid. not. ad v. 1.

3. *Tuorum est* Beverlandi MS.

5. *Mentes*. Dat *mentis* Pulmannus Mox *nostri* idem; minus placet.

Tam pacata quies, tantus in ore pudor:
Nemo suos (hæc est aulæ natura potentis),
Sed domini mores Cæsarianus habet.

8. *Cæsarianus.* Hoc est, Aulici et servi Cæsaris constituti sunt juxta mores illius. — Claudianus, VIII, 299: «Componitur orbis Regis ad exemplum.... Mobile mutatur semper cum principe vulgus.»

LXXXI.

DE GELLIO.*

Duxerat esuriens locupletem pauper anumque
Uxorem: pascit Gellius, et futuit.

* Hujus epigrammatis lectio eadem est in omnibus membranis et libris prelo exaratis.

2. *Pascit Gellius,* etc. Pro *pascitur;* παθητικὸν, ut *lavare, tondere,* etc.— *Futuit.* Uxoremne, an alias? vide Ausonium epigr. CXXXIV. — Uxorem reor. Ed.

LXXXII.

AD AUCTUM.*

Lector et auditor nostros probat, Aucte, libellos;
Sed quidam exactos esse poeta negat.
Non nimium curo: nam cœnæ fercula nostræ

*Ald. Junt. Colin. alii: *Ad Aulum.* — Carmina probari sua passim ab omnibus, ab uno tamen aliquo vituperari, velut non satis limata et emendata dicit Poeta, simulque addit se convivis, non coquis scribere, poetam illum æmulum esse coquum, non poetam. *Rader.* — Nempe credit Raderus de malo poeta hic agi. Minime ego: ait Noster tantum ob æmulationem poetas a poetis immerito sæpe carpi; sic feminas a feminis, sic coquos a coquis, etc. Placeat poeta legentibus, non poetis; mulier viris, non æmulis et invidis mulieribus; coquus convivis, non aliis coquis. Ed.

2. *Exactos.* Alii, *excoctos:* quasi petita esset metaphora ab arte coqui. Videat lector.

3. *Fercula.* Hoc est, cibos. Alias sunt vasa, et deorum simulacra, at-

Malim convivis, quam placuisse coquis.

que cætera id genus quæ in pompa vel triumpho ferebant Romani.

4. *Malim convivis*. Sensus est : Malim mea carmina placere lectoribus atque auditoribus, quam poetis æmulis. Sic cibi non coquis, sed convivis parantur. Vide quæ modo ad lemma notavimus. Ed.

LXXXIII.

IN MUNNAM.*

Dixerat astrologus periturum te cito, Munna;
Nec, puto, mentitus dixerat ille tibi;
Nam tu dum metuis, ne quid post fata relinquas,
Hausisti patrias luxuriosus opes.
Bisque tuum decies non toto tabuit anno;
Dic mihi, non hoc est, Munna, perire cito?

* *In Cinnam* alii, qui etiam in vs. 1 et 6 *Cinna* ponunt. *Numa* vero in codice Vaticano. Vid. lib. X, epigramm. xxxvi.

— Astrologus Munnam (vel Cinnam, ut alii) divitem, brevi moriturum prædixerat; Munna decoxit subito omne patrimonium, nec mortuus est. Poeta veridicum tamen fuisse ait astrologum, vere enim perisse Munnam, quum bona omnia perierint. *Rader.*

2. *Illa tibi* Pulmannus. *Ille mihi* Ald. Junt. Colin. Par. 1617, etc.

5. *Bis quartum decies* alii. — *Bisque tuum decies*. Scil. patrimonium constans vicies centenis millibus sestertium.

6. *Perire cito*. Elegans sane epigramma, et e Græcorum myrotheciis sumptum. Nam ἄσωτον appellant, hominem luxuriosum et cujus salus est deplorata ac plane exhausta, facultatibus scil. exhaustis. *Herald.*

LXXXIV.

AD CÆSAREM DOMITIANUM.*

Inter tanta tuæ miracula, Cæsar, arenæ,

Σεῖο κυνηγετικῶν ἐνὶ θαύμασι, Καῖσαρ, ἀγώνων,

* In hoc epigrammate exhibendo nil variant aut scripti libri, aut impressi.

— Histrionibus Domitianus scena interdixerat; edictum laudat Poeta. Verum si altius cum Lipsio

Quæ vincit veterum munera clara ducum,
Multum oculi, sed plus aures debere fatentur
Se tibi, quod spectant, qui recitare solent.

Οἳ καλὰ νικῶσι τῶν πρὶν ἄεθλα πρόμων,
Οὔατα μέν σοι πουλὺ, πλέον δ' ἔτι ὄμματ' ὀφείλει·
Αὐτὸς ὅτ' αὐτόπτης ἐςὶν ὁ καὶ λαλέων.

inspicere juverit, intelliges, hic de equitibus romanis sermonem esse, quos priores Principes ad operas scenicas adegerant, Domitianus minime, ne clarissimus ordo sordesceret. *Raderus.*

3. *Multum oculi.* Propter spectacula magnificentissima. — *Sed plus,* etc. Propter edictum, quo interdixisti histrionibus scena, nec enim equites (ut sub Nerone aliisque Impp.) histrioniam exercent, sed ex recitatoribus facti sunt auditores. Suet. Domit. cap. 7, Nec enim jam spectatorum aures obscœnis carminibus obtundent histriones.

4. *Quod spectant.* Histriones nimirum aulici.

LXXXV.

AD NORBANUM.*

Quum tua sacrilegos contra, Norbane, furores
Staret pro domino Cæsare sancta fides,
Hæc ego Pieria ludebam tutus in umbra,
Ille tuæ cultor notus amicitiæ.
Me tibi Vindelicis raptum narrabat in oris,

* Lectos olim Norbano seorsim singulos libellos, nunc eidem uno volumine digestos Noster mittit in Vindeliciam.

1. *Sacrilegos.* Hoc est, contra Antonium Saturninum Germaniæ superioris præsidem, qui bellum civile moverat, ut videre est lib. IV, epigr. XI.

3. *Hæc ego Pieria.* Umbra enim et quiete delectantur poetæ, lib. I, epigr. LXXVII. — *Ludebam tutus in umbra.* Iisdem fere verbis quibus ad lyram suam Horatius, lib. I, od. XXXII : « si quid vacui sub umbra Lusimus tecum. » ED.

5. *Raptum.* « Ego pro illo *raptum* nulla fere licentia legam *Rætus,* nisi quis, nam in MS. legitur *mæstus,* malit *Mæsus.* » Schrev. *Miles* Beverlandi MS. *Rhœtus* in textum suum recepit *Barbou* in ed. Par. 1754.—

Nescia nec nostri nominis Arctos erat.
O quoties veterem non inficiatus amicum
Dixisti, Meus est iste poeta, meus!
Omne tibi nostrum, quod bis trieteride juncta
Ante dabat lector, nunc dabit auctor opus.

Me tibi Vindelicis raptum. Hoc est : Fama narrabat me fato functum ; febri enim laboraverat Martialis, lib. V, epigr. IX. Cluverius lib. III, capite 4 suæ Introdnctionis, « Rhœti Alpes tantnm incoluere, et earum valles, a septemtrione ad lacnm usque Brigantinum; sub Alpibus vero ad Danubium usque fuere inter dictum lacum et Æuum flumen Vindelici ». Quibus placet: *Me tibi Vindelicis Rhætus narrabat in oris*, intelligunt addictnm; namque carminum snorum famam, non mortis, eo perveuisse dicit Poeta, ut aiunt.

6. *Arctos*. Hoc est, populi Septemtrionis noverunt me. Arctos enim (ἄρκτος, *ursa*) stella est polo proxima. En.

9. *Bis trieteride*. Trieteris triennium est.

LXXXVI.

DE PAULLO.*

Languidior noster si quando est Paullus, Atili,
Non se, convivas abstinet ille suos.
Tu languore quidem subito fictoque laboras,
Sed mea porrexit sportula, Paulle, pedes.

**De Paullo ad Atilium* Lipsius, I, epist. 5.

— Ægrum se Atilius simnlabat, ne cogeretur amicis impertiri sportulam : hunc morbum non Atilio, sed suæ sportulæ sit lethalem. *Rad.*

1. *Languidior nostri si quando est Paullus Atili* alii. Nostra lectio Lipsiana, probaturque Gronovio.

2. *Non se*. Ipse non abstinet a conviviis, sed convivas non vocat. Notabile autem est verb. *abstinet* cum accusativo : sensus nempe est, abstinere jnbet, cogit. *Non se convivis abstinet ille suis* in Ald. Junt. Colin. Gryph. Par. 1617, etc. Male : Paullum enim ipsum dissimulationis accusare videtur.

4. *Sed mea porrexit*. Hoc est, morbus tuus non tibi, sed mihi, seu sportulæ noxius est. Metaphora dncta a modo componendi mortuos, qui depositi ad januam versns viam extendebant pedes. Persius sat. III : « Hinc tuba, candelæ, tandemque beatulus alto Compositus lecto, crassisque lutatus amomis, In portam rigidos *calces extendit* », etc.

LXXXVII.

IN OBITUM SEVERI SILII.*

FESTINATA sui gemeret quum fata Severi
  Silius, Ausonio non semel ore potens;
Cum grege Pierio mœstus Phœboque querebar;
  Ipse meum flevi, dixit Apollo, Linon.
Respexitque suam, quæ stabat proxima fratri,
  Calliopen, et ait : Tu quoque vulnus habes.
Aspice Tarpeium, Pallatinumque Tonantem;

Σείλιον ὠκυμόρου πότμον γοόωντα Σεβήρου,
  Οὐ μιῇ Αὐσονίῃ σεμνὸν ἐν εὐεπίῃ·
Σὺν μούσαις, καὶ Φοίβῳ ἐδεινοπάθησα νοήσας,
  Κἀγὼ, φησὶν, ἐμὸν Φοῖβος ἔκλαυσα Λίνον.
Ἐς δὲ κασιγνήτην ὁρόων (παρὰ δ' ἵςατ' ἀδελφεῷ)
  Καλλιόπην, ἴδιον καὶ σὺ πέπονθας, ἔφη.
Τὸν Δία Ταρπεῖον, τὸν Παλλατῖνον ἄθρησον·

* Inscriptio hujus epigrammatis in editionibus vett. hæc est : *De filio Silii.*

1. *Sibi* Pulmannus, qui etiam pro *quum* vult *quod*.

2. *Silius* Italicus est, de quo lib. VII, epigr. LXIII, et lib. VIII, ep. LXVI; quem solatur Poeta exemplo deorum, quorum et filii acerbo fato rapti sunt. — *Ausonio non semel.* Hoc est, non eloquens uno tantum orationis genere, egregius quippe orator fuit, et poeta; vid. lib. VII, epigr. LXIII.

3. *Cum grege.* Ego, inquit Martialis, condolebam et querebar cum Phœbo et Musis; quæ et Pierides dictæ. Vid. ad lib. I, epigr. LXXVII.

4. *Linon.* Apollinis et Terpsichores filium, quem ab Hercule occisum ferunt poetæ. Pausanias in Corinthiacis refert Linum Apollinis et Psamathes filium; in Bœoticis vero Linum alium Uraniæ et Amphimari filium poetam egregium fuisse affirmat.

6. *Tu quoque vulnus habes.* Occiso scilicet Orpheo ejus filio, cujus historia satis nota.

7. *Aspice Tarpeium.* Cujus filius Sarpedon ad Trojam periit. Virgil. Æneid. X : « Trojæ sub mœnibus altis Tot nati cecidere Deum; quin occidit una Sarpedon mea proge-

Ausa nefas Lachesis læsit utrumque Jovem.
Numina quum videas duris obnoxia fatis,
Invidia possis exonerare Deos.

Βλάψε παρασπονδοῦσ' ἀμφοτέρους Λάχεσις.
Ἀθανάτων φῦλον Μοίραις ὑποκείμενον εἰδὼς,
Πᾶσαν ἀπὸ σφείων μέμψιν ἀποσκεδάσαις.

nies.» — *Pallatinumque.* Domitianum, cujus filius infans adhuc mortuus est; de quo jam diximus lib. VI, epigr. III.

8. *Lachesis.* Una e tribus Parcis.

10. *Invidia possis.* Sensus est : Non debes diis irasci, qui et ipsi natorum acerbum fatum lugent.

LXXXVIII.

AD LUPERCUM.*

SEPTEM post calices Opimiani
Denso quum jaceam triente blæsus,
Affers nescio quas mihi tabellas,
Et dicis, Modo liberum esse jussi
Nastam (servulus est mihi paternus);
Signa : cras melius, Luperce, fiet.

* In testamentorum suppositorem est hoc epigramma, qui tum testes jubebat obsignare, quum judicare de testamento ebrii non possent, recte an perperam scriptum esset. Martialis ergo sobriis testamenta signanda docet. *Rad.*

1. *Opimiani.* De hoc vino dictum lib. I, epigr. XXVII.

2. *Triente.* Qui capit quatuor cyathos. — *Blæsus.* Τραυλὸς, qui litteras non potest omnes rite exprimere. Ebrii enim, ut mentis, sic et linguæ compotes non sunt.

3. *Nescio quas.* Supposititias nempe, quas manumissionis esse dicebat Lupercus, quum tamen essent testamentariæ falsæ nempe, aut aliunde astringentes.

4. *Liberum*, etc. Legunt alii *liberum esse jussi Zenam : servus is est mihi paternus.* Pulmannus habet *Zonas.* In Ald. Junt. Colin est : *jussi, Zenas servulus.*

6. *Signa.* Inquit Lupercus, ut constet de manumissione. — *Cras melius fiet.* Hæc Martialis. *Cras*, quum nempe sobrii erimus; tunc

Nunc signat meus annulus lagenam.

enim distinguere poterimus, an revera de libertate tantum agatur. — Et hic nemo non meminit Archiæ celeberrimum dictum : Εἰς αὔριον τὰ σπουδαῖα, *in crastinum seria*. Plutarch. Pelopidas. Quamquam hic remisse et negligenter; Noster callidissime. Ed.

7. *Nunc signat.* Ne servi vinum hauriant. Horat. lib. II, epist. II, vs. 133 : « Posset qui ignoscere servis, Et signo læso non insanire lagenæ. »

LXXXIX.

AD RUFUM.*

Dum me captares, mittebas munera nobis;
Postquam cepisti, das mihi, Rufe, nihil.
Ut captum teneas, capto quoque munera mitte,
De cavea fugiat ne male pastus aper.

* In hoc epigrammate nihil variant, quod sciam, libri aut membranæ.
— Amicitiam donis partam, donis alendam et conservandam docet.

1. *Me captares*, etc. Amicitiam meam, vel hæreditatem.

3. *Ut captum*, etc. Eadem enim arte servantur res, qua acquisitæ fuerunt.

4. *De cavea.* Hoc a simili dicit Poeta; ut enim fera esuriens fugit, sic ego renuntiabo tuæ amicitiæ. Est autem cavea septum, in quo feræ includuntur : est etiam locus ubi populus sedens ludos spectabat.

XC.

AD STELLAM.*

Lege nimis dura convivam scribere versus
Cogis, Stella : licet scribere nempe malos.

* Neque enim ex tempore, neque inter pocula scribuntur boni versus, Euripide et Virgilio digni. Vid. Aul. Gell. lib. XVII; Valer. Maximus, lib. X.

1. *Convivas* Pulmannus. Cætera, nulla variatio in libris apparet. — Ipse tamen, quum Stella jussisset αὐτοσχεδιαστὶ versus scribere, composuit hoc distichon.

XCI.

AD FLACCUM.*

Sic in gramine floreo reclinis,
Qua gemmantibus hinc et inde rivis
Curva calculus excitatur unda,
Exclusis procul omnibus molestis,
Perfundas glaciem triente nigro,
Frontem sutilibus ruber coronis;
Sic uni tibi sit puer cinædus,
Et castissima pruriat puella;
Infamem nimio calore Cypron
Observes, moneo precorque, Flacce,
Messes area quum teret crepantes,
Et fulvi juba sæviet Leonis.

* Flaccum amicum monet, qui in Cypro degebat, ut per ardores æstivos tueatur valetudinem, quo salvus et incolumis possit redire in Urbem. *Rader.*

1. *Florido* Pulmannus.

2. *Qua gemmantibus*, etc. Ad lene murmur limpidi rivi lapillos lapsu molliter excitantis.

5. *Perfundas*, etc. Supra epigr. XXIII, vs. 8, et lib. V, epigr. LXIV, vs. 1. *Videbis in calicibus repente perfusis nivalium maculas et frusta nebularium*, etc. Sidonius Apoll. lib. II, epist. II. — *Perfundis* Pulmann. cod. Alii, *Pertundas*, id est, frangas. Recte: eodem scil. modo quo guttæ saxa pertundunt. Sciendum aliquando delicatiores vino superaddidisse nivem; de quo more supra lib. V, epigr. LXIV; aliquando vero implesse calicem nive, eamque vino sensim superfuso solvisse, quem morem hic tangi puto: fiebatque hoc ex alto, ac stillatim, adeo ut primo quasi cavaretur nix glaciesve. — *Triente nigro*. Continens poculum sumit pro vino contento. — *Nigrum* autem de mero sæpe dici jam vidimus. Ita ipse « marmorea fundens nigra Falerna manu »; et passim. Ed.

6. *Frontem ruber.* Hellenismus est: epigr. citato, not. 5, « Lassenturque rosis tempora sutilibus. »

9. *Cypron.* Ipse nuper lib. VIII, epigr. XLV: « Quum te, Flacce, mihi reddet Cythereia Cypros. »

11. *Messes crepantes.* Quæ aridæ et siccæ.

12. *Fulvo* Pulmannus. *Fervens juba* Pircheimeri MS. — *Et fulvi juba.* Mense scilicet Augusto, quo

At tu, diva Paphi, remitte, nostris
Illæsum juvenem remitte votis.
Sic Martis tibi serviant Kalendæ,
Et cum thure, meroque, victimaque
Libetur tibi candidas ad aras
Secta plurima quadra de placenta.

Sol in Leone summos excitat calores; lib. IV, epigr. LVII, et lib. V, epigr. LXXI.

13. *Diva Paphi.* Venus nempe. Horat. « O Venus regina Cnidi Paphique! » Paphus urbs est Cypri, ubi colebatur Venus. Quæ nunc semiruta vocatur *Palepafo*, quasi ἡ πάλαι Πάφος. Ed.

15. *Sic Martis tibi.* Kalendæ Martiæ a feminis celebrabantur in honorem Veneris, ut lib. V, epigr. ultimo.

17. *Candidas ad aras.* Diis manibus nigras, Superis vero candidas aras erigebant antiqui.

18. *Secta.* Frusta. Libum, seu placenta in plurimas partes divisa. Vid. lib. III, epigr. LXXVII, et lib. VI, epigr. LXXV.

XCII.

ADULATUR DOMITIANO.*

Ad cœnam si me diversa vocaret in astra
  Hinc invitator Cæsaris, inde Jovis;
Astra licet propius, Pallatia longius essent,
  Responsa ad superos hæc referenda darem;
Quærite, qui malit fieri conviva Tonantis;
  Me meus in terris Jupiter, ecce, tenet.

* Nulla est variatio hujus epigrammatis, aut in libris typographicis, aut in membranis. — Mirum tamen id lemmatis! Et vel ex hoc concludendum, non esse a manu Nostri inscriptiones. Ed.

1. *Diversa in astra.* Hoc est, si me hinc Jupiter vocaret ad sua astra, inde Domitianus ad sua, seu ad suum Palatium (quum enim Deus sit lib. V, epigr. VIII, Palatium ejus cælum vocat), tamen adirem Domitianum.

6. *Jupiter, ecce, tenet.* Domitianus ipse Jupiter, loco citato. Videtur huic epigr. præbuisse materiam, epulum illud Domitiani, quod celebrat Papinius libro primo Sylvarum; et cadebat in Kalend. Decembr. Saturn.

XCIII.

AD CONDYLUM.*

Quæ mala sint domini, quæ servi commoda nescis,
Condyle, qui servum te gemis esse diu.
Dat tibi securos vilis tegeticula somnos;
Pervigil in pluma Caius, ecce, jacet.
Caius a prima tremebundus luce salutat
Tot dominos: at tu, Condyle, nec dominum.
Quod debes, Cai, redde, inquit Phœbus, et illinc
Cinnamus: hoc dicit, Condyle, nemo tibi.
Tortorem metuis? podagra, cheragraque secatur
Caius; et mallet verbera mille pati.

* Dominum sæpe infeliciorem servo, docet in personis Condyli servi, et Caii domini.

1. Pro *nescis* Pulman. cod. legit *quæris*, et *cum* pro *qui*.

3. *Lecticula* alii. — *Tegeticula*. Teges enim storea seu matta est, unde diminutivum.

4. *Pervigil in pluma*. Exsomnis nocte tota, cui curæ somnum negant. — *Caius*. Dominus tuus. — Notum id in cærimoniis nomen domino, ut et *Caia* dominæ. Ed.

6. *Tot dominos*. Quot nempe habet patronos.

7. *Inquit*. «Quod tentas, pro *inquit* legendo *hinc ait*, unice admittendum arbitror: considera vero varietatem cod. Thuan. in eodem versu qui pro *Cai*, *Caio* substituit: discrimine satis ingenti, sed vereor ut id recte sensui convenerit.» Anonymus quidam in Ep. Crit. ad Ant. *de Rooy*. Id autem Antonius sic extulerat: «Nil quidquam hic temere mutaverim. Sed hoc scio, non semel Veterum loca, imperitis dicam, an imprudentibus? non observata synizesi, fuisse depravata: vid. quæ notat ampliss. Vonkius, Lect. Lat. II, 6. Sed ad Nostrum. Vellem equidem alius poetæ (Comicis enim non inusitatum: vid. Wasii Senar. c. 9) exemplum succurreret *ait* monosyllabi; quovis pignore contenderem, scripsisse Poetam *Quod debes, Cai, redde, hinc ait Phœbus, et illinc Cinnamus*. Et cuivis paulo accuratius inspicienti apparebit, *hinc ait* facile a sciolo librario in *inquit* mutari potuisse. Quanquam nescio, an non sub τῷ *Phœbus* aliud nomen proprium dissyllabum, a vocali incipiens, lateat.» — *Phœbus et Cinnamus*. Fœneratores.

9. *Tortorem*. A quo aliquando vapulas. — *Podagra cheragraque*. Quæ sunt atroces in membrorum

Quod nec mane vomis, nec cunnum, Condyle, lingis,
Non mavis, quam ter Caius esse tuus?

articulis dolores; gallice, *la goutte*.

11. *Quod*, etc. Nonnulli legunt, *Quod nec villa vomis;* quod nescio quid sit. — *Quod nec*. Quod non facis turpissima illa, quibus delectatur dominus tuus, hoc tua certe conditio ter illius conditionem superat. — *Mane vomis*, etc. Ab hesterna crapula; vel ad purgandum stomachum, ut rursus convivium inire sufficias. — Qui mos apud Romanos etiam elegantiores quo pacto invaluerit nescio, at invaluit, teste historia. Ed.

XCIV.

AD CALOCISSUM.*

Addere quid cessas, puer, immortale Falernum?
Quadrantem duplica de seniore cado.
Nunc mihi dic, quis erit, cui te, Calocisse, Deorum
Sex jubeo cyathos fundere? Cæsar erit.
Sutilis aptetur decies rosa crinibus, ut sit

* Inscriptio hujus epigrammatis in nonnullis exstat *Ad Calatissum;* in aliis *Ad Calocisum*. Cætera, haud invenio ullam varietatem, præterquam quod *Calatisse* et *Calocise* in linea tertia leguntur ab iis, qui ut supra memoravi, inscribunt, *Ad Calatissum* vel *Ad Calocisum*. — Quid autem ex his præferendum esse magis videatur, si quis interrogaverit, *Calocisse* tuebor, quod quum græce significet «hedera redimite decora» (καλὸς *pulcher*, κισσὸς *hedera*), optime de puero οἰνοχόῳ dicitur. Ed.

— Adulatur Domitiano, et veneratur ut Deum, in cujus gratiam se primum sex cyathos hausturum; postea decem, ad nomen Cæs. Domitiani vel Germanici exprimendum.

1. *Addere*, etc. Fundere, miscere. — *Immortale Falernum*. Multos ferens annos; vel, nectari, quod confert immortalitatem, non postponendum.

2. *Quadrantem*, etc. Funde duos quadrantes, id est, sex cyathos: quadrans enim tres continet. Vid. lib. I, epigr. XXVIII, vs. 2. — *Seniore cado*. Veteris tituli, interioris notæ vini optimi et vetusti.

4. *Cæsar erit*. Habet enim sex literas, soluta nimirum diphthongo: tot vero cyathos haurire solebant Veteres, quot esseut literæ in nomine illius in cujus gratiam bibebant, lib. I, epigr. LXXII.

5. *Sutilis aptetur*. Lib. V, epigr.

Qui posuit sacræ nobile gentis opus.
Nunc bis quina mihi da basia, fiat ut illud
Nomen, ab Odrysio quod Deus orbe tulit.

LXIV, vs. 4. — *Decies*, qnia in suo nomine decem literas habet *Domitianus*, qui Flaviæ genti templum dicavit, vid. epigr. II snpra.

6. *Nobile*, etc. Templnm Flaviæ gentis, de quo snpra epigr. XXIV et XXXV.

7. *Fiat ut illud nomen.* Germanicus, vel Sarmaticus : quod nomen a Germania et Sarmatia subacta snmpsit Domitianus.

8. *Odrysio.* De Othrysio vel Odrysio orbe, seu Septemtrione, dictum lib. VII, epigr. VIII, vs. 2, et lib. V, epigr. II, vs. 7, in qnibus vide notas.

XCV.

DE HIPPOCRATE.

Santonica medicata dedit mihi pocula virga;
Os hominis! mulsum me rogat Hippocrates.
Tam stupidus nunquam nec tu, puto, Glauce, fuisti,
Chalcea donanti Chrysea qui dederas.
Dulce aliquis munus pro munere poscit amaro?
Accipiat, sed si potat in helleboro.

1. *Sardonica* Thuan. et Vaticanns codex. — *Santonica.* Hoc est, imbnta absinthio, de quo sic Plinius lib. XVII, cap. 7 : « Absinthii genera sunt plura. Santonicum appellatur a Galliæ civitate, Ponticum a Ponto ubi pecora pinguescunt illo. » Legunt alii, *Sardoa :* in Sardinia nempe mnltæ sunt herbæ amaræ et venenatæ.

2. *Os hominis*, etc. Vide impudentiam hominis. — *Mulsum.* Potio est ex vino et melle confecta.

3. *Glauce.* Qui nempe anrea arma ferreis permutavit cnm Diomede. Videndum ad Homeri Iliad. E : ὃς πρὸς Τυδείδην Διομήδεα τεύχε' ἄμειβε Χρύσεα χαλκείων.

4. *Chalcea... Chrysea.* Græcæ voces qnæ *ærea*, *aurea* significant.

6. *Accipiat sed si*, etc. Ant. *de Rooy* malit *Accipiat ; sed sic : potet in helleboro. Sic*, id est « hoc pacto, hac conditione. » — *Sed si potat.* Hoc est, ea lege mulsum dabo, nt illud potet simul cum helleboro, quod insaniam pnrgat, hoc est, si fateatur se insanire.

XCVI.

DE ATHENAGORA.*

Alphicus ante fuit; cœpit nunc Olficus esse,
Uxorem postquam duxit Athenagoras.
Nomen Athenagoræ credis, Callistrate, verum;
Si scio, dispeream, quis sit Athenagoras.
Sed puto me verum, Callistrate, dicere nomen:
Non ego, sed vester peccat Athenagoras.

* In hoc epigrammate exhibendo nil variant libri aut membranæ.

1. *Alphicus.* De Athenagora quodam jam dictum lib. VIII, epigr. XLI; et eumdem forte in hoc loco Noster exagitat. *Alphicus*, id est, medicus curans vitiliginem, quæ Græcis ἄλφος dicitur. Porro ducta uxore cœpit lingere cunnum, inquit Domitius; unde factus est *olficus*, hoc est, olfaciens cunnum. Ludit autem in paronoma*sia*; nam idem et unum prope sonant *Alphicus* et *Olphicus*.

6. *Non ego* pecco, quia aperte eum nomino, quem Alphicum et Olficum novis nominibus dixi: sed ipse peccat Athenagoras, qui argumentum et causam hujus appellationis mihi suppeditavit. Ed.

XCVII.

DE HERODE.*

Clinicus Herodes trullam subduxerat ægro;
Deprensus dixit, Stulte, quid ergo bibis?

* Omnes libri typographici et excusi, in hoc quoque epigrammate, similem inscriptionem et lectionem exhibent.

1. *Clinicus.* Subaud. *medicus.* De medico clinico jam nos egimus, ad libri I epigramma XXXI. — *Trullam.* Vas, quo ad bibendum utuntur.

2. *Deprensus dixit.* Sic nimirum furtum excusat Herodes, quasi trullam removisset, ne medici jussa nequaquam curans æger siti clam indulgeret, quod illi lethale futurum esset.

XCVIII.

AD JULIUM.*

RUMPITUR invidia quidam, carissime Juli,
Quod me Roma legit, rumpitur invidia.
Rumpitur invidia, quod turba semper in omni
Monstramur digito, rumpitur invidia.
Rumpitur invidia, tribuit quod Cæsar uterque
Jus mihi natorum, rumpitur invidia.
Rumpitur invidia, quod rus mihi dulce sub Urbe est,
Parvaque in urbe domus, rumpitur invidia.
Rumpitur invidia, quod sum jucundus amicis,
Quod conviva frequens, rumpitur invidia.
Rumpitur invidia, quod amamur, quodque probamur;
Rumpatur, quisquis rumpitur invidia.

* *Ad Julium.* Martialem, de quo actum lib. I, epigr. XVI, et lib. VII, epigr. XVII. — Ut in duobus prioribus, in hoc quoque nulla est varietas. Non, ut Horatius, qui lib. IV, od. II, ovans canit, « Et jam dente minus mordeor invido », gloriatur Martialis sibi invideri et ob augescentem pecuniolam simul et gratiam. Neque enim nisi pulcherrimis et magnis rebus invidetur, et aptissime lib. I, Lyricus noster *Le Brun :*

> ......laisse gronder l'envie;
> C'est l'hommage de sa terreur.

Et apud Latinos frequenter *invidendus* clara, alta, pulchra significat : « Cur *invidendis* postibus, et novo Sublime ritu moliar atrium? » Horat. lib. III, od. I. ED.

1. *Rumpitur invidia.* Vid. lib. VI, epigr. LXI, et quæ nos infra ad vs. 12.

2. *Quod me Roma legit,* etc. Vid. lib. VIII, epigr. LXI.

4. *Monstramur digito.* Ut nobilis poeta. Monstrari enim digito, apud Veteres, τῆς εὐδοξίας τεκμήριον. Sic δείκνυσθαι τῷ δακτύλῳ apud Græcos: unde *monstrabilis*, ὁ ἀριδείκετος. Lib. I, epigr. I, vs. I, καταδακτυλίζομαι. Et hinc Horatius lib. IV, od. II, ad Melpomenen : « Quod *monstror digito* prætereuntium Romanæ fidicen lyræ, » etc. ED.

5. *Cæsar uterque.* Titus et Domitianus. Vid. lib. III, epigr. XCV.

7. *Quod rus mihi.* De quo dictum quoque lib. VIII, epigr. LXI.

12. *Rumpatur.* Sic Virgilius Eclog. VIII : « invidia rumpantur ut ilia Codro. »

XCIX.

AD Q. OVIDIUM.*

VINDEMIARUM non ubique proventus
Cessavit, Ovidi : pluvia profuit grandis.
Centum Coranus amphoras aquæ fecit.

* Edd. vett. inscriptionem habent, *Ad Ovidium*, et in linea secunda pro *profuit* dant *profluit*. — Prior autem lectio mihi videtur longe melior. Ed.

3. *Centum Coranus.* Quidam sane perfidus caupo, qui in summa vini caritate aquam multam infundebat vino, quod pro mero vendebat. Vid. lib. I, epigr. LVII.

C.

AD ATTICUM DE M. ANTONIO.

MARCUS amat nostras Antonius, Attice, Musas,
Charta salutatrix si modo vera refert,
Marcus Palladiæ non inficianda Tolosæ
Gloria, quem genuit pacis alumna quies.
Tu qui longa potes dispendia ferre viarum,

1. *Marcus*, M. Antonius Primus hic canitur, dux celeberrimus Flavianarum partium, et vix ulli antiquorum, sive ad prudentiam, sive ad ingenium respexeris, postponendus. Et huic sane victoriam Flaviani suam debuere; Vespasiano imperium detulit quidem Mucianus, Antonius dedit. De quo lib. X, ep. XXIII et XXXII. Suetonius in Vitellio cap. ultimo : « Siquidem ab Antonio Primo adversariarum partium duce oppressus est, cui Tolosæ nato cognomen in pueritia Becco fuerat, id valet, gallinacei rostrum. »

2. *Charta*, etc. Epistola salutatoria. Lib. XIV, epigr. XI. Augusta epistolis laudata. Plin. lib. XIII, cap. 12. — *Si modo vera refert.* Si non blanditur, aut invidet perfide laudando.

3. *Palladiæ Tolosæ.* Quæ urbs dudum satis nota, Galliæ Narbonensis apud Volcas Tectosages, in qua nempe florebant literæ.

5. *Tu*, etc. « Hoc vulgo novum epigramma faciunt : sed est pars præcedentis ad eumdem Antonium; nec aliter exhibetur in optimo Palatino, ut monet Gruterus : cujus

I liber, absentis pignus amicitiæ.
Vilis eras, fateor, si te nunc mitteret emptor.
Grande tui pretium muneris auctor erit.
Multum, crede mihi, refert, a fonte bibatur
Quæ fluit, an pigro quæ stupet unda lacu.

auctoritatem Scriverius in sua editione secutus est. Palatino accedere Pircheimerianum testis est Gronovius. » *Schrev.* Novum faciunt Ald. Junt. Colin. et *Ad librum* inscribunt. Inde sæpius oriuntur et in numerandis epigrammatibus et in indicibus componendis errores plane excusandi. Ed.

7. *Mitteret emptor* in vetusto codice Lutetiæ se intelligere esse dicit Pulmannus. Legunt alii, *si te nunc mittere tento*. Quæ lectio vitiosissima est. Ed. — *Si te nunc*. Longe enim carior atque emendatior est liber ab ipso auctore missus.

9. *An fonte* in veteri recte legi sentit Pulmannus. — *Multum crede mihi*, etc. Ovid. epist. ex Ponto, III, v, 17 sq. « Quamquam sapor est adlata dulcis in unda; Gratius ex ipso fonte bibuntur aquæ. » Liber autem, qui ex auctoris ipsius munere venit, comparandus merito est aquis iis quæ ex ipso fonte fluunt et bibuntur.

CI.

IN BASSUM.

Denariis tribus invitas, et mane togatum
Observare jubes atria, Basse, tua;
Deinde hærere tuo lateri, præcedere sellam,
Ad viduas tecum plus minus ire decem.
Trita quidem nobis togula est, vilisque, putrisque;
Denariis tamen hanc non emo, Basse, tribus.

1. *Denariis tribus*. De moneta vide Tabulas ad calcem primi volum. — *Togatum*. Me clientem observantem atria, ut te patronum salutem.

3. *Hærere tuo lateri*. Comitis vice. — *Præcedere sellam*. Anteambulonis officio.

4. *Viduas*. Sic P. Scriv. et Gruteusleg. ex Palat. et hoc habent edd. recentiores. Cæteræ dant *vetulas*. — *Ad viduas*. Divites nimirum atque orbas, quas captare volebat Bassus.

5. *Trita quidem*. Sensus est: Mihi forte parvam das sportulam, quod trita sit vestis mea: at, licet sit lacera et vilis, tua tamen sportula trium denariorum non sufficit ad emendam similem.

6. *Denariis*, etc. Sic dictum lib. IV, epigr. xxvi.

CII.

ADULATUR DOMITIANO.*

APPIA, quam simili venerandus in Hercule Cæsar
Consecrat, Ausoniæ maxima fama viæ,
Si cupis Alcidæ cognoscere facta prioris,
Disce : Libyn domuit; aurea poma tulit;
Peltatam Scythico discinxit Amazona nodo;
Addidit Arcadio terga leonis apro.
Æripedem sylvis cervam, Stymphalidas astris
Abstulit : a Stygia cum cane venit aqua.

* Domitiani facta eum gestis Herculis eontendit, et Domitianum majorem Hercule faeit, et Herculem Majorem appellat. *Rad.*

1. *Appia*. In qua nempe, Latinarum viarum celeberrima, templum Herculi consecraverat Domitianus, in quo ipse sub illius imagine eolebatur.

2. *Ausoniæ maxima fama viæ*. Namque tam miræ pulehritudinis Appia via fuit ut *reginam* viarum illam appellarint.

3. *Alcidæ prioris*. Herculis Alcmenæ filii labores enumerat. De quibus vide mythologos, et quæ Farnabius ad Senecæ Herc. fur. 214, et Herc. OEt. 15.

4. *Aurea*. «Gruter. ex Palat. leg. eenset *raraque* : Scriver. leg. *caraque*, versu hoc exigente.» *Schrevel.* Hoc edidit *Barbou.* — Male nterque, et videre est. ED. — *Libyn domuit*. Hoc est : In Afriea Antænm vicit, cujus nota historia : atque aurea mala Hesperidum horto decerpsit, custode interfecto dracone.

5. *Peltatam*. Pelta scutum est brevius, quo utebantnr Amazones, quarum reginam Hippolytam vieit Hercules : «Abstulit Hippolytæ, sexto, sua vineula vietæ.» — *Scythico nodo*. Periphrasis est baltei : in Scytbia vero ad Tanaim et Thermodontem fluvinm habitaverunt Amazones.

6. *Addidit Arcadio*. De leone et apro ab Hercule interfectis sæpius dictum.

7. *Astris*. «Ante legebatur *S. undis*, quod falsissimum, ex mente Poetæ. Deprehensæ enim in aere Harpyiæ, non in laeu.» *Gruter.* — *Astris* cod. Beverland. et sic. expressum dant Maitt. et *Barbou.* — *Æripedem cervam*. «Cornibus auratis cervum necat ordine quarto.» Et in Nostro legunt quidam *cervum*. Aurea babebat cornua; Dianæ sacra erat; in monte Mænalo vagabatur; quam Hercules cepit, et Dianæ Taygetæ conseeravit. Sic Raderus. — *Stymphalidas astris*. Stymphalis lacus in Arcadia, ubi aves Stymphalides inusitatæ

Fecundam vetuit reparari mortibus Hydram;
Hesperias Tusco lavit in amne boves.
Hæc minor Alcides : major quæ gesserit, audi,
Sextus ab Albana quem colit arce lapis.
Asseruit possessa malis Pallatia regnis;
Prima suo gessit pro Jove bella puer.
Solus Iuleas quum jam retineret habenas,
Tradidit, inque suo tertius orbe fuit.
Cornua Sarmatici ter perfida contudit Istri;

magnitudinis, quæ humanis carnibus vescebantur, et quas per aera volantes occidit Hercules. Vide Natalem Comitem l. VII, Myth. c. 1.

9. *Fecundam vetuit.* Igne scilicet admoto, impediit ne hydræ capita renascerentur.

10. *Hesperias Tusco.* Geryonis scilicet boves. Vide lib. V, epigr. XLIX et LXV. Ex Hispania in Italiam adduxit, et Tiberi eas lavit.

11. *Major.* Nempe Domitianus. Vide epigr. LXV supra.

12. *Sextus ab Albana.* Hoc est, ad sextum milliarium ab arce Albana, octavum vero ab Urbe, epigr. cit.

13. *Asseruit possessa.* Hoc est : Vitellianis ejectis, imperium sibi vindicavit, et Capitolium defendit. Vid. Suetonius in Domitiano.

14. *Prima suo gessit*, etc. In bello Vitelliano confugit ad Capitolium quod tutatus est. Conf. Suet. Domit. cap. 1, et Xiphil. Vitell.

15. *Solus.* Adulatorie : sed hæc adulatio Domitiano gratissima. — *Iuleas habenas.* Cæsareas, Imperatorias, sic dictas a Julio Cæsare Imperatore. Absente enim patre, se pro Imperatore gerebat. Scilicet Mucianus Vespasiani dux, Vitellio occiso, Domitianum extraxit, cumque eo administrabat omnia summa potestate, donec Vespasianus in Urbrm venisset. Xiphil. Vesp. Nec dubitavit Domitianus imperium adeptus in senatu jactare, *et patri se et fratri imperium dedisse : illos sibi reddidisse.* Suet. Domitiani cap. 13. — Immo et, ut narrat Histor. Lib. IV, cap. 84, Tacitus, quo anno (U. C. 822, Chr. N. 69) imperium Vespasianus pater obtinuit, voluit sibi principatum deferri, et ut dominium Galliarum sibi traderetur, Petilii Cerialis qui modo in Batavia bellum profligaverat, et immensa auctoritate apud populum et proceres et exercitus pollebat, fidem epistolis multis, frustra attamen, tentavit. Ed.

16. *In suo orbe tertius.* Hoc est, satis gloriæ suæ fore existimavit, quod tertius imperium ipse adeptus esset; post Vespasianum enim et Titum regnavit. Argute autem dictum *suo*, quasi Domitiani unius merito, orbis universus Flavianæ gentis foret.

17. *Cornua Sarmatici.* Hoc est : Perfidas gentes, quæ Danubium incolunt, ter domuit. Vide lib. VIII, epigr. XV. Cornua fluviis tribuunt poetæ propter riparum cur-

Sudantem Getica ter nive lavit equum.
Sæpe recusatos parcus duxisse triumphos,
Victor Hyperboreo nomen ab orbe tulit.
Templa Deo, mores populis dedit, otia ferro,
Astra suis, cælo sidera, serta Jovi.
Herculeum tantis numen non sufficit actis;
Tarpeio Deus hic commodet ora patri.

vamen, aut potius propter geminos pluresve alveos, in quos dividuntur. Sic Virgilius IX Æneid. dixit « Rhenum bicornem. »

18. *Sudantem Getica*, etc. Hoc est : Ter vicit quoque Getas : de quibus supra. *Sudor* ad innuendos belli labores sæpe : « Eheu ! quantus equis, quantus adest viris Sudor » ! Horat. lib. I, Nerei vaticinium.

19. « *Parthos* Gevartius : male ; nam Domitiano cum Parthis nulla bella, sed arcta amicitia. Scriverius e membranis profert *recusatos parcus:* quod victis Sarmatis triumphum recusavit. Lege *parcus.* » Beverland. Farnab. Schrevel. « Phrasis *recusato* rara, nec tamen adeo aliena. *Partos*, non *Parthos*, leg. esse contenderim. » *Flosculus.* Nostram lect. dat *Barbou.* — *Parthos.* Hoc est, Parthicos. Virgilius Ecl. X : « libet Partho torquere Cydonia cornu Spicula », etc. Quid nos demum censeamus de scriptura paucis absolvere operæ pretium est. Duo nempe proponuntur : *recusato Parthos* vel *partas, recusatos parcus.* Nam et *recusatos partos* et *recusato parcus*, absurdum. Jam vero *recusato*, ut latinum, sic asperum et elegantioribus poetis hoc tempore minus usitatum. Respuam ergo ego *recusato partos* satis libenter; *Parthos* vero omnino. Nunquam enim Parthorum victorem sese simulavit Domitianus, sed Germanorum. Ed. — *Sæpe recusato.* Hic modus loquendi perfamiliaris videtur Aurelio Victori : ablativus est absolutus neutrius generis; hoc ipsi recusato, seu hac re recusata, nempe ut auxiliaretur Vologeso Parthorum regi. Suetonius cap. 2 in Domitiano : « Nec tamen eo secius, quum Vologesus Parthorum rex auxilia adversus Alanos ducemque alterum ex Vespasiani liberis depoposcisset, omni ope contendit, ut ipse potissimum mitteretur ; et, quia discussa res est, alios Orientis reges, ut idem postularent, donis ac pollicitationibus solicitare tentavit. »

20. *Hyperboreo.* Hoc est, septemtrionali : nam a devictis Germanis Germanicus, atque a subactis Sarmatis Sarmaticus dictus est Domitianus.

21. *Templa Deo.* Vide epigr. IV supra. — *Mores.* Lib. VI, epigr. IV et VII. — *Otia ferro.* Hoc est : Bello confecto, pacem hostibus concessit; lib. VIII, epigr. XV.

22. *Astra suis.* Hoc est : Patrem, fratrem, uxorem in deorum numerum retulit, et Flaviæ genti templum erexit, de quo epigr. II supra.

24. *Tarpeio.* Non sufficit, ut sub imagine Herculis colatur Domitianus, sed sub imagine ipsius Jovis.

CIII.

AD PHOEBUM.*

Quadringentorum reddis mihi, Phœbe, tabellas;
Centum da potius mutua, Phœbe, mihi.
Quære alium, cui te tam vano munere jactes;
Quod tibi non possum solvere, Phœbe, meum est.

* Phœbus fœnerator et creditor Martialis, exigit fœnus et sortem. Poeta vero mutuo petit, seque nihil debere ait, quod nihil habeat unde solvat.

1. *Quadringentorum.* Ejusdem argumenti est lib. VIII, epig. xxxvii. — *Tabellas.* Syngrapham intellige, qua constabat Martialem Phœbo debere quadringenta (millia scil. HS.)

2. *Da potius.* Ut liberalis habearis.

4. *Quod tibi non.* Lib. II, epigr. iii, « Sexte, nihil debes; nil debes, Sexte, fatemur. Debet enim, si quis solvere, Sexte, potest. »

CIV.

DE GEMINIS FRATRIBUS.

Quæ nova tam similes genuit tibi Leda ministros?
Quæ capta est alio nuda Lacæna cycno?

1. *Quæ*, etc. Hunc versum citat Heins. ad Ovid. epist. xx, 62. At pro *Leda ministros* scribit *Leda, Laconas;* mox ait, « *similes tibi* perperam legitur, et *Lacones* ». Somniavit procul dubio Vir doctus: nam in omn. edd. legitur *ministros*. Habent libri in hoc versiculo duo commata, quorum prius ante *Leda*, alterum ante *ministros*. Illud unde nescio. Absurdum est sane; nam sensus est: Quæ nova Leda tibi, etc. Et utrumque delevi. Ed.—*Genuit tibi.* Nescio quem alloquatur Poeta. Ledæ Lacedæmoniæ historia satis nota est, quæ nempe, compressa a Jove cycni forma induto, peperit Pollucem et Castorem.—Hanc tamen legas suadeo apud nostratem *Parny*, qui Catullo, Tibullo, Propertio, nam non loquor Anacreontem, fere semper elegantior, in hac enarranda semet ipse longe superavit. Ed.

2. *Nuda* codd. Pulmanni et Beverl. Sic legit Scriver. et dant Maitt. et Schrevel. *Nupta* exhibent aliæ edd. *Alio...cygno* præstat codex Beverl. et legit Schrevel. Ab aliis

Dat faciem Pollux Hiero, dat Castor Asillo;
Atque in utroque nitet Tyndaris ore soror.
Ista Therapnæis si forma fuisset Amyclis,
Quum vicere duas dona minora Deas;
Mansisses, Helene, Phrygiamque redisset in Idam
Dardanius gemino cum Ganymede Paris.

sic transponuntnr doo vocabula, *cycno...alio*. Sensus vero obvius est.

3. *Puero* pro *Hiero* cod. Pulman. et *Asilo* cod. Beverl.

4. *Tyndaris soror*. Hoc est, Helena Csstoris et Pollocis soror, Jovis filia ex Leda uxore Tyndari, regis Laconiæ.

5. *Ista Therapnæis*. Castor et Pollux nati sont Amyclis, quæ urhs est Laconiæ prope Therapnss; ubi si affuissent Hierus et Asillus (quom Juno ac Pallas contendentes de pomo aureo a Venere victæ fuerunt, promittente Paridi judici Helenam, quæ nempe donum erat inferios quam imperium promissum a Junone, et sapientia promissa a Pallsde), contempta Helena, a Paride rapti fuissent.

7. *Urbem* legunt edd. Farnab. et antiquissimæ. *Idam* est in codice Pulman. — *Mansisses Helene*, etc. Castora et Pollocem potios rapuisset Paris, qusm Helenam, si æque formosi fuissent ac Hierus et Asillus.



M. VAL. MARTIALIS
EPIGRAMMATUM
LIBER X.

I.

LIBER AD LECTOREM.*

Si nimius videor, seraque coronide longus
Esse liber: legito pauca, libellus ero.
Terque quaterque mihi finitur carmine parvo

* Deest titulus in cod. manuscriptis et libris antiquis; *Liber ad lectorem* inscribunt edd. recentiores.

— Omne tulit punctum hic liber: castus, dulcis, eruditus est; morum præcepta continet; descriptionibus variis abundat; nullæ aut rarissimæ adulationes, quia mortuus ille Dominus Deusque, hoc est, impius tyrannus, servorum suorum ferro cæsus; cui successit Nerva, et Nervæ mox Trajanus, ad quem sunt lecta quædam hujus libri epigrammata. *Raderus.*

1. *Si*, etc. « Possis hoc tetrasticho finire librum nonum potius, quam inchoare decimum, nisi Poeta dicat *legito*, quod sequentem laborem, non præteritum spectat. » *Raderus.* —*Videar* est in MS. Palmanni. — *Coronide.* Quam sic explicat Cælius Rhodiginus lib. XV, cap. 20. Coronis significat ultimam rei manum admotam, nec effectum opus, sed prorsus completum, finitumque: siquidem coronis est quandoque montis vertex, aut structuræ summum, quandoque vero quod in fine libri ponitur. Coronis significat et navis puppim, quod sit in ejus apice curvatum rostrum; unde deductum hunc loquendi modum putant nonnulli.

3. *Terque quaterque.* O lector, inquit liber, potes me contrahere, quantum cupis: quum singulis in

Pagina : fac tibi me quam cupis esse brevem.

paginis tria aut quatnor epigrammata contineantur, quibus lectis, alia omittere potest lector.

4. *Fac*, etc. Sic exhibent edd. recentiores. Aliter legunt *Pagina facta*, *tibi quam*, etc. vel *Pagina facta tibi*, *quam*, etc. — *Fac*. Sic epigrammatista palmarius *Rousseau:*

Ami lecteur, vous voilà bien en peine;
Rendons-les courts en ne les lisant point. Ed.

II.

AD EUMDEM.

Festinata prior decimi mihi cura libelli
 Elapsum manibus nunc revocavit opus.
Nota leges quædam, sed lima rasa recenti;
 Pars nova major erit : lector, utrique fave.
Lector, opes nostræ, quem quum mihi Roma dedisset,
 Nil tibi quod demus majus habemus, ait.
Pigra per hunc fugies ingratæ flumina Lethes,
 Et meliore tui parte superstes eris.
Marmora Messalæ findit caprificus, et audax
 Dimidios Crispi mulio ridet equos.

1. *Festinata prior*. Hunc nempe librum nimia festinatione editum revocavit, atque emendavit.

4. *Utrique fave*. Hoc est, Prioribus et novis additis versibus fave.

5. *Lector, opes nostræ*. Per appositionem hoc addit, hoc est : Quo benigno atque benevolo lectore nihil majus mihi dare Roma poterat.

6. *Demus*. In marg. Junt. peñes editorem *detur*.

7. *Pigra*. In marg. ejusd. *Nigræ*. Alios legere *Nigra* monent multi. Sed *Pigra* est in omn. edd. quibus utimur.—*Pigra per hunc*, etc. Pergit Roma et hoc versiculo item et in sequenti, Martialem alloquens. Ed. — *Flumina Lethes*. Hoc est : Te ab hominum oblivione vindicabis. Lethe Inferorum fluvius est, qui præteritarum omnium rerum memoriam delet : λήθη enim latino sermone *oblivio* est.

8. *Superstes eris*. Quia semper legeris, et celebraberis. « Meliore parte », fama scilicet ingenii.—Sic Ovid. Met. XV : « parte tamen meliore mei », etc.

10. *Dimidios equos*. De Crispo dictum lib. IV, epigr. LIV, cujus statuæ equestres vetustate corruptæ et fractæ irridentur a mulioni-

At chartis nec furta nocent, nec sæcula prosunt;
Solaque non norunt hæc monumenta mori.

bus atque aurigis. Juven. Sat. VIII. « Et Curios jam dimidios », etc.

11. *Nec sæcula prosunt.* Sic cod. Pulm. *At s. pros.* Thuan. cod. *Ac s. pros.* edidit *Barbou*; Maitt. *et s. pros.* Hactenus ergo omnes *prosunt.* Sed *Nec s. præs.* dant edd. antiquissimæ cum Farnab. *Prosunt* breviter scriptum est in marg. Junt. penes nos. Et sic de conjectura restituerat Passeratius ad Propertium, III, 2. Raderus præfert *præsunt.* Forte legend. *nec facta n. nec s. desunt* observat Burmannus Secundus ad Propert. III, 1, 63.

12. *Monumenta mori.* « Carmina quam donant, fama perennis erit. » οὐ γὰρ ἀοιδὰς Ἀμβλύνειν αἰὼν (κἢν ἐθέλῃ) δύναται. Lib. III, Epigramm. Græc. cap. 14. — Quæ Gallice imitatus est *Lebrun*, lib. VI, od. XXIII :

...L'ouvrage de la pensée
Est immortel comme les dieux.
Le temps a soufflé sur la cendre
Des murs qu'aux rives du Scamandre
Cherchait l'ami d'Éphestion;
Mais quand tout meurt, peuples, monarques,
Homère triomphe des Parques,
Qui triomphèrent d'Ilion. ED.

III.

AD PRISCUM.*

VERNACULORUM dicta, sordidum dentem,
Et fœda linguæ probra circulatricis,
Quæ sulfurato nolit empta ramento

* In clancularium poetam et impostorem, qui famosa carmina nomine Martialis spargebat, ut poetæ periculum crearet, quem multis modis mendacii et imposturæ arguit.

1. *Vernaculorum dicta*, etc. « Scurrilia dicteria, qualia sunt vernarum lib. I, epigr. XLII, vs. 1. Vernaculos ergo hic vocat εὐτραπέλους, dicaces et scurriles nempe homines et inimicos : hinc *vernacula urbanitas* Tacit. lib. II. » *Salmas.* Congregabantur certis locis hi vernaculi, et scurræ conscripti, atque quasi gregem efficiebant.

2. *Linguæ circulatricis.* Circulator est circumforaneus homo, vulgaris, vagus, sordidus; quem jam citato epigr. Transtiberinum ambulatorem vocavit.

3. *Noli temtare mento* cod. Beverl. — *Quæ sulfurato.* Vide epigr. citatum. Sensus est : Illa dicta ramentis sulfuratis, Gallice *allumettes*, nolit emere negotiator vasorum vitreorum fractorum, quæ sic dicta sunt a Vatinio Beneventano artifice, lib. XIV, epigr. XCVI. « Vilia sutoris calicem monumenta Vatini Accipe », etc. (Et ad id facit Ju-

Vatiniorum proxeneta fractorum,
Poeta quidam clancularius spargit;
Et vult videri nostra. Credis hoc, Prisce,
Voce ut loquatur psittacus coturnicis,
Et concupiscat esse Canus ascaules?
Procul a libellis nigra sit meis fama,
Quos rumor alba gemmeus vehit penna.
Cur ego laborem notus esse tam prave,
Constare gratis quum silentium possit?

venalis, sat. V, 46, parasitum his alloquens: «Tu Beneventani sutoris nomen habentem Siccabis calicem nasorum quatnor. Ed.) Snnt autem proxenetæ conciliatores, et interventores, quasiqne conglntinatores hominum inter se stipulantinm, aut quemvis contractum inenntium.

4. *Flagrorum* cod. Pulmann. — *Proxeneta*. Proxenetæ, Apuleio interprete, sunt mediatores, ut ipse loquitur, hoc est, conciliatores, intercessoresque inter emptorem et venditorem. Hoc loco accipio pro eo, qui inter snlfuratorum vitreorum fractorum emptores velut sequester et arbiter est; permutabant enim vitrea fracta snlfuratis, lib. I, epigr. XLII, jam cit.

5. *Clangularius* Ald. Junt. Colin. *Calcularius* cod. Pnlmann. — *Clancularius*. Occultus impostor suum suis versibus nomen præfigere non audet. Supra lib. VII, epigr. XII.

7. *Psittacus*. Docilis nempe, atque humanæ vocis imitator, cui se Martialis, maledicum vero illum poetam coturnici comparat, cujus vox injucundissima est.

8. *Canus*. Nobilissimus tibicen, de quo lib. IV, epigr. V. Ascaules autem dicitur utricularius, seu qui utrem inflat, quem imitari nolit Canus.

9. *Nigra fama*. Comparata nempe ex aliorum infamia; lib. VII, epigr. XII. « Et mihi de nullo fama rubore placet. »

10. *Quos rumor gemmeus*. Hoc est, candidus et felix. *Alba penna*. His verbis bonam famam significat.

11. *Tam prave*. Hoc est: Cur ex aliorum dedecore mihi nomen comparem, quum laudans alios et ipse laudari possim?

12. *Cum stare gratis*, etc. antiquissimæ exhibent; cujus quidem lectionis meo judicio sensus est: Quum possim innotescere sine detrimento famæ alienæ, et qnnm mea fama sic stare possit. Legunt alii, *Constare gratis quum silentio possim?* Constare significat, patere, perspicuum esse, hoc est: qnum possim notus esse gratis, seu sine alieno rubore. Alii leg. *Constare gratis quum silentium possit?* hoc est: Quum meum silentinm possit innotescere hominibus gratis erga me, quod parcam eorum moribns, quos carpere possem. Quidni *gratis* pro *illæsa mea fama?* — *Tum silentium* est in marg. nostræ Juntinæ, loco τοῦ *quum silentium*.

IV.

AD MAMURRAM.*

Qui legis OEdipodem, caligantemque Thyesten,
Colchidas, et Scyllas; quid nisi monstra legis?
Quid tibi raptus Hylas, quid Parthenopæus, et Atys?
Quid tibi dormitor proderit Endymion?
Exutusve puer pennis labentibus? aut qui

Οἰδιπόδην ἀναγνοὺς, σκοτοδινήσαντα Θυέστην,
Κολχίδας ἢ Σκύλλας, οὐ τερετίσματ' ἔγνως;
Ἁρπασθεὶς τί δ' Ὕλας, τί δὲ Παρθενοπαῖος, ἰδ' Ἄτυς,
Ὑπναλέος τί δέ σ' αὖ Ἐνδυμίων ὀνέοι;
Ἢ πτερὰ τηκόμενος παῖς Ἴκαρος, ἢ σὺ παῖ, ὅς ῥα

* *Ad lectorem* inscribunt edd. antiquissimæ cum Delph. — Poeta hic dicit epigrammata sua utiliora omnibus fabulis : doceri hic mores, et vitia dedoceri : et eo Mamurras fugere id genus scripta, ne suas labes agnoscant. *Rader.*

1. *Qui legis OEdipodem.* OEdipus, qui matrem Jocasten duxit uxorem, notus ex Euripide in Phœnissis; et Thyestes, qui caligans dicitur, propterea quod, ne manducantem filium sibi ab Atreo fratre appositum videret, Sol refugit, et Medea, noti sunt ex Euripide, et Seneca poeta, et multis aliis. De Scylla vide Ovidium, Met. lib. VIII, 91.

2. *Colchidas.* Tragœdias de Medea. — *Scyllas.* Hanc Nisi, illam Phorci filiam.

3. *Raptus Hylas.* Lib. V, epigr. XLVIII. — *Parthenopæus.* Filius Meleagri et Atalantæ, juvenis ad bellum Thebanum profectus est et occisus, lib. VI, epigramm. LXXVII, vs. 2, et lib. IX, epigramm. LVII, vs. 8. — *Atys.* Lib. II, epigramm. LXXXVI. Puer Cybelæ dilectus. Legunt *Atys*, quod ferre non potest versus, prima in *Atys* brevi; scribendum ergo est, *Attis.* Ἄτυς nomen Lydum est, quo nomine aliquot Lydiæ reges vocati sunt. Pater Lydi, a quo Lydia denominata est, vocabatur Ἄτυς : *Attis* vero nomen Phrygii ephebi, quem dilexit mater Deum Cybele. Ea sunt de quibus jam ample disseruimus locc. citt.

4. *Dormitor Endymion.* Qui primus Lunæ cursum observavit; unde fabulantur poetæ illum a Luna fuisse adamatum, atque ab ea in Latmo Cariæ monte sopitum fuisse, ut eum posset commode osculari.

5. *Exutusve puer.* Icarum intel-

Odit amatrices Hermaphroditus aquas?
Quid te vana juvant miseræ ludibria chartæ?
Hoc lege, quod possit dicere vita, Meum est.
Non hic Centauros, non Gorgonas, Harpyiasque
Invenies : hominem pagina nostra sapit.

Δεῖσας ἐρωτομανεῖς Ἑρμαφρόδιτε ῥόθους.
Τί χραισμεῖ σε κενὰ χρυόεντος παίγματα χάρτου;
Ταῦτ' ἀνάγνωσον, ἃ γνοὺς, φῇς, ἐμόν ἐστι τόδε.
Ἔνθ' οὐ Κενταύρους, οὐ Γοργόνας, Ἁρπυίας τε
Εὕροις· Μοῦσ' ἂν ἐμὴ ἄνδρ' ἐνέπουσα φρονεῖ.

lige, notum ex Ovidio lib. VIII, Met. apud quem et Hermaphroditi fabulam leges, lib. IV, Metam.

6. *Amatrices*, etc. Salmacidas. Ovid. Metam. IV; Auson. epigr. XCIX, et LXVIII, vide et infra epigr. XXX, vs. 10.

7. *Miseræ ludibria*. Hoc est, fabularum ludos.

8. *Quod possit*, etc. « Recte sane Pal. *q. p. d. vita*. Sic et Percheimerianus. » *Gronov*. Hoc rectum putat Schrevelius, et dat cum Maitt. et *Barbou*. Alii legunt *q. possit d quisque* cum cod. Palm. *Q. possis d. jure* edd. antiq. et Farnabii. — *Hoc lege*. Quod spectat ad tuos mores. De Centauris Ovid. lib. XII, Met. Gorgones vero Phorci filiæ, Medusa, Sthenyo, alii Sthino, et Euryale. Aliæ quoque Gorgones fuere, quas recenset Natalis Comes lib. VII. Mythol. cap. 12.

9. *Harpiasque* Barbou. *Arpgiasque* Ald. Junt. Colin. — *Harpyiasque*. Neptuni et Terræ filiæ; a poetis finguntur rapaces, volatiles, virgineo vultu, et manibus uncis. Quæ tres enumerantur a Virgilio, Helle, Ocypete, et Celæno. Vide Natalem Comitem, lib. VII, cap. 6.

10. *Hominem pagina*. Mores enim hominum corrigunt atque instituunt libri mei. Mox in ultimo versu, *Nec sacrilege Sextia* codex Beverl. *Sextia* Ferrar. anni 1471. Αἴτια legunt edd. Paris. 1617, et recentiores. Sic monet Calderinus : « *Legas Ethia*. Colin. Ald. Junt. alii habent. Sed nec illud leges : quia illud etiam est in Moribus : ita codex antiquus habet. Sunt qui legant *juvat Ethea*. Sed intelligendum de opere Callimachi in Ibin. » Prius adnotaverat ἦθος morem significare : quam vocat impressa adnotatio in marg. ejusd. ed. Paris. « vitiosam interpretationem depravatæ lect. » Heraldus videtur legisse *Ætia*. — *Legas* αἴτια. Hoc est (nam Αἴτια, Causas), Legas librum, quem scripsit Callimachus de Causis et Originibus Rerum. De Callimacho dictum lib. IV, epigr. XXIII. Sensus est : Quum nolis cognoscere te ipsum, lege opus Callimachi de Causis ; quod somnia Callimachi vocat Propertius. Quod si legas cum

Sed non vis, Mamurra, tuos cognoscere mores,
Nec te scire : legas Αἴτια Callimachi.

Οὐκ ἐθέλεις ἀτὰρ, οὐδ' ἀλέγεις τὰ σὰ ἤθεα γνῶναι,
Οὐδὲ σεαυτόν· γνῶθ' Αἴτια Καλλιμάχου.

aliis, *Nec te scire juvat ethea Callimachi*, sic intellige : Nec juvat te legere librum, quem de Moribus scripsit Callimachus (sive poeta ille Cyreneus fuerit, seu alius grammaticus sic dictus). Sed minus placet interpretibus. Vid. Adrian. Turnebus, lib. XXX, cap. 30.

V.

IN MALEDICUM POETAM.

Quisquis stolæve purpuræve contemptor,
Quos colere debet, læsit impio versu;
Erret per urbem pontis exsul et clivi,
Interque raucos ultimus rogatores
Oret caninas panis improbi buccas.
Illi December longus, et madens bruma,
Claususque fornix triste frigus extendat.

1. *Quisquis stolæ*. Aspere invehitur in eumdem sane poetam, de quo epigr. III supra. Stola propria erat matronarum; lib. I, ep. XXXVI. Attamen Bayfius de Re Vestiaria cap. I existimat stolam vocem esse communem ad omne genus vestimenti. Purpura vero olim solius Magistratus erat insigne : at labente disciplina, lacernis purpureis usi sunt fere omnes; lib. V, ep. VIII.

2. *Quos colere debet*. Summæ rerum præfectos, Imperatores; divorum loco adorandos. Ed.

3. *Erret*, etc. « Sic Palat. mente satis acri et acuta. In vulgg. legebatur *Pontes per urbis erret e. et clivos.* ». *Farnab.* » Raderus legend. censet *orbis* : quomodo enim exsul, si in urbe? Sic Ovid. in Ibin, 113 inimico suo imprecatur : « Exsul inopserres, alienaque limina lustres, Exiguumque petas ore tremente cibum. » *Schrevel.* Nostram habent omnes recentiores. —*Pontis...et clivi.* Ubi mendici rogant stipem. Suo inimico idem etiam imprecatur Ovid. in Ibin. Juven sat. IV, 116 (ubi vide nos. Ed.) : « dirusque a ponte satelles Dignus Aricinos qui mendicaret ad axes. » Vidimus supra *Pontes per orbis* placere Radero qui sic aliam scripturam refellebat : « Quomodo exsul, si in urbe? » At *exsul* sumitur hic, meo judicio, pro errone et vago homine.

5. *Bacas* MS. Beverl. pro *buccas*.

7. *Clususque* MS. Pulmann. et ed.

Vocet beatos clamitetque felices,
Orciniana qui feruntur in sponda;
Et, quum supremæ fila venerint horæ,
Diesque tardus, sentiat canum litem,
Abigatque moto noxias aves panno;
Nec finiantur morte simplices pœnæ;
Sed modo severi sectus Æaci loris,
Nunc inquieti monte Sisyphi pressus,
Nunc inter undas garruli senis siccus,
Delasset omnes fabulas poetarum;
Et, quum fateri Furia jusserit verum,
Prodente clamet conscientia, Scripsi.

Barbou.—*Claususque fornix.* In quo nempe sine igne mendici delitescebant per hiemem.

9. *Orciniana sponda.* Sandapila sic dicta est ab Orco, quod mortui ad Orcum eant.

10. *Neverit* Ferrar. *Neverint Horæ* MS. Beverl. *Neverint* marg. N. Junt.

11. *Diesque tardus.* Mortis nempe, quam jamdiu expetebat. — *Sentiat canum litem.* Hoc est: Jam moriturus sentiat canes litigantes de cadavere ipsius laniando. — Nostras *Racine :*

.... des membres affreux
Que des chiens dévorans se disputaient entr'eux.

12. *Noxias aves.* Corvos, vultures, etc.

13. *Supplicis* antiquissimæ editiones exhibent, id est, mendici et rogatoris. Alii legunt *simplices pœnæ*, habita scilicet ratione aliorum suppliciorum, quæ in inferis subiturus est maledicus poeta.

14. *Æaci.* Quem tantopere justitiæ amantem fuisse ferunt, ut apud Inferos a Plutone delectus fuerit animarum judex cum Minoe et Rhadamantho. Vid. Pindar. Olymp. od. II.

15. *Monte Sisyphi.* Quem fabulantur mythographi eo supplicii genere plecti apud inferos, ut saxum ingens perpetuo volvat.

16. *Garruli senis.* Hoc est, Tantali, qui, ut canunt poetæ, mediis in aquis perpetua siti laborat, quod invitatus a Jove ad cœnam deorum secreta vulgavisset.— Annotandum hic, quemadmodum unanimes de celeberrimi regis supplicio οἱ μυθογράφοι, ita de scelere omnes variare. Filiumne, quod plerique volunt, diis apposuit? an (quod Pindarus Olympic. od. I) nectar et ambrosiam surripuit? an, ut Phanocles, Ganymedi vim intulit? an, ut hic innuit Noster, Superum arcana evulgavit? nihil quidem refert; at refert omnia hæc nosse, ut quidquid id sit ad quod alluserint poetæ, statim intelligatur. Ed.

17. *Delasset.* Pro *valde lasset.* Horat. lib. I, sat. 1, vs. 13: «Cætera de genere hoc, adeo sunt multa, loquacem *Delassare* valent Fabium.» Ed.

19. *Scripsi.* Hoc est: Famosa carmina vulgavi, nomine Martialis.

VI.

DE ADVENTU CÆSARIS TRAJANI.*

Felices, quibus urna dedit spectare coruscum
Solibus Arctois sideribusque ducem.
Quando erit ille dies, quo campus, et arbor, et omnis
Lucebit Latia culta fenestra nuru?
Quando moræ dulces, longusque a Cæsare pulvis,
Totaque Flaminia Roma videnda via?
Quando eques, et picti tunica Nilotide Mauri
Ibitis? et populi vox erit una, Venit?

* *Trajani* omittunt editiones vetustæ. Nec id ex antiquitate solum profluxisse censere videtur editor Delph. *De Cæsaris Trajani adventu* habet ed. *Barbou.*

1. *Una* MS. Beverl. — *Quibus urna dedit.* In qua sunt omnium hominum nomina, qui moriuntur, prout serius aut ocyus sors exierit. Alii intelligunt urnam electionis, seu sortem qua lecti mittebantur ad Principem Legati. Alii, sortem simpliciter et quidem bonam : hoc sensu : Felices, quibus bona quadam sorte contigit ut Trajanum viderent. Eligat lector. De Arctois sideribus sæpius dictum. Germania autem est ad Septemtrionem, ex qua rediturus erat Trajanus. Vide epigr. sequens. — *Coruscum solibus Arctois*, etc. Notandum tamen modice coruscum qui solibus Arctois coruscet ; et somnianti poetæ forsitan capitale fuisset sub Domitiano, clamitantibus aulicis : An Jovis nostri claritudini tot nubes officiunt quot Hyperboreo soli? Ed.

4. *Lucebit Latia.* Quo die omnes Latii mulieres ex fenestris Trajanum redeuntem spectabunt.

5. *Longusque a Cæsare pulvis.* Adventantis Cæsaris et comitum, ἄναυδος, σαφὴς, ἔτυμος ἄγγελος. Æschyl. Sept. ad Th. sc. II.

6. *Flaminia.* Qua iter est in Germaniam.

7. *Quando eques, et picti.* Hoc est, equites Mauri induti veste Ægyptia variis coloribus picta. Nam, luxus causa, Mauro equite Romani utebantur. Vide lib. X, epigr. XIII infra : «Et Libys in longo pulvere sudet eques.» Raderus vero credit alam prætorianam esse τὸ eques. — Quod si verum, haud jam equites fuisse hosce *Mauros* ego crediderim, at potius nuntios qui mox venturum principem dicerent. Et notum satis est id Romanis usitatum, Numidas et Mauros in familiis habere qui nuntiandi et mandata perferendi officio fungerentur. Ed.

VII.

AD RHENUM, DE EODEM.*

NYMPHARUM pater amniumque, Rhene,
Quicumque Odrysias bibunt pruinas,
Sic semper liquidis fruaris undis,
Nec te barbara contumeliosi
Calcatum rota conterat bubulci;
Sic et cornibus aureus receptis,
Et Romanus eas utraque ripa;
Trajanum populis suis, et Urbi,
Tibris te dominus rogat, remittas.

* *De eodem* nesciunt edd. antiquæ. *De eodem ad R.* exhibet editio *Barbou.*

1. *Pater amnium.* Quia nempe magnos amnes sinu excipit. Sic Virgilius, Georg. lib. I : « Fluviorum rex Eridanus. »

2. *Othrys.* edd. vett. et *Barbou. Od.* rell. et sic MS. Pulmann. — *Quicumque Odrysias.* De hac voce jam dictum lib. VII, epigr. VIII. Odryse Thracia est : quæ vox latins sumitur a Poeta pro Septemtrione; Rhenus enim Thraciam non alluit. *Pruinas* glaciem et nives liquefactas intellige.

3. *Frueris* edd. vett. *Fruaris* rell. et sic Pulmanni MS.

4. *Nec te barbara.* Hoc est : Nec te gelu constrictum premant plaustra bubulcorum. — *Contumeliosi.* Quasi id contumeliæ loco esset, plaustra pati et incurrentes viros. Hinc enim quasi vinculum et servitutis nota. Sic Virgilius cecinit : « pontem indignatus Araxes. »

6. *Aureis* cod. Pulmann. et sic legend. notat Beverlandus.—*Sic et cornibus.* In duas præcipue partes, quæ cornua vocantur, dividitur Rhenus ; quorum alterum, inquit Domitius, habebant Transrhenani, alterum vero erat in imperio Romanorum. *Aureus* dicitur, ut opinatur Raderus, vel propter aurifodinas Germaniæ, vel propter auream et flavam Germanorum comam, vel quod in triumphis flumina auro depicta gestarentur. — Ultimus sensus unice probandus, quod et patet ex voce *receptis;* in ditionem nempe. ED.

7. *Romanus eas.* Hoc est : Germania cis transque Rhenum serviat Romanis.

8. *Trojanum* MS. Pulmann.

9. *Tibris dominus.* Nempe quod illius undis « Terrarum dea gentiumque Roma » (lib. XII, epigr. VIII, vs. 1) alluatur. ED.

VIII.

DE PAULLA.*

Nubere Paulla cupit nobis; ego ducere Paullam
Nolo; anus est : vellem, si magis esset anus.

* *Paula* et *Paulam* edd. Ald. Junt. Colin. *Paulum* quoque et *Paule* eæd. in epigr. x.—Scomma jactum in vetulam, quam, Martialis conjugium ambientem, ille dicit nec juventutis satis, nec senectæ habere. Nam juvenis placeret; senio confecta mox moreretur : hinc opes, inde voluptas; quorum alterutrum necesse est ut pauperes, modo florente ætate, bene vel nupserint, vel duxerint. Ed.

1. *Nobis.* Hoc est, mihi.

2. *Si magis esset anus.* Cito enim moreretur, et me hæredem relinqueret. Vid. supra.

IX.

DE SE.*

Undenis pedibusque, syllabisque,
Et multo sale, nec tamen protervo,
Notus gentibus ille Martialis,
Et notus populis : quid invidetis?
Non sum Andræmone notior Caballo.

* Affirmat Martialis sibi famam ingenii et carminis non invidendam, quod eamdem adepti sint multo se inferiores et indigniores. *Rader.*

1. *Undenis pedibus.* Versus intellige quos et passim effundit et hic etiam, hendecasyllabos, constantes nempe undecim (ἕνδεκα) syllabis (συλλαβαῖς), ita ut singuli quinque pedes efficiant : et dicitur etiam carmen Phaleucium. Ed.

2. *Sale, nec tamen protervo.* Facetus, sed modestus in facetiis. Ed.

3. *Notus gentibus.* Vide lib. I, epigr. II.

5. *Andremone* edd. vett. et Farnabii, et Maitt. Dant *caballo* edd. Paris. 1617 et *Barbou.* — *Andræmone Caballo.* Lib. I, epigr. XLII quemdam scurram vocat Sextium Caballum. Hic etiam forte intelligit scurram. Alii volunt esse nomen nobilis cujusdam equi circensis.

X.

IN PAULLUM.*

Quum tu, laurigeris annum qui fascibus intras,
  Mane salutator limina mille teras;
Hic ego quid faciam? quid nobis, Paulle, relinquis,
  Qui de plebe Numæ, densaque turba sumus?
Qui me respiciet, dominum, regemque vocabo?
  Hoc tu (sed quanto blandius!) ipse facis.
Lecticam, sellamve sequar? nec ferre recusas;
  Per medium pugnas et prior ire lutum.
Sæpius assurgam recitanti carmina? tu stas,
  Et pariter geminas tendis in ora manus.
Quid faciet pauper, cui non licet esse clienti?

* Divites et claros æque serviles esse atque pauperes; immo jam patronos ipsos clientum obire partes queritur.

1. *Fastibus intrat* cod. Beverl. et vs. 4. *Quid ephæbe.—Quum tu, laurigeris.* Anno ineunte, fasces laureati gestabantur ante novos Consules. De salutatoribus dictum lib. II, epigr. XVIII.

4. *De plebe Numæ.* Qui nempe pauper fuit inter reges. Sensus est: Quid facient pauperes, quum viri clari et nobiles eorum officia obeant?

5. *Respiciat* edd. vett. *Respicies* cod. Pulmann. — *Dominum, regemque.* Patronum, quos reges et dominos vocabant, ut supra sæpe.

6. *Hoc tu*, etc. Egone te patronum salutabo, qui ipse alios salutas multo blandius quam ego te?

7. *Sellamque... recuso* edd. vett. et Farnabii. *Sellamve* cod. Pulman.

8. *Per medium*, etc. Sed et ipse alios præcedis anteambulo comesque, lib. III, epigr. XXXVI, vs. 4.

9. *Testis* pro *tu stas* Pulm. cod.— *Assurgam recitanti.* Ut applaudam.

10. *Et pariter geminas.* Signum est applaudentis et adulantis.

11, 12. *Clientem* cod. Beverl. Vid. Heins. ad Ovid. epist. XIV, 64. Mox *Dimisit.* « Memini, quum primum in hunc loc. inciderem, statim succurrisse mihi *Derisit.* » *De Rooy.* — *Divisit nostras*, etc. Sic edd. antiquæ et codex Pulmanni et hic sensus: Æque sumus clientes, vos purpurati tantum distincti estis a nobis togatis. Vel vos purpurati clientes exclusistis nos togatos ab officio clientum. Turneb. lib. XXX, 30. *Purpura* enim insigne Romanorum magistratuum. Si legas *dimisit*, cum Grutero interpretare: Jussit esse feriatas, inutiles reddidit:

Dimisit nostras purpura vestra togas.

tanquam si dimitterentur tali facto, non secus quam dimittebatur aut concio, aut senatus. Et Noster lib. I, epigr. LXXIX, *Dimisitque animam nobiliore via;* lib. II, epigr. XVI, *Dimitte Machaonas omnes.*

XI.

IN CALLIODORUM.*

Nil aliud loqueris, quam Thesea, Pirithoumque,
Teque putas Pyladi, Calliodore, parem.
Dispeream, si tu Pyladi præstare matellam
Dignus es, aut porcos pascere Pirithoi.
Donavi tamen, inquis, amico millia quinque,
Et lotam (ut multum) terque quaterque togam.
Quid, quod nil unquam Pyladi donavit Orestes?

* In parcum amicum, sese tamen Pyladem et Theseum jactare ausum. Poeta vere ait amicos, non qui aliquid donent, sed qui πάντα κοινὰ habeant.

1. *Pyrith.* Paris. 1617. *Pir.* ed. Maitt. — *Thesea, Pirithoumque.* Alii scribunt *Perithoum.* De his jam lib. VII, epigr. XXIV. Eorum historia omnibus obvia.

3. *Pyladi,* etc. Vel infimo servitii munere defungi, ut præstare matulam (ἀμίδα).

4. *Porcos pascere Pirithoi.* Forte, quod in glandiferis Pindi sylvis degebat Pirithous.

5. *Millia quinque.* Sestertiorum.

6. *Lotam multum* cod. Pulmann. Pro parenthesi minima puncta exihent Ald. Junt. Colin. et unum dque minimum punctum post *lotam* Paris. 1617 atque Delph. Nec parenthesin nec punctum habet ed. *Barbou.* « Suspectum Scriverio *ut m.* Frustra : est enim compendio dictum pro eo, quod est integrum. Sic Juv. VII, 187 : « Ut multum, duo sufficient. » *Gronov.* Salmasius legit *Et lotam, ut minimum.* Vide Variorum notas. « *Ut multum* parenthesi includendum, ut sint verba Martialis, irridentis exiguitatem muneris. Male hunc l. accipit Salmas. in not. ad Hist. Aug. quod et in pejus retractat ad Solin. p. 391. » *Beverl.* — *Et lotam,* etc. Hoc est, fere novam, novæ similem.

7. « *Pylades d. Orestæ* sensus jubet esse legend. neque aliter vestigia codicis Puteani : in quo *Pila donabitur esse.* » *Heins.* ad Ovid. ep. VIII, 9. — *Quid, quod.* Vehementius in-

Qui donat, quamvis plurima, plura negat.

standi gratia, *Quid* adsciscit *quod*.

8. *Plura negat.* Quia, qui donat, omnia sua bona cum amico non communicat; alioquin nihil haberet, quo careret alter, atque ita nihil donare posset.

XII.

AD DOMITIUM.*

Æmiliæ gentes, et Apollineas Vercellas,
Et Phaethontei qui petis arva Padi;
Ne vivam, nisi te, Domiti, permitto libenter,
Grata licet sine te sit mihi nulla dies.
Sed desiderium tanti est, ut messe vel una

* Vovet secessum Domitio felicem, et reditum. *Rader.*

1. *Æmiliæ gentes.* Æmilia, una ex provinciis Italiæ, imperatorum temporibus, eam Galliæ Cisalpinæ partem continuit quæ cis Padum posita est, et præcipuam habuit civitatem Placentiam. Cujus locum hodie obtinent quæ vocantur *le duché de Modène, et les légations de Ferrare et de Bologne.* En.—Vercellas, hodie *Vercelli*, Apollineas dicit, vel quod illic Apollo coleretur, vel a liberalibus disciplinis, vel ab auro Apollini sacro, quod ibi effoderetur, ut conjiciunt interpretes.

2. *Phaethontei.* Quia in Padum curru Solis excussus Phaethon cecidit. Vid. lib. IV, epigr. XXV, vs. 2, et quæ Ovid. Metam. lib. II, fabul. 1, 2, 3, sqq. — *Quid petis.* Vid. ad not. proxime sequentem.

3. *Permitto.* Sic omnes edd. nostræ. At *Barbou*, qui tamen habet *permitto*, notat in VV. LL. « *Dimitto* vulgg. *Præmitto* Scriver. » *Admitto* cod. Pulman. qui subinde : « Quid si, ait, legatur *permuto* ? » Elegans sane illud *permitto* e MSS. a Grutero restitutum, nec mutandum. Est autem idem, quod, incito, laxo habenas, ut « equos *permittere* in cuneum hostium. » Et sic Livius : « Concitant equos, *permittuntque* in hostem. » Sed et in præcedenti versiculo videtur legend. *quæ petis.* Potest quoque vulgari quodam et obvio sensu intelligi τὸ *permitto*, et sic explicari : Dispeream nisi te secedere permittam. Si cum Petr. Scriverio emendare volueris *præmitto*, ille erit tunc statuendus sensus, unde sequatur et amicum mox et se moriturum : nam id de vita functis dicebant, tanquam eos ipsos sequuturi. Sed dispiciat lector. » *Farnab. Schrevel.* Vid. præter Gruterum ad h. l. quos laudat Ernest. ad Tac. Annal. XI, 10.

5. *Sed desiderium tanti.* Sed tanti

Urbano releves colla perusta jugo.
I, precor, et totos avida cute combibe soles.
Quam formosus eris, dum peregrinus eris!
Et venies albis non cognoscendus amicis,
Livebitque tuis pallida turba genis!
Sed, via quem dederit, rapiet cito Roma colorem,
Niliaco redeas tu licet ore niger.

facio desiderium, quo flagras rus eundi, ut libenter sinam te abire, ut uempe negotiis atque officiis urbauis defatigatum te recrees. «*Colla perusta*, id est, attrita urbanis officiis. Sæpissime enim *urere* usurpatur pro *vexare*.

7. *Combibe soles*. Hoc est : Aprícationi vaea, quam cuti colorandæ optimam esse eredebant Veteres.

8. *Quum* pro *dum* cod. Pulman. et id videtur legisse Calderinus.

9. *Agnosc*. Pulman. cod. et Ald. Junt. Colin. pro *Cognosc*. — *Albis amicis*. Hoc est, sole uon coloratis, utpote qui in urbe mauserint; vel refer ad togas candidas. Vide lib. I, epigr. LVI, vs. 14. Vel potius, ut refert Heraldus, διὰ σκιατροφίαν, hoc est, propter vitam quam in umbra ducebant Veteres.

10. *Livebitque*, etc. *Libabitque tuas.... genas* edd. vett. et Delph. et Farn. quod quoque exponit Heraldns. « Grnterus ex MS. Anglic. legit *Livebitque tuis... genis* : h. e. invidebit. Recte. » *Schrevel*. Et sic Pulmanu. cod. — *Pallida turba*. Ob vigilias, et officia urbana, atque vitam umbratilem.

11. *Te duce quem dederis* cod. Pulmanu. *Dederet* edd. Schrevel. Maitt. Farnab.

12. *Niliaco redeas*. Ægyptii enim sunt fusei. Unde vulgo dietitatum poetis : « Fusca Syene. »

XIII.

AD TUCCAM.*

Quum cathedralicios portet tibi rheda ministros,

**Ad Cottam* Thnan. codex, pro, *Tuccam*, et *Cotta* infra vs. 10.

— Tuccam opulentum et felieem, eo iufelicem prædicat, quod suam felieitatem ignoret. Quod multis usu venit, ut tum primnm se beatos agnoseant, qnum beatitudiuis jaeturam fecere.

1. *Cotathredratos* eod. Beverl. *Cathedratos* Vat. *Præda* pro *rheda* cod. Beverl. — *Cathedralicios*. Hoc est, pueros molles atque effeminatos, quasi feminas, non viros; cathedra enim femiuarnm erat propria : vid. lib. IV, epigr. LXXIX. Juv. sat. VI, 92 : « famam contempserat olim,

Et Libys in longo pulvere sudet eques;
Strataque non unas cingant triclinia Baias,
Et Thetis unguento palleat uncta tuo;
Candida Setini rumpant crystalla trientes,
Dormiat in pluma nec meliore Venus;
Ad nocturna jaces fastosæ limina mœchæ,
Et madet (heu) lacrymis janua surda tuis;
Urere nec miserum cessant suspiria pectus.
Vis dicam, male sit cur tibi, Tucca! Bene est.

Cujus apud molles minima est jactura cathedras. » — Et Horatius, lib. I, Sat. x, antepen. et penult. vers. : « Demetri, teque Tigelli, Discipularum inter jubeo plorare cathedras. » En.

2. *Sedet* Beverl. — *Et Libys*, etc. Et tibi, pro more lautiorum, præcurrant equites Numidæ. Reges enim et potentiores præcursores illos habebant, quum iter aliquod ingrederentur : *Cursores* simpliciter dicuntur, quum præcursores revera sint. Senec. epist. cxxiv : « Omnes sic jam peregrinantur, ut illos Numidarum præcurrat equitatus, ut agmen cursorum antecedat. » Turneb. lib. XXIV, cap. 6.

3. *Nolanas pingat* cod. Beverl. *Tangant* cod. Pulmann. — *Strataque*. De Baiis dictum lib. I, epigr. lx, ubi erant nobilissimæ thermæ, unde et hic Baiæ sumuntur pro thermis, juxta quas exstruebantur triclinia. — *Non unas*. Id est, multas.

4. *Et Thetis*. Sumitur hic pro balneis maris instar amplis, quæ redolebant unguentum undique sparsum. Vide lib. III, epigr. xii. Θέτις Dea et nympha maris, filia Nerei, etc. Τηθὺς, Tethys, uxor Oceani, ut Amphitrite pro mari sæpius accipitur, lib. Spect. epigramm. iii.

5. *Sed vini* Vat. — *Trientes*. Calices quatuor cyathorum. Lib. I, ep. xxviii, vs. 2. — *Candida Setini*. Hoc est, quum trientes vini Setini, de quo sæpius dictum, calore suo rumpant pocula crystallina, vel splendore suo crystallum quodammodo findere videantur.

6. *In pluma nec meliore*. In pluma autem olorina dormit Venus. Nam olores illi sacri.

7. *Ad nocturna*. Is enim mos usitatissimus Veteribus. Persius sat. v. 164 : « An rem patriam rumore sinistro Limen ad obscœnum frangam, dum Chrysidis udas Ebrius ante fores exstincta cum face canto? » — Unde Horatius lib. I, od. xxv, ad senescentem puellam : « Parcius junctas quatiunt fenestras.... juvenes protervi : Nec tibi somnos adimunt;... audis minus, et minus jam : Me tuo longas pereunte noctes, Lydia, dormis. » Satis similis in levioribus poematibus *Lebrun* :

Devers minuit, tandis que sans vouloir répondre,
Il vous plaisait de me laisser morfondre
A votre porte, où je sonnais en vain... Ed.

10. *Bene* pro *male* cod. Vat. — *Bene est*. Atque ita cruciaris nimia divitiarum abundantia.

XIV.

AD CRISPUM.*

CEDERE de nostris nulli te dicis amicis.
Sed, sit ut hoc verum, quid, rogo, Crispe, facis?
Mutua quum peterem sestertia quinque, negasti;
Non caperet nummos quum gravis arca tuos.
Quando fabæ nobis modium farrisque dedisti,
Quum tua Niliacus rura colonus aret?
Quando brevis gelidæ missa est toga tempore brumæ?
Argenti venit quando selibra mihi?
Nil aliud video, quo te credamus amicum,
Quam quod me coram pedere, Crispe, soles.

* *In Crispum* editt. vett.

6. *Niliacus.* Hoc est, quum habeas multos fundos in Ægypto.

8. *Argenti quando missa selibra mihi est?* vett. edd.

9. *Quod* Colin. Ferrar. et Beverl.

10. *Quam quod*, etc. Animam impendere, sive, ut ait ille, aliquid animæ amittere in honorem amici. Honeste parum, at satis familiariter, et pro comitate suilla: ubi arctioris amicitiæ argumentum habetur, mutuis se officiis comitari ac deducere ad sellas Patroclianas, et dulcissimos conferre sermones in Cloacinæ sacello.

XV.

DE APRO.

DOTATÆ uxori cor arundine fixit acuta;
Sed dum ludit Aper, ludere novit Aper.

1. *Cor arundine fixit.* Fingens se ludere sagittis.

2. *Novit Aper.* Hoc sensu; Per errorem uxorem interfecisse videtur Aper, quod forte nesciret ludere sagittis; immo novit optime ludere, occisa enim uxore factus est dives. *Lædere* ed. *Barbou*, et hoc conjicit Pulmannus, sed damnat Schrevel. his fere verbis: « Poeta ludit, ut aiunt, per paronomasiam (h. e. similitudinem verborum) in his vocibus *ludere* et *lædere*. Minus tamen arguta videtur hæc lectio. »

XVI.

IN CAIUM.*

Si donare vocas promittere nec dare, Caï;
Vincam te donis, muneribusque meis.
Accipe Callaicis quidquid fodit Astur in arvis,
Aurea quidquid habet divitis unda Tagi;
Quidquid Erythræa niger invenit Indus in alga,
Quidquid et in nidis unica servat avis;
Quidquid Agenoreo Tyros improba cogit aheno;
Quidquid habent omnes, accipe, quomodo das.

* Sordidum et vanum promissorem reprehendit qui, ut ille Macedonum rex Antigonus Doson (δώσων græce est *daturus*; et de hoc rege adi Justin. lib. XX, cap. 29, et Polyb. lib. II), daturum se perpetuum profitebatur, at dabat nunquam. Ed.

2. *Vincam te donis.* Nam, ut canit Ovidius, « Pollicitis dives quilibet esse potest. »

3. *Caldeis* cod. Beverl.—*Callaicis.* Asturia, Hispaniæ Tarraconensis provincia, in qua erant aurifodinæ: Callaica vero arva dicuntur, a Gallæcia, quæ regio est Asturibus proxima.

4. *Divitis unda Tagi.* In Tago Hispaniæ fluvio aureæ sunt arenæ. Vid. nos ad lib. I, epigr. L, vs. 15; lib. X, epigr. XCVI; lib. XII, epigr. III, vs. 3, et passim.

5. *Quidquid Erythræa.* De lapillis Erythræis, lib. V, epigr. XXXVII.

6. *In nidis.* Phœnix avis omne aromatum genus servat in suo nido, lib. V, epigr. VII. Confer. et Nasonis Metam. lib. XV, fab. IX, et Taciti Annales, lib. VI, cap. 28.

7. *Quidquid Agenoreo.* Agenor condidit Tyrum, in qua inventus est modus conficiendæ purpuræ, quæ superbiæ et luxui inservit, unde Tyrus illius inventrix *improba* dicitur. Sic Seneca epist. CXV: «Lacernas coloris improbi.» Forte et *improba* propter id dicitur quod iterentur, hoc est, bis tingantur purpura lanæ, *aheno*, vase scilicet, in quo color elaboratur. Improbum laborem appellavit Virgilius, assiduum et iteratum: ita et vestes *improbi coloris* dibaphas et iteratas aheno purpureo. Et huc facit Plin. lib. IX, cap. 41: «Non est satis abstulisse gemmæ nomen amethystum, rursus absolutus inebriatur Tyrio, ut sit ex utroque nomen improbum, simulque luxuria duplex.» Lib. XIV, epigramm. CLIV.—Meo quidem judicio, simplicius per *improba* intelligeretur, ut toties, callida, versuta; artifici enim qui mira invenit, mira quædam inest improbitas, dum negata homini et supra naturam posita aggreditur. Ed.

XVII.

DE MACRO AD MUSAM.*

Saturnalicio Macrum fraudare tributo,
Frustra, Musa, cupis : non licet, ipse petit;
Solennesque jocos, nec tristia carmina poscit;
Et queritur nugas obticuisse meas.
Mensorum longis sed nunc vacat ille libellis.
Appia, quid facies, si leget ista Macer?

* *Ad Musam* omittunt Ald. Junt. Coliu.

— Macer occupatus in via Appia sternenda, ergo et in legendis geometris, subinde Martialis epigrammata, quæ Saturnalium tempore exspectabat, intermissa vero petebat. Respondet poeta, Si legeris mea, tuorum, viæ sc. Appiæ, incuriosus, quid de illa jam fiet? *Raderus.*

1. *Saturnalicio*, etc. Carmina mea, quæ per Macri, in via Appia sternenda cui præficiebatur ab Imperatore, occupationes intermissa sunt a me iu Saturnalibus, eu exigit Macer tanquam tributum statum et annuum.

5. *Mensorum.* Qui de spatiis itinerum et ratione viarum scripserunt : libros vero geometricos legere solebat iste Macer, quum in sterneuda via Appia totus esset.

6. *Appia, quid.* Quasi dicat, Negligeris, o Appia! Vid. supra.

XVIII.

DE MARIO.*

Nec vocat ad cœnam Marius, nec munera mittit,
Nec spondet, nec vult credere : sed nec habet.
Turba tamen non deest, sterilem quæ curet amicum.

* Coli volunt a clientibus patroni, et nolunt colere donis clientes. Talem patronum esse ait Marium.

2. *Reddere* cod. Beverl. — *Nec vult credere.* Hoc est, dare mutuam pecuniam. — *Sed.* Hic est pro *immo*, *quin etiam.* Unde sensus : Immo

Eheu quam fatuæ sunt tibi, Roma, togæ!

non habet; ne habet quidem unde muneretur.

4. *Heu quam perfatuæ* edd. vett. et Delph. *heu heri quam fat.* Thuan. *Heu mihi quam fat.* Vat. si audias Beverlandum. In marg. nostræ ed. Var. scripsit amicus in Vaticano esse *Hei mihi.* — *Togæ.* Toga sumitur hic pro togato quolibet: togati vero sunt clientes, quos ob id stolidos vocat, quod gratis serviant suis patronis.

XIX.

MITTIT LIBRUM SUUM AD PLINIUM (CÆCILIUM SECUNDUM.)*

Nec doctum satis, et parum severum,
Sed non rusticulum nimis libellum,
Facundo, mea, Plinio, Thalia,
I, perfer: brevis est labor peractæ
Altum vincere tramitem Suburræ.
Illic Orphea protinus videbis
Udi vertice lubricum theatri,

* Alloquitur Musam; mandat, ut domum Plinii in Exquiliis quærat, adeatque reverenter. Tum et Plinium laudat ab eloquentia, cujus laude cum Cicerone contendit.

1. *Nec doctum satis*, etc. Super rumore defuncti Martialis in epistola ult. lib. III ad Priscum, gratatur Plinius, laudat et bene precatur Poetæ de hoc epigr. cujus partem ibi referens, *Alloquitur Musam*, inquit de Martiali, *mandat, ut domum meam Esquiliis quærat, adeatque reverenter*, etc.

2. *Sed non*, etc. Non tamen omnino inelegantem.

3. *Thalia*. Musa carminis mei jocosi præses. Lib. IV, epigr. VIII, vs. 12, et lib. VII, ep. XVI, vs. 4.

4. *Peractæ*. Alii *paratæ*, ait editor Delph. quod non invenimus in nostris edd. Forte scribend. *peracta* notat Pulmannus. — *Brevis est labor.* Sensus est: Facile proclivem Suburram vinces, quæ non longe distat ab ædibus Plinii. — *Peractæ*. Hoc est superatæ Suburræ, lib. V, epigramm. XXII: « Alta Suburrani vincenda est semita clivi. » Raderus explicat: Labor hic ut adeas Plinium facilis est, posteaquam, o Thalia, es absoluta et perfecta, atque adeo parata ut exeas.

6. *Illic Orphea*. Statuam Orphei intellige collocatam in cacumine theatri, perfusam nempe odoratis illis aspersionibus, de quibus lib. Spect. epigr. III.

Mirantesque feras, avemque regis,
Raptum quæ Phryga pertulit Tonanti.
Illic parva tui domus Pedonis
Cælata est aquilæ minore penna.
Sed ne tempore non tuo disertam
Pulses ebria januam, videto.
Totos dat tetricæ dies Minervæ,
Dum centum studet auribus virorum,
Hoc, quod sæcula posterique possint
Arpinis quoque comparare chartis.
Seras tutior ibis ad lucernas :
Hæc hora est tua, quum furit Lyæus,
Quum regnat rosa, quum madent capilli;
Tunc me vel rigidi legant Catones.

8. *Avemque regis*. Videtur, ait Gronovius, scripsisse Martialis *avemque, regi Raptum*, etc. — *Mirantes.* Lyra canentem Orpheum. Horat. od. II, XIII, 33. « Quid mirum, ubi illis carminibus stupens Demittit atras bellna centiceps Aures? » — *Avemque.* Aquilam quæ rapuit Ganymedem, Trojani seu Phrygii regis filium. Vid. lib. V, ep. LV. — *Regis.* Deorum nempe et orbis universi.

10. *Pedonis.* Poetæ, de quo lib. V, epigr. V. Alium tamen caussidicum fuisse constat ex Juven. sat. VII; qnem forte intelligit. Malim tamen ad poetam referre, qunm dicat *tui*, boc est, qui te colit, in cujus scilicet domus fastigio cælata erat aquila minor qnam illa quæ Ganymedem rapuit.

12. *Tempore non tuo*. Tempus legendis snis versibus conveniens definit; vid. supr. lib. IV, epigr. VIII.

14. *Tetricæ.* Vacat rebus forensibus, a quibus joci absunt.

15. *Vacat* codd. Pulm. et Beverl. —*Centum auribus*. De centum virorum judiciis lib. VII, epigr. LXIII.

17. *Arpinis quoque*, etc. M. Tullii Cic. Arpinatis, quem sibi imitandnm proposnisse Plinius confitetur.

19. *Quum*, pro quo *dum* edd. vett. et Delpb.

20. *Quum regnat rosa*. Rosis coronati et unguentis delibuti, genio indulgebant Veteres; hinc Horatii notissima bæc carmina : « Huic vina et unguenta et nimium breves Flores amœnæ ferre jube rosæ » ; « Coronatus nitentes Malobathro Syrio capillos » ; « Tibi Non ante verso lene merum cado Cnm flore, Mæcenas, rosarum, et Pressa tnis balanns capillis, etc. » Item Juv. sat. IX, 128 : « Dum serta, unguenta, puellas Poscimus. » Ante bos Anacreon: Ἐμοὶ μέλει μύροισι Καταβρέχειν ὑπήνην · Ἐμοὶ μέλει ῥόδοισι Καταστέφειν καρήνην. Et sic centies. Ed.

21. *Tunc me vel*, etc. Nainque hac hora, vel rigidi Catones deposita gravitate calent mero.

XX.

AD MANIUM.*

Ducit ad auriferas quod me Salo Celtiber oras,
 Pendula quod patriæ visere tecta libet;
Tu mihi simplicibus, Mani, dilectus ab annis,
 Et prætextata cultus amicitia,
Tu facis, in terris quo non est alter Iberis
 Dulcior, et vero dignus amore magis.
Tecum ego vel sicci Gætula mapalia Pœni,

Ὄττι Σάλων με καλεῖ πρὸς χρυσοῦ μητέρα γαίην,
 Τῆς τε πάτρης ποθέω κτίσμα κάταντες ὁρᾷν,
Αἴτιος εἶ σὺ ἐμῷ πεδόθεν κεχαρισμένε θυμῷ,
 Μάνιε, φιληθείς τ' ἐξέτι παιδὸς ἐμοί·
Οὔτινος ἐν δήμοις οὐ φίλτερος ἄλλος Ἴβηρσιν,
 Ἄξιος οὔτ' ἀτρεκοῦς μᾶλλον ἔρωτος ἐμοί.
Σὺν σοὶ ἐγὼ τλαίην Λιβύων καλύβαισι μετεῖναι,

* Paulatim de patria cogitat Poeta, quod Trajano parum gratus esset, ob adulationes, credo, Domitiani: vel quia, ut Dio scribit, bonarum artium esset prorsus ignarus. Hic tamen Poeta, se in gratiam Manii reversurum ait. *Raderus.*

1. *Ducit ad auriferas.* Hoc est. Tu, o Mani, in causa es, cur redire velim in Hispaniam aurifodinis celebrem, epigr. XVI supra; et revisere Salonem fluvium, et Bilbilim.

2. *Pendula*, etc. Bilbilim in edito loco et præcipiti sitam. Adi lib. I, epigr. L: « Videbis altam, Liciniane, Bilbilim. »

3. *Causa es mansuetus* cod. Pulmanni, qui ait, se ibi libenter esse lecturum *Mani notus*, si vocativus esset Græcus: aut *Mani amatus*, eo quod clarior videatur sententia.— *Simplicibus annis.* Simplices anni primæ ætatis. Ergo sensus est: O quem a teneris colui et veneror! Cf. Persii insignis locus, sat. v, vs. 30. sqq.

4. *Et prætextata.* Notatur *Et pueris inita*, in marg. ed. Paris. 1617. —*Prætextata.* Prætexta vestis erat, qua potissimum pueri ad annum usque septemdecimum utebantur.

5. *Terris Iberis.* Intellige eam regionem quæ est ad Iberum Hispaniæ fluvium satis notum.

7. *Gætula mapalia.* Gætulia Africæ

Et poteram Scythicas hospes amare casas.
Si tibi mens eadem, si nostri mutua cura est,
In quocumque loco Roma duobus erit.

Καὶ σκηνὰς Σκυθέων μοῦνος ἐπελθέμεναι.
Εἴ μοι ταὐτὰ φρονεῖς σὺ, καὶ ἀντιφιλῶν ἐμὲ κυρεῖς,
Ἔςαι δὴ Ῥώμη πᾶς τόπος ἀμφοτέροις.

provincia est. — *Pæni sicci.* Pœni dicti sunt etiam Carthaginienses : hic autem sumuntur pro ipsa Africa sicca et arida. Sensus est : Tecum, o Mani, vel in Africa, vel in Scythia inhospitali lubens habitarem.

8. *In quocumque*, etc. *Voltaire*, in eximio dram. *Mahomet*, Act. I, scen. II.

La patrie est aux lieux où l'âme est enchaînée.

XXI.

AD SEXTUM.*

Scribere te, quæ vix intelligat ipse Modestus,
Et vix Claranus, quid rogo, Sexte, juvat?
Non lectore tuis opus est, sed Apolline, libris;
Judice te major Cinna Marone fuit.
Sic tua laudentur : sane mea carmina, Sexte,
Grammaticis placeant, et sine Grammaticis.

* Sextum, aut, ut alii scribunt Crispum, obscuritatem affectantem irridet, quod sane vitium multi hodie in laude ponunt, qui κακόζηλοι et antiquarii videri volunt.

1. *Modestus.* Grammaticus nempe, cujus meminit Suetonius de illustribus grammaticis cap. 20. Item A. Gellius et Macrobius. Clarani vero mentionem facit Seneca epist. 66, et Ausonius epist. 18 ad Ursul.

2. *Calanus* cod. Pulmanni.

3. *Apolline.* Cujus est explicare res obscuras. Unde Virgilius Ecloga III : « Dic quibus in terris, et eris mihi magnus Apollo, Tres pateat cæli spatium non amplius ulnas. »

4. *Cinna.* Poeta egregius quidem, sed cujus obscura sane erant poemata. Virg. Ecloga IX : « Nam neque adhuc Varo videor, nec dicere Cinna Digna. »

5. *Sic tua laudentur.* Nimirum propter obscuritatem.

6. *Grammaticis.* « Non possum improbare, quod in MSS. bonæ notæ inveni, *ut sine.* I. e. ita placere illis velim, ut et sine illis placere et intelligi possint. » *Gronov.* — *Et sine grammaticis.* Hoc est, Lector non indigeat interpretibus ad intelligenda mea epigrammata.

XXII.

IN PHILÆNIM.*

Cur spleniato sæpe prodeam mento,
Albave pictus sana labra cerussa,
Philæni, quæris? Basiare te nolo.

* *In Philænem* Paris. 1617. *In Philenem* Colin. Junt. Ald. et *Phileni* vs. 3.

1. *Spleniato.* Splenia erant emplastra, de quibus vide lib. II, ep. XXIX. Unde dicitur *spleniatus.* De Philæni dictum lib. II, epigramm. XXXIII, et lib. IX, epigr. LXIII.

2. *Pictus labra.* Hellenismus est. — *Cerussa.* Lib. I, epigr. LXXIII: « Cerussata sibi placet Lycoris. »

3. *Basiare te nolo.* Quia et calva, et rufa, et lusca erat: lib. II, ep. XXXIII, et lib. VII, epigr. LXVII; non autem cum labris, loricæ loco, armatis cerussa et spleniis.

XXIII.

DE M. ANTONIO.

Jam numerat placido felix Antonius ævo
Quindecies actas Primus Olympiadas;
Præteritosque dies, et tutos respicit annos,

Ἡσύχου εὐδαίμων βιοτῆς Ἀντώνιος ἤδη
Πέντ' ἐπὶ τοῖς δέκ' ἐτῶν ἤνυσ' Ὀλυμπιάδας·
Ἦματ' ὄπισθε δέδορκε παροιχομένων ἐνιαυτῶν

1. *Antonius Primus.* De hoc eodem dictum lib. IX, epigr. CI, ubi patriam et studia ejus intelliges: hic jam agit de ætate et felicitate Antonii. Quem autem hic *Primum*, supra *Marcum* appellavit.

2. *Actas primus* Ald. Junt. Colin. « at *Primus*, non *primus.* Est enim *Primus* cognomen Antonii. » *Gronov.* *Quindecies actas.* De Olympiadibus dictum est lib. VII, epigr. XL, et lib. IV, epigr. XLV; quas pro quinquennio aliquando poetæ, historici vero pro quadriennio semper sumere soliti sunt.

3. *Tutos.* Alii *totos*, ait Schrevel.

Nec metuit Lethes jam propioris aquas.
Nulla recordanti lux est ingrata, gravisque;
Nulla subit, cujus non meminisse velit.
Ampliat ætatis spatium sibi vir bonus: hoc est
Vivere bis, vita posse priore frui.

Πάντα, καὶ οὐ Λήθης δείδιε γεῖτον ὕδωρ.
Οὐδὲν πεμπάζοντι οἱ ἦμαρ ἔπεισιν ἀηδὲς,
Οὐκ ἔσθ' οὗ τινος οὐ μνήσεται ἀσπασίως.
Χρηστὸς ἀνὴρ βιοτῆς ἐκτείνει μέτρα· τόδ' ἐστὶ
Δὶς ζώειν, ζωῆς τῆς πρὶν ἐπαυρέμεναι.

sic et Delph. *Tutus* codex Beverlandi.

4. *Nec metuit Lethes.* Hoc est, nec timet mortem imminentem, epigr. II supra.

5. *Gravisve* Beverl. cod.

6. *Fuit* pro *subit* edd. vett. et Delph. et Farnab. *Subit* cod. Pulmann. « Melius, ait Gronovius; quod etiam præfert Gruterus. » Nos recepimus.

8. *Vita posse priore frui.* Hoc est, voluptatem percipere ex vita probe acta.

XXIV.

AD KALEND. MARTIAS.*

Natales mihi Martiæ Kalendæ
(Lux formosior omnibus Kalendis,
Qua mittunt mihi munus et puellæ),
Quinquagesima liba, septimamque

* *Calen.* Ald. Junt. Colin. *Calend.* Farnab. Maitt. *Kalendas* Barbou. *Calendas* Delph.

— In celebrando suo natali, annos præteritos numerat 57 et futuros optat 18.

1. *Martiæ kalendæ.* In quibus et ab ipsis puellis mittuntur mihi ob diei natalis reditum munera. Vid. lib. IX, epigr. XCI, vs. 15, et lib. V, epigr. LXXXIV, vs. 11. Natalis item celebrari solebat missis muneribus. Lib. VIII, epigr. LXIV, et lib. X, epigr. LXXXVII.

3. *Qua mittunt.* Munera mittebantur ad eum qui natalem diem celebraret.

4. *Quinquagesima liba*, etc. Hoc

Vestris addimus hanc focis acerram.
His vos (si tamen expedit roganti)
Annos addite bis precor novenos,
Ut nondum nimia piger senecta,
Sed vitæ tribus areis peractis
Lucos Elysiæ petam puellæ.
Post hunc Nestora, nec diem rogabo.

est : Jam quinquagies septies sacrificiis celebro natales Kalendas : quæ autem hujusmodi sacrificiis adhiberentur explicuit, lib. IX, epigr. jam cit. ubi de placentis, seu libis et thure diximus. *Acerra* vas est, quo thus crematur.

5. *Hanc. Hos* MS. Pulmanni, qui conjicit *huc*. — *Vestris focis*. Id est, vestris aris.

7. *Addite bis*. Sic habet Pulman. cod. » Alii leg. *ter*. Rectius *bis*. Anni enim 27 additi nimis et ultra votum Poetæ extenderent senectam : essent enim anni 84 et sic senectus decrepita; quod proximo versiculo « Ut nondum nimia piger senecta » deprecari videtur. *Farnab. Schrevel.* — *Bis precor novenos*. Octodecim annos addite quinquaginta septem, et erunt 75.

9. *Aureis* edd. vett. Cum his vetus codex citatus Pulmanno. *Aureis* explodit Scriverius et tuetur Flosculus. Nos cum Adr. Turnebo lib. XXX, cap. 3, legimus *tribus areis;* et tria vitæ spatia intelligimus, pueritiam nempe, juventutem, et senectam. — Quidam volent forsan hic esse aream vitæ 25 annos, quia nempe illud est fere humanæ vitæ quod vocant spatium medium (*durée moyenne*). Et sic tres hominum ætates viderat Nestor; nam vixisse illum annis CCC absurdum nimis foret. Et hunc sensum nos, si non primi indicamus, certe probamus et amplectimur. Cæterum judicet lector. Ed. — Quod si cum Pulmanno, Flosculo et edd. vett. *aureis* legas pro *areis*, intelliges quoque de septuaginta quinque annis peractis : aureus enim Romæ æstimabatur viginti quinque denariis; tres vero aurei efficiunt 75 denarios, numerum scilicet annorum quos optat Poeta. Ita Raderus et Farnabius. Sed id minus elegans.

10. *Elysiæ puellæ*. Proserpinæ; id est, moriar.

11. *Post hæc tempora* Palat. codex et edd. vett. et Farnab. Delph. et *Barbou*. « Pro *Nestora* cod. Beverl. habet *nec horam*, alii quidam *nec horas*. Unde Gruterus elegantissime et verissime, *Post hunc Nestora*, quod miror Scriverio spretum. Significat, Post hoc ævi Nestorei spatium. Sic Juv. sat. XII, 128 : *Vivat Pacuvius vel Nestora totum*. Martialis lib. XI, epigr. XII *qui Mentora frangis;* id est, Mentoreum toreuma. Post istas tres areas, tria quasi secula Nestorea, nec diem, inquit, rogabo. Eodem pertinet, quod est infra epigr. XLVIII *immodico sexta Nerone calet;* pro thermis Neronianis. » *Gronovius*.

XXV.

DE MUCIO.*

In matutina nuper spectatus arena
Mucius, imposuit qui sua membra focis,
Si patiens fortisque tibi durusque videtur,
Abderitanæ pectora plebis habes.
Nam quum dicatur tunica præsente molesta,
Ure manum : plus est dicere, Non facio.

Μούτιος, ὃν περ ἴδες παρὰ πρωϊνὸν ἄρτι θέημα,
Ὅςις τὴν ἰδίην ἔμβαλε χεῖρα πυρὶ,
Εἴ σοι καρτερόφρων δοκεῖ ἔμμεναι, ἠ μεγάθυμος,
Τῶν Ἀβδηριτῶν ταῖς φρεσὶν ἶσα φρονεῖς.
Εἰ γάρ τις, βασάνοιο παρόντος, τὴν χέρα, φαίη,
Καῖε· τὸ μὴ ποιεῖν ἐςὶ περισσότερον.

* *De Mucio.* Scriverius legit, *De rei supplicio sub persona Mucii Scævolæ.* — Lib. I, epigr. xxii, et lib. VIII, epigr. xxx, descripsit spectaculum Scævolæ in arena datum: hoc loco, quod ibi laudavit, elevat; fortioremque fuisse affirmat, si imperanti dixisset, *Non facio:* tum enim non manus, sed totum corpus fuisset ustulatum et concrematum. *Rader.*

1. *In matutina.* Duplex uno die exhibebatur spectaculum : mane cum bestiis pugnabant gladiatores, post meridiem vero ii qui superfuerant inter se dimicabant. Suetonius in Claudio cap. 34. De his fuse Lipsius lib. II, Saturn. c. 15.

4. *Abderitanæ.* Hoc est, stolidus es. Abdera urbs Thraciæ, cujus incolæ cæli vitio, ad insaniam propensi sunt : illic autem natus Democritus, de quo Juven. Sat. x, vs. 48 : « cujus prudentia monstrat, Summos posse viros, et magna exempla daturos, Vervecum in patria crassoque sub aere nasci. »

5. *Molestam* cod. Pulm. *Tunicam* videtur legisse Calderinus. — *Tunica ...molesta.* Eam locutionem et usurpavit Juven. VIII, 234, in hoc versiculo : « Ausi quod liceat tunica punire molesta »; et in his, I, 155, explicuit : « Tæda lucebis in illa Qua stantes ardent qui fixo gutture fumant. » Ed. — Erat ergo pice, resina, cæterisque flammarum limentis imbuta hæc tunica; quam induere coactus fuisset, si manum comburere jussus noluisset.

XXVI.

DE MORTE VARI.*

VARE, Parætonias Latia modo vite per urbes
Nobilis, et centum dux memorande viris;
At nunc Ausonio frustra promisse Quirino,
Hospita Lagæi litoris umbra jaces.
Spargere non licuit frigentia fletibus ora,
Pinguia nec mæstis addere thura rogis.
Sed datur æterno victurum carmine nomen.
Numquid et hoc, fallax Nile, negare potes?

* *De Varo* edd. vett. et Delph. — Deflet mortem Vari centurionis in Ægypto defuncti.

1. Alii *Parethon.* et *Parœthon.* Ante, vulgo legebatur *Latias modo rite*, inepte. *Schrevel.* Sed *Latias m. vite* ed. Paris. 1617; *Latio m. vecte* cod. Beverl. Nostra lect. est in cod. Pulmanni. — *Parætonias.* Parætonium et Pelusium duo cornua Ægypti vocat Florus, ut refert Ortelius. Parætonium dicitur hodie secundum aliquos *Porto-Rassa*, secundum alios *Berton.* Ovid. Met. lib. IX, 771. « Isi, Parætonium, Mareoticaque arva, Pharonque. » — *Latia vite.* Quæ erat insigne Centurionum, qua nempe castigabantur milites. Tacitus Annal. lib. I, XXIII, et Lucanus lib. VI.

2. *Et centum.* Ex Livio et Polybio constat sexaginta tantum militibus præfuisse centurionem; sed sane Poeta rationem habet legionis a Romulo institutæ, quæ tribus hominum millibus constabat, et distributa erat in triginta manipulos, quibusque præerant triginta centuriones.

3. Alii legunt *promissa*, at minus bene. *Schrevel.* Id dant edd. vett. cum Delph.—*Ausonio Quirino.* Romulus dictus est Quirinus (vide Livium lib. I, 13), et sumitur hic pro populo Romano, ad quem rediturum se promiserat Varus.

4. *Lagæi.* Hoc est, Ægyptii, a Lago patre Ptolemæi cui nomen additum Soteris sive Magni. Cujus posteri hac in regione annos 255 (scil. ab ann. 284 ad 29 ante Chr. natum) imperaverunt. ED.

5. *Fulgentia* cod. Beverl.

7. *Munus* cod. Pulmanni. « Non male Britan. codex *munus.* » *Schrevel.* « Codex Junii habuit *munus*: recte. » *Herald.* — *Sed datur æterno.* Vide lib. VI, epigr. LXXXV. Hoc est: Saltem licebit versibus non perituris Vari nomen celebrare, nec Ægyptus quæ Varo reditum negavit, poterit hoc mihi negare: Ægyptii vero fallaces habiti sunt, pro quibus sumitur Nilus.

XXVII.

AD DIODORUM.*

NATALI, Diodore, tuo conviva senatus
Accubat, et rarus non adhibetur eques;
Et tua tricenos largitur sportula nummos;
Nemo tamen natum te, Diodore, putat.

* Diodorum aut obscurum aut spurium dicit; qui tamen arte sua ad magnas opes venerat, gratus quondam Vespasiano. *Rader.*

1. *Natali.* Quem conviviis celebrabat.

3. *Et tua tricenos.* Triginta pro uno; nam alias decem tantom nummi sestertii dabantur pro sportula; qui singuli valebant decem quadrantes, unde sportula erat centum quadrantum, epigramm. LXX, infra. De sportula jam dictum lib. III, epigr. XXX.

4. *Nemo tamen.* Hoc est, Omnes tamen te terræ filium, seu ignobilem, et obscurissimo genere ita natum sciunt, quasi natus non esses, et te natalitiis muneribus indignum existimant.

XXVIII.

AD JANUM.*

ANNORUM, nitidique sator pulcherrime mundi,
Publica quem primum vota precesque vocant,

Αἰῶνος, κόσμου τε διαυγέος ἀρχιγένεθλε,
Δημοσίαις εὐχαῖς πρῶτος ἀειδόμενε·

* Laudat Janum et forum Transitorium Nervæ; Jani enim templum quatuor portarum in Transitorio foro fuisse Servius ostendit, et Jani olim *Transitiones* dictæ, quod passim transeuntibus paterent. *Rader.*

1. *Annorum.* Vidend. supra, lib. VIII, epigr. II, cujus ad initium, huic satis consonum: « Fastorum genitor, parensque Janus », etc.

2. *Vocant.* Sic cod. Polm. *Canunt* edd. vett.—*Publica quem.* Lib. VIII, epigr. VIII. « Te primum pia thura

Pervius exiguos habitabas ante Penates,
  Plurima qua medium Roma terebat iter.
Nunc tua Cæsareis cinguntur limina donis;
  Et fora tot numeras, Jane, quot ora geris.
At tu; sancte pater, tanto pro munere gratus,
  Ferrea perpetua claustra tuere sera.

Πρόσθε μὲν οὐτιδανὸν μέταρον περίτρητον ἔναιες,
  Ηι Ῥώμη μεσάτην ἔτριβε λαοφόρον·
Νῦν δ' ἔργοισιν ἄνακτος ἐπιστρέφεται σέο ναὸς
  Ἰᾶνε, τόσαις τ' ἀγοραῖς, ὅσσα πρόσωπα φέρεις.
Ἀλλ' εὐεργεσίης σὺ τοσαύτης οὐκ ἀχάριστος,
  Χάλκει' ἀϊδίοις ἴσχε θύρετρα μοχλοῖς.

rogent, » etc. Sic Ov. Fast. I, 119: « Me penes est unum vasti custodia mundi: Et jus vertendi cardinis omne meum est. » Lege Macrobium lib. I, Saturn. cap. 9.

3. *Pervius*. Quia, ut jam supra notavimus collegisse Raderum ex Servio, Jani templum quatuor portas habebat in foro Transitorio, et Jani olim transitiones dictæ sunt, quod passim transeuntibus paterent. Vide Marlianum lib. IV, cap. 8. Cicero lib. II, de Natura Deorum ait: « Quumque in omnibus rebus vim haberent maximam prima et extrema, principem in sacrificando Janum esse voluerunt, quod ab eundo nomen est ductum: ex quo transitiones perviæ Jani, foresque in liminibus profanarum ædium Januæ nominantur. »

4. *Tenebat* codex Beverl. minus bene. —*Plurima*, etc. Hoc est, quo loco multitudo Romanorum viam mediam terebat; namque in Urbis frequentissima et media parte olim templum Jani.

5. *Nunc tua Cæsareis*. Nempe donis Domitiani et Nervæ: templum enim inchoavit Domitianus, quod Nerva absolvit.

6. *Et fora tot numeras*, etc. Nempe, quatuor, vetus Romanum, Julium, Augustum, Transitorium. De frontibus Jani diximus lib. VIII, epigr. II, sup. citat.

7. *Sancte pater*. Quidam intelligunt *Jupiter*; male, ut patet. Nam hic nihil de Jove; et aliunde additum illud nomen sæpissime a poetis omnibus diis, qui ante Jovem nati et celebrati. Sic Saturnus, etc.

8. *Ferrea perpetua*. Hoc est, nobis concilia pacem æternam. Jani enim templum tempore belli apertum, pacis tempore clausum fuit. — *Ferrea* autem ἐπίθετον est solenne ad Jani templum. Ennius: « Postquam discordia tetra Belli ferratos postes, portasque refregit. »

XXIX.

AD SEXTILIANUM.

Quam mihi mittebas Saturni tempore lancem,
Misisti dominæ, Sextiliane, tuæ;
Et quam donabas dictis a Marte Kalendis,
De nostra prasina est synthesis empta toga.
Jam constare tibi gratis cœpere puellæ;
Muneribus futuis, Sextiliane, meis.

1. *Saturni*, etc. De Saturnalibus lib. IV, epigr. XLVI, vs. 1, et lib. V, epigr. LXXXIV, vs. 11.

3. *Dictis a Marte Kalendis.* Qui Veneris natalis, quo munera mittebantur feminis ab amatoribus, lib. V, epigr. LXXXIV, vs. 9, et lib. IX, epigr. XCI, vs. 15. Qui idem mihi natalis, quo mihi mitti solent munera, epigr. XXIV, supra.

4. *Synthesis empta.* Tuæ puellæ (hanc enim dominam supra vocat) emisti synthesin, vestem nempe cœnatoriam, lib. II, epigr. XLVI.

5. *Constare tibi gratis.* Quia muneribus, quæ ad me mittenda essent, illas tibi concilias. Cicero, VII in Verrem, « Navis tibi constat gratis », hoc est, navem comparasti gratis.

XXX.

DE APOLLINARIS LITTORE FORMIANO.*

O temperatæ dulce Formiæ litus!

* *Apollinaris* non dant edd. vett. — Laudat Apollinaris prætorium Formianum, illudque tam graphice describit, ut nec Formiæ sint tam formosæ et amœnæ, quam hoc epigramma. Quod ut capias facilius, ipsas Formias adumbrabimus, ex melioris notæ scriptoribus. Formiæ Latii oppidum, prius Hormiæ dictum, a Laconibus conditum, nomen a commoditate portus (ὅρμου), ut auctor est Strabo, accepit. Fuit ad viam Appiam, loco Molæ propinquo, si verus Leander in descriptione Latii. Læstrygonum sedem fuisse Cic. lib. II, ad Attic. epist. 13, et Solinus affirmant; ubi olim Antiphates rex Læstrygonum imperitavit. *Rader.*

1. *Dulce Formiæ litus.* Hoc est, quæ estis litus amœnum: de Formiis vero, vide quæ modo in nota

Vos, quum severi fugit oppidum Martis,
Et inquietas fessus exuit curas,
Apollinaris omnibus locis præfert.
Non ille sanctæ dulce Tibur uxoris,
Nec Tusculanos, Algidosve secessus,
Præneste nec sic, Antiumve miratur.
Non blanda Circe, Dardanisve Caieta
Desiderantur, nec Marica, nec Liris,
Nec in Lucrina lota Salmacis vena.
Hic summa leni stringitur Thetis vento;

prima nos e Radero. Hic jucunda fuit villa Apollinaris, de quo lib. IV, epigr. LXXXVI, et lib. VII, epigr. XXVI.

2. *Oppidum Martis.* Romam intellige, conditam a Romulo, Martis filio. — Notandum vero *oppidum Martis* de Roma dictum, quum *oppida* parvæ tantum urbes nominentur.

5. *Non ille*, etc. Temperato cælo et amœnitati Formiarum non præfert Tibur, pudicæ suæ uxoris solum natale, seu villam, non Tusculum, non Algidos recessus, nec Præneste, nec Anxur. — *Sanctæ uxoris.* Pudicæ. Dicamne uxorem Tiburtinam, an agrum habuisse Tiburtinum, an utrumque? Uxoris, credo, villa Tibure fuit. *Rader.*

6. *Nec Tusculanos.* Tusculanus ager, unus ex Latii amœnissimis et pulcherrimis.

7. *Autumique* cod. Beverl. — *Præneste.* Latii oppidum, in prospectu Urbis; ut et Tusculum et Tibur. — *Antium.* Oppid. etiam Latii, centum octoginta octo stadiis ab Urbe. Nobilis fuit oraculo Fortunæ, de quo Horat. lib. I, od. XXXV. « O diva, gratum quæ regis Antium. »

8. *Non blanda Circe.* Promontorium amœnum, lib. VIII, epigr. XXXVI. — *Dardanisve Caieta.* Quia a Trojanis, qui Dardanidæ dicti sunt, condita: hodie *Gaeta.* Virgil. Æneid. VII, vs. 1 et 2: « Tu quoque litoribus nostris, Æneia nutrix, Æternam moriens famam, Caieta, dedisti. »

9. *Nec Marica.* Quæ Lirim, alii Lyrim, amnem Campaniæ incolebat, et regi Fauno nupsit, eique Latinum peperit. Virgil. Æn. VII, 47: « Hunc [Latinum] Fauno, et Nympha genitum Laurente Marica Accipimus. » Ad illius amnis ripas lucum Maricæ sacrum fuisse testatur, lib. XIII, epigr. LXXXIII.

10. *Nec in Lucrina*, etc. Nec lacum Lucrinum in Campania, cujus aqua, ut et Baiarum, æque delicata et mollis, ac Salmacis in Caria, cujus fons effeminare viros dicitur a poetis. Ovid. Metam. IV, 286; Auson. ep. LXVIII, et XCII, Anthol. lib. I, cap. 17.

11. *Hic summa.* Hactenus Formianum contulit cum aliis locorum amœnitatibus, prætulitque cunctis: nunc ipsum locum describit. — *Thetis.* Æquor.

Nec languet æquor : viva sed quies Ponti
Pictam phaselon adjuvante fert aura;
Sicut puellæ non amantis æstatem
Mota salubre purpura venit frigus.
Nec seta longo quærit in mari prædam,
Sed a cubili lectuloque jactatam
Spectatus alte lineam trahit piscis.
Si quando Nereus sentit Æoli regnum,
Ridet procellas tuta de suo mensa :
Piscina rhombum pascit, et lupos vernas;
Natat ad magistrum delicata muræna;
Nomenculator mugilem citat notum,
Et adesse jussi prodeunt senes mulli.

12. *Nec languet æquor*, etc. Nec quamvis placidum et γαληνιῶν, tamen stagnat, sed leui aura portat naviculas.

13. *Phaselon pictam*. Gyraldus, doctore Nonio, phaselum ait navigium esse Campanum. Snnt qui putent sic dici a leguminis specie. Snnt qui a Phaseli urbe deduci opinentur. Virg. G. IV, 289. « Et circum pictis vehitur sua rura phaselis. »

15. *Multa* pro *Muta* Beverl. cod. edd. vett. Sunt qui legant *Multa*, sed inepte. *Schrevel*. — *Mota*. Hoc est, æque grata est Formiani litoris aura, ac illa quam puellæ excitant mota veste purpurea, vel flabello.

16. *Suetam* Bev. cod.—*Nec seta*. Lineam piscatoriam interpretare.

18. *Spectatus*, etc. Per aquam pellucidam. — *Alte*. Alte sublatus lineam curvabat pondere, quo magnitudo piscis ostenditur. — *Spectatus alte*. Hoc est in profnndo, quia aqua maris illic pellucida.

19. *Si quando Nereus*. Deus maris, Nympharum pater, et pro ipso mari sumitur. *Æolus* rex ventorum : hoc est, si mare tempestatibus horrescit.

20. *Ridens... sua* edd. vett. sine puncto post *mensa*; et *rides* cod. Pulm. — *Ridet procellas*. Quia in piscina servantur pisces.

21. *Piscina*. Piscinas passim habebant in villis suis suburbanis.

22. *Natat ad*, etc. Sic lib. IV, epigr. XXX, vs. 6.

23. *Nomendatori* exhibet codex Beverlandi. Pessime. — *Nomenculator*, etc. Is ei titulus qui pisces nominatim citet evocetque : non secus ac nomenclatores solebant in foro et campo Martio citare reos convivasque, et suggerere nomina civium dominis suis in ambitu et petitione magistratus salutandorum. Quod autem *Nomenculator* pro *nomenclator*, ne mireris; sic scripserunt Antiqui, Suet. Cl. 34, etc. ut et *tempulum*, pro templum, — *Mugil*, seu capito, Græce γόμφος, nobis *mulet* nominatur. Ed.

24. *Senes mulli*. In piscinis con-

Frui sed istis quando Roma permittit?
Quot Formianos imputat dies annus
Negotiosis rebus urbis hærenti?
O janitores, villicique felices!
Dominis parantur ista; serviunt vobis.

senescentes; tales enim animi potius, qûam mensæ gratia alebant.

25. *Permittis* edd. vett. cum Delph. Farnab. et *Barbou* : nec id ineptum censet Schrevel. —*Permittit?* Per tot curas urbanas.

26. *Quot*. Pro hoc *quin* habet cod. Beverl. — *Formianos*. « Farnabius sic explicat : Quot dies, quos jncundissime agere liceret Formiis, possunt imputari quasi perditi urbanis curis? Non est hic sensus Martialis. Dicit enim : Qnam paucos dies Formiis, vel nt apnd Formias, degendos concedit annns? » — *Imputare nobis* a Seneca, Suetonio et hnjus sæculi auctoribns dicitur, quod quisquam beneficii nobis tribuit et concessit, quasi expensum ferre, nostris rationibus adscribere (Gallice, *mettre en ligne de compte*), et inde venditare. Juv. sat. V, 14 : « Frnctus amicitiæ magnæ cibus; imputat hnnc rex », ut Noster lib. XII, XLVIII, 13: « Imputet ipse deus nectar mihi »; boc est, pro beneficio eximio et raro censeri vult, et hoc uno omnia solvi quæ pro illo laboranda suscipis, v. g. officiosas cnrsitatioues, etc. Item pro beneficio vindicet. Sic *annus imputat nobis dies jucundos*, quos, tempore anni ita ferente et concedente, jucunde egimus. — *Imputat annus*. Clarius dixisset *per annum dii imputant*, vel *fata imputant*. Sed audacius finxit sibi annum deum quodammodo esse, et dies nobis ipsum imputare. *Gronov*.

28. *O Janitores*. Hac pro scriptura *Vinitores* edd. vett. et Delph. sed nulla hic mentio vineæ. *Janitores* autem (quod in cod. manuscripto Beverlandi) etiam in villis et prætoriis fuisse, nulla dubitatio est; nt servi atrienses. *Gruterus*. At Gronovius : « Si sane omnes in hoc (*janitores*) MSS. conspirant, vicerit. Alioqui non facile spernerem, quod antehac edebatur, *vinitores*. Nam quod ait Gruterus, se nescire quid hic faciat *vinitores*, ubi nulla mentio vinearum, nnlla vindemiæ; possum idem dicere adversus alterum : nulla hic mentio januæ. Sed aiunt, *janitores* in villis et prætoriis fuisse, nnlla dubitatio est. Nec minus credibile Formiaunm non fuisse sine vinea. Horatius od. I, XX, 10 : « mea nec Falernæ Temperant vites; neque Formiani Pocula colles. » Et alibi od. III, XVI, 34 : « Nec Læstrygonia Bacchus in amphora Languescit mihi. » Læstrygonnm vero olim fuisse et Formias et Formianum agrum quis ignorat? »

29. *Dominis parantur ista*, etc. Domini raro, furtim et per otium, civicis quasi emissi vinculis, has voluptates carpunt : vos, o villici, semper, libere et ad satietatem iis fruimini.

XXXI.

IN CALLIODORUM.*

ADDIXTI servum nummis here mille trecentis,
Ut bene cœnares, Calliodore, semel :
Nec bene cœnasti; mullus tibi quatuor emptus
Librarum cœnæ pompa caputque fuit.
Exclamare libet, Non est hic, improbe, non est
Piscis : homo est : hominem, Calliodore, voras.

* In gulosum et helluonem hoc scriptum, cujusmodi tunc plurimi Romæ, et notat in hoc Calliodoro luxum et gulam Romanorum.

1. *Addisti* editt. vett. κακόγραφοι· *Abdisti* Vaticanus; *Addixti* cod. Pulmanni; — *Ducentis* in edd. vett. — *Addixti*. Addicere verbum est solenne in judiciis, hoc est, adjudicare pluris licitanti: significat etiam simpliciter vendere, ut hic.

3. *Non* pro *nec* in codice Pulm.

4. *Cœnæ pompa*. Cœna dividebatur in tres partes, in antecœnam, ut aiunt interpretes, cœnæ caput, et secundas mensas : pompa vero et caput cœnæ idem est.

6. *Cenas* Vat. *Comes* cod. Pulm. Et quidam MS. ut videtur, ap. Beverl. qui sic habet: «*Comes* M.» — *Hominem voras*. Hoc est, servum quem vendidisti, ut emeres mullum.

XXXII.

DE IMAGINE M. ANTONII, AD CÆDITIANUM.*

HÆC mihi quæ colitur violis pictura, rosisque,
Quos referat vultus, Cæditiane, rogas?

* *Marci* edd. Schrevel. Maitt. Farnab. *M. Antonii Primi* ed. *Barbou*. Editor Delph. dum reliquum titulum italice, *Primi* romanice inscriptum exhibet (ut significet abesse id MS. sed perperam abesse). *Ad C.* omittunt Ald. Junt. Colin. *Ad Cæcilianum* post *Antonii* habet ed. Par. 1617, quæ hanc scripturam amplectitur quoque in vs. 2; ita ut in illo vs. etiam Ald. Junt. Colin. sed MS. Pulm. *Cæcidiane*. — Nobilitavit hoc epigrammate Antonium illum Primum Tolosanum; et corporis effigiem, et animi virtutes expressit.

Talis erat Marcus mediis Antonius annis
Primus : in hoc juvenem se videt ore senex.
Ars utinam mores, animumque effingere posset!
Pulchrior in terris nulla tabella foret.

3. *Antonius annis Primus : in hoc*, etc. Ita distinguendum monuit Gronovius; non *A. annis : Primus in hoc*, ut in edd. vett. — *Talis erat M. Antonius Primus.* De quo epigr. XXIII sup. et lib. IX, epigr. C.

4. *Primus.* Cognomen M. Antonii, qui omnino alienus fuit a familia Antoniorum Romanorum. Ed.

5. *Ars utinam.* Virtus enim, si pingi posset, vehementissimos sui amores excitaret.

XXXIII.

AD MUNATIUM GALLUM.*

Simplicior priscis, Munati Galle, Sabinis,
Cecropium superas qui bonitate senem;
Sic tibi consoceri claros retinere Penates
Perpetua natæ det face casta Venus;
Ut tu, si viridi tinctos ærugine versus

* *Numat.* ed. Par. 1617. *Numac.* Ald. Junt. Colin. Quas rationes servant ad initium epigrammatis.

— Ut suorum carminum patronum invocat Paullum lib. VII, ep. LXXII, 7, sic rogat hic Munatium, vel ut alii legunt Numacium, ut infames versus, suo nomine vulgatos, suos esse neget. *Rader.*

1. *Priscis Sabinis.* Qui morum simplicitate, et animi candore excelluerunt.

2. *Cecropium senem.* Alii Socratem, qui Aquinati Satirico dictus « senex vicinus Hymetto, » alii Epicurum intelligunt.

3. *Cum soceri* edd. vett. et Farnabii. Nostras sustinet partes codex Pulmann. — *Consoceri.* Ita explicat Raderus : Sic tibi det casta Venus perpetua face natæ, consoceri claros Penates retinere : hoc est, Venus tibi connubium natæ tuæ, cum consoceri filio initum, in ædibus generi et soceri æternum firmet, uti concordes gener, et nurus, consocerique simul vivatis. Consocer est quorum alter filium alterius filiæ in matrimonium dedit. Judicet lector.

4. *Perpetua natæ.* Nempe tuæ uxoris : hoc est, tuum matrimonium non solvatur, at semper vivas cum tua uxore in ædibus tui soceri.

5. *Tinctos ærugine.* Quæ rubigo

Forte malus livor dixerit esse meos,
Ut facis, a nobis abigas : nec scribere quemquam
Talia contendas carmina, qui legitur.
Hunc servare modum nostri novere libelli,
Parcere personis, dicere de vitiis.

est : sed hic sumitur pro maledicentia, quam atrum venenum dixit lib. VII, epigr. LXXII, et Horatius I, IV, 100 « nigræ succum loliginis. » Vide etiam VII, epigr. XII.

6. *Lector dixeris* exhibet codex Beverlandi.

7. *Stringere* codd. Pulmann. et Beverl. Consulend. Heins. ad Ov. Pont. II, VII, 33.

8. *Qui legitur.* Cui fama favet et lector, hoc est, qui legitur.

10. *Parcere personis.* Nominet tamen sæpe, non veris idcirco nominibus; et istis quidem abstinere se jam dixit, epistola libri I.

XXXIV.

AD CÆSAREM TRAJANUM.*

Di tibi dent quidquid, princeps Trajane, mereris,
Et rata perpetuo, quæ tribuere, velint;
Qui sua restituis spoliato jura patrono;
Libertis exsul non erit ille suis.
Dignus es, ut possis totum servare clientem;

**Cæsarem* omittunt editiones vett. et Delph. Nostram lectionem exhibent edd. Schrevel. Farnab. et *Maittaire;* et sic deinceps *Barbou* et alii. — Jus patronorum ab imp. Trajano Romanis redditum, laudat Martialis.

2. *Et rata perpetuo.... velint.* Et ratum velint Dii, quod tibi contulere, imperium.

3. *Qui sua jura.* Quæ præcipue consistunt in operis et successione libertorum : Domitianus vero patronos hoc jure spoliaverat.

4. *Exsul non erit ille suis.* Jure suo spoliatus tanquam proscriptus et exsul. Proscribebantur vero patroni, quum illis jus patronatus eriperetur, ut ex libertorum bonis semissem ne acciperent : ita improprie vocat hic exsulem. De clientibus et patronis hic non ago; alia enim sunt jura patronorum in clientes, alia in libertos : non omnis cliens libertus, omnis tamen libertus cliens. *Rader.*

5. *Tortum.* Jos. Scaliger in Moretum ad vs. 32. — *Totum clientem.* Hoc est, civem Romanum integræ suæ dignitati restituere, quem nun-

Ut liceat tantum, vera probare potes.

cupat clientem ipsius Imperatoris.

6. *Tantum.* Punctum nesciunt Ald. Juni. Colin. post *tantum*. *Ut liceat, tantum vera* Paris. 1617. *Et (liceat tantum vera probare) potes* ed. *Barbou*, et sic Scriverius. Testatur Farnabius legi apud alios, *Ut liceat tantum : vera probare potes.* — *Ut liceat.* Hoc est, Potes quidem servare, dummodo possit probare se esse patronum. Lectionis autem quam prætulit Farnab. hic est sensus : Modo detur occasio, potes probare vera esse quæ dixi.

XXXV.

DE SULPICIA.*

Omnes Sulpiciam legant puellæ,
Uni quæ cupiunt viro placere.
Omnes Sulpiciam legant mariti,
Uni qui cupiunt placere nuptæ.
Non hæc Colchidos asserit furorem,
Diri prandia nec refert Thyestæ;
Scyllam, Byblida nec fuisse credit :
Sed castos docet, et pios amores,
Lusus, delicias, facetiasque.
Cujus carmina qui bene æstimarit,

*Poetriam laudat Sulpiciam, quæ Martiali æqualis, scripsit poemata de amore conjugis sui, et temporibus Domitiani, aliaque nonnulla. Exstat ejus una Satira quæ ad calcem Juvenalis vulgo editur. Est infra ad Calenum ejusdem mentio. *Rader.* — Congessimus testimonia de Sulpicia, illiusque Satiram inseruimus, Tom. II, pag. 135 sqq. edit. nostræ Poetar. Lat. Minor. ubi vide. Ed.

— *Sulpitiæ* quoque Apollinaris meminit Sidonius carm. 9.

1, 3. *Legunt* cod. Vat.

5. *Non hæc Colchidos.* Medeæ amores et scelera intelligit, quæ vera esse sane negabat Sulpicia. Vide lib. V, epigr. LIII, ubi de prandio Thyestæ egimus : vide etiam epigr. IV supra, ubi et de Scylla.

7. *Byblida.* Quæ fratris sui Cauni amore arsit, et tandem in fontem conversa fuit. Sulpicia vero non credit exstitisse talia monstra, quia ipsa pudica est.

8. *Probos* pro *pios* cod. Beverl.

10. *Cujus carmina.* Post hunc versum (rectius, post vs. 11) alii addunt istum, *Nullam dixerit esse ne-*

Nullam dixerit esse nequiorem,
Nullam dixerit esse sanctiorem.
Tales Ægeriæ jocos fuisse
Udo crediderim Numæ sub antro.
Hac condiscipula, vel hac magistra
Esses doctior et pudica, Sappho.
Sed tecum pariter simulque visam
Durus Sulpiciam Phaon amaret.
Frustra : namque ea nec Tonantis uxor,
Nec Bacchi, nec Apollinis puella
Erepto sibi viveret Caleno.

quiorem; qnod recte additum censet Beverlandus, et consulendos vult Scaligerum in Ep. et Heraldnm in Apolog. Tertulliani. Etenim lusus et delicias conjngum scripserat Sulpicia, ex quibus nequior haberi poterat; at consideratis ejus moribus, castissima judicari debuit. — *Nequam* autem et *improbus* indicant semper fere lasciviam simul et acuminis quiddam. Sic et apud nos *méchant* et præsertim *malin*, quamvis mnlto minus significent.

13. *Ægeriæ*. Quæ fuit Numæ conjux, de qua lib. VI, ep. XLVII, a qua divinitus doceri se in antro Aricino fingebat Numa. Ov. Fast. lib. III, 275 : « Ægeria est quæ præbet aquas, Dea grata Camœnis : Illa Numæ conjux consiliumque fuit. »

14. *Credimus* MS. Beverl. qui vs. 15 *cum discipula*, et vs. 18 *Pean*.— *Udo autem*. Aricino, fontibus atque aquæductibus madenti, vide Juvenal. Sat. III, vs. 11.

15. *Hac condiscipula*, etc. Si Sulpicia usa fuisses magistra vel condiscipnla, o Sappho.

16. *Sappho*. Poetria celebris, de qua lib. VII, epigr. LXIX, quæ Phaonem perdite amavit, a quo fuit contempta; at, inquit Poeta, Sulpiciam arsisset.

18. *Durus*. Qui contempsit alias mulieres, ad amores durus.—Male; sed qui te, Sappho, sprevit, neque amore sno dignatus est. Ed.

19. *Frustra*. Heraldus post *frustra* punctum ponit, hoc sensu : Frustra eam amaret Phaon durus, et quem Sappho sibi conciliare non potuit. Frustra, inquam, quia Calenum virum suum, nec Jovis, nec Bacchi, nec Apollinis connubio aut societate commntare vellet. — *Namque*, etc. Neque enim Bacchi, Apollinis, ipsiusve Jovis thalamos præferret thalamo conjugis sui Caleni, ad qnem mox epigr. XXXVIII.

20. *Nec Bacchi*. Ariadne nempe. Daphne vero ab Apolline adamata. Horum omnium nota historia. — *Puella*, hoc est, domina, *amasia*. Et apponitur τῷ *uxor*, quod in proximo versicnlo.

21. *Caleno*. De quo vid. epigr. XXXVIII, infra.

XXXVI.

IN MUNNAM.*

Improba Massiliæ quidquid fumaria cogunt,
Accipit ætatem quisquis ab igne cadus,
A te, Munna, venit: miseris tu mittis amicis
Per freta, per longas toxica sæva vias;
Nec facili pretio, sed quo contenta Falerni
Testa sit, aut cellis Setia cara suis.
Non venias quare tam longo tempore Romam,
Hæc puto causa tibi est, ne tua vina bibas.

* *In Nunnam* codex Pulmanni; item *Nunna* vs. 3, ut ed. Junt. quæ tamen exhibet *In Munnam* in titulo.—Munnæ vinum Massiliense Romam missum vituperat. Massiliense vinum fumatum lib. XIII, cxxiii, exponitur.

1. *Colant* MS. Beverl. qui sic esse legend. monet. *Cogunt* improbat *de Rooy*, et impense vult *condunt*. — *Improba Massiliæ*. Fumaria loca erant, ubi fumo vina coquebantur. *Improba* dixit, quia corrumpebant vinum. Forsan *fallacia*. Vide lib. III, epigr. lxxxi. « Vel cocta fumis musta Massilianis. »

4. *Toxica sæva*. Hoc est, vina pessima: lib. I, epigr. xix.

6. *Tecta carina* MS. Beverlandi. *Toxica vina* MS. Pulmann. *Tox. texta*, ni nos male ducat scriptura, in marg. nostræ Junt. — *Setia cara*. Hoc est, vina Setina generosa; de quibus sæpius dictum. Vid. Juven. sat. x, vs. 27.

8. *Hæc est causa, puto* MS. Beverlandi. In marg. nostræ Junt. linea ducitur sub *ne tua*, et *fetid*, i. e. f. *fetida*, in marg. scribitur. — *Ne tua vina*. Hoc est: Ne vina tam aspera ad nos missa nobiscum bibere tu quoque cogaris.

XXXVII.

AD MATERNUM.*

Juris, et æquarum cultor sanctissime legum,

* Poeta patriam revisere cogitans, rogat Maternum jurisperitum, municipem suum, an aliquid velit mandati dare ad suos.

Veridico Latium qui regis ore forum,
Municipi, Materne, tuo, veterique sodali
Callaicum mandas si quid ad Oceanum;
An Laurentino turpes in littore ranas,
Et satius tenues ducere credis acos?
Ad sua captivum quam saxa remittere mullum,
Visus erit libris qui minor esse tribus?
Et fatuam summa cœnare pelorida mensa,
Quosque tegit levi cortice concha brevis?
Ostrea Baianis quam non liventia testis,
Quæ pueri domino non prohibente vorent?
Hic olidam clamosus ages in retia vulpem,

2. *Latium.* Hoc est, qui Romæ de jure respondes.

3. *Materne.* Cujus meminit lib. II, epigr. LXXIV, et lib. I, epigr. XCVII. — *Municipi*, etc. Mihi concivi tuo et συμπατριώτῃ meditanti patriam, et Bilbilim meam mox visuro (ut supra epigr. XX) si quid est quod mandatum velis, mandabis nuncio.

4. *Ecquid* MS. Beverl. ut et in vs. 20. — *Callaicum.* Hoc est, Hispanum. Vide epigr. XVI, supra. Hic oratio deficit, nec addit Poeta quod rediturus esset in suam et Materni patriam.

5. *An Laurentino.* Quod distat ab urbe Roma decem et septem millibus passuum. Plinius junior lib. II, epist. 17.

6. *Acus* MS. Pulmann. — *Acos.* Vilissimos pisces intellige.

7. *Ad sua*, etc. Quam in Hispania captos mullos, nisi trilibres, in mare rejicere. — *Sua saxa mullum.* Quibus vivunt, unde extrahuntur. Pisces vero saxatiles fluviatilibus meliores. Paulo ante epigramm. XXX, vs. 24, de magnitudine et pretio mulli dictum.

9. *Fatuum* MS. Palat. et ed. *Barbou.* — *Summa mensa.* Hoc est, lautissima, inquit Domitius, cui suffragatur Farnabius. An ultimam intelligit Poeta, an locum forte excelsum in mensa, ubi ponerentur pisces? — *Pelorida.* Vilissimum quoque piscem. Vid. lib. VI, epigramm. XI.

10. *Quosque tegit.* Inclusos conchis mitulos pisciculos intelligunt interpretes. Horatius lib. II, Sat. IV, 28: «Mitulus, et viles pellent obstantia conchæ.»

11. *Ostrea Baianis.* Hoc est, quæ non cedunt ostreis natis in lacu Lucrino prope Baias, quæ sunt optimi saporis.

12. *Quæ domino.* In Hispaniæ litoribus ostreorum optimorum magna est copia.

13. *Colchidicam* MS. Beverl. — *Hic olidam.* Dum enim a canibus urgetur vulpes, lotium emittit pessime olens, lib. IV, epigramm. IV, vs. 11: «Quod vulpis fuga,» etc.

Mordebitque tuos sordida præda canes.
Illic piscoso modo vix educta profundo
Impedient lepores humida lina meos.
Dum loquor, ecce redit sporta piscator inani;
Venator capta mele superbus adest.
Omnis ab urbano venit ad mare cœna macello;
Callaicum mandas si quid ad Oceanum.

16. *Lepores meos.* Quia sunt in meis agris.

17. *Dum loquor,* etc. Steriles amnes Italiæ dicit, et sine pingui fera sylvas. Piscator missus ad ducendos pisces, nihil extraxit. Venator quia *martem*, vel, ut alii legunt, *melem* cepit, putat se opimam prædam adeptum, quam superbus ostentat. — *Sporta.* Est canistrum vimineum.

18. *Capta matre* exhibent editio Par. 1617. et codex Beverl. *Capto Marte* Ald. Junt. Colin. *Capto marte* ed. Maitt. — *Mele* autem est gallice *blaireau, chat sauvage, fouine.*

19. *Venit mea* cod. Pulmann. — *Omnis ab urbano*, etc. Ad villas in Italia maritimas, pisces ex urbe feruntur ad mensas instruendas. Sic lib. III., epigr. XLVII, vs. 15, et epigr. LVII, vs. ult.

XXXVIII.

AD CALENUM.*

O molles tibi quindecim, Calene,
Quos cum Sulpicia tua jugales
Indulsit Deus et peregit annos;
O nox omnis et hora, quæ notata est
Caris litoris Indici lapillis!
O quæ prælia, quas utrimque pugnas
Felix lectulus, et lucerna vidit

* Felix conjugium Sulpiciæ et Caleni prædicat, et omnia ad Sulpiciæ refert gratiam.

1. *Molles.* Jucundos, felices, lætos. — *Calene.* De quo dictum supra epigr. XXXV.

5. *Caris litoris.* Hoc est, gemmis in mari Indico natis. Vide lib. VIII, epigr. XLV.

6. *Pugnas.* Τῆς κλινοπάλης. Quas colluctationes venereas Apuleius dicit.

7. *Lucerna vidit.* Sicut lib. XIII, epigr. XXIX.

Nimbis ebria Nicerotianis!
Vixisti tribus, o Calene, lustris.
Ætas hæc tibi tota computatur,
Et solos numeras dies mariti.
Ex illis tibi si diu rogatam
Lucem redderet Atropos vel unam,
Malles, quam Pyliam quater senectam.

8. *Nimbis ebria.* Hoc est, madens aspersionibus odoratis quas confecerat Niceros unguentarius : lib. VI, epigr. LV.

9. *Vixisti tribus lustris.* Veram egisti vitam solos hosce quindecim annos quibus fuisti uxoratus.

10. *Ætas hæc tota.* Tu existimas tria hæc lustra implevisse totam tuam ætatem.

13. *Atropos.* Una e Parcis, de qua vide supra, epigr. XLIV, vs. 6.

14. *Malles, quam,* etc. Unum ejusmodi diem tibi a fatis redditum præferres quatuor ætatibus Nestoreis, id est, quater nonaginta annis, vide lib. IX, epigr. XXX, vs. 1, ætas enim humana triginta annorum est communiter, ut jam l. l. notavimus.

XXXIX.

IN LESBIAM.*

CONSULE te Bruto quid juras, Lesbia, natam?
  Mentiris : nata es, Lesbia, rege Numa.
Sic quoque mentiris : namque, ut tua sæcula narrant,
  Ficta Prometheo diceris esse luto.

* Lesbiam quæ se anum et annosam fatebatur, annosissimam dicit. Non jam puella ego, illa aiebat; nata sum Bruto consule. Immo, subjungit Noster, rege Numa. ED.

1. *Quod* MS. Beverl.

2. *Mentiris*, etc. Antiquior es omnibus Consulibus. — *Numa.* Qui fuit secundus Romanorum rex, et regnavit 207 annos ante institutum Romæ a Junio Bruto consulatum.

3. *Narrant.* Alii *narras* et *noris.* Schrevel. Hoc legit *Barbou;* illud exhibet cod. Beverl. et *narrent* MS. *Tua sæcula narrant.* Tua longævitas testatur. ED.

4. *Ficta Prometheo*, etc. Hoc est, Tam annosa et turpis es, ut videaris ficta fuisse ex luto Promethei, de quo lib. IX, epigr. XLVI. Huic simile est epigr. LXVII, infra, et lib. I, epigr. CI.

XL.

AD LUPUM DE POLLA.*

Semper quum mihi diceretur esse
Secreto mea Polla cum cinædo,
Irrupi, Lupe : non erat cinædus.

* *De Polla* nesciunt edd. Ald. Junt. Coliu. Nostram lectiouem tamen plurimi exhibent.

3. *Non erat cinædus.* Alius erat a cinædo. Quod autem fuerit hoc flagitium, videtur innuere paronomasia τοῦ *Irrupi.* Lib. II, epigramm. XLVII, vs. 3.

XLI.

IN PROCULEIAM.*

Mense novo Jani veterem, Proculeia, maritum
Deseris, atque jubes res sibi habere suas.
Quid, rogo, quid factum est? subiti quæ causa doloris?
Nil mihi respondes? dicam ego, Prætor erat.
Constatura fuit Megalensis purpura centum

* Avaritiæ caussa, avara Proculeia a viro divertit.

1. *Mense novo*, etc. Januario, et τὸ *novo mense* ἀντίθεται τῷ *veterem maritum.*

2. *Res sibi. Res* apud latiuos sæpe usurpatur pro fortunis et quidquid opum possidetur. Sic Gallice *biens.* In repudiis vero comprobata sunt hæc verba, «Tuas res tibi habeto»; item hæc, «Tuas res tibi agito,» Adeas licet legem II, ff. de Divortiis et Repudiis.

4. *Prætor erat.* Atque ita oruatus purpura, ludos Megalenses in honorem Cybeles suis impensis exhibere debuit : quum autem pauper esset, pecuuiam illi suppeditare coacta fuisset Proculeia. Megaleuses vero ludi sic dicti sunt a templo Megalesio Pessinuute in urbe Phrygiæ, uude Romam advecta fuit Dea : de quibus fuse agit Ov. Fast. lib. IV, 179, sqq. Lege Rosinum, lib. V Antiquitatum Romauarum, cap. 12. Alexander ab Alexaudro, Genialium dierum lib. VI, cap. 19, ait : Prætores et magistratus purpurati in toga et prætexta, atque in ornatu maximo celebraverunt,

Millibus, ut nimium munera parca dares;
Et populare sacrum bis millia dena tulisset.
Discidium non est hoc, Proculeia : lucrum est.

nempe ludos Megalenses; quare et purpura Megalensis in vulgi proverbium venit.

7. *Et populare sacrum.* Florales ludos intelligit Merula, in quibus missio fiebat in populum ab iis qui gratiam plebis quærerent. Persius Sat. V, 177: « Vigila, et cicer ingere large Rixanti populo, nostra ut Floralia possint Aprici meminisse senes. » Subjungit Merula Floralia edita fuisse ædilibus arbitris, et adducit, ut demonstret, Festi locum : « Popularia sacra, ut ait Labeo, quæ omnes cives faciunt, nec certis familiis attributa sunt. » Ergo, addit Raderus, *populare sacrum* est generatim dictum.

XLII.

AD DINDYMUM.*

TAM dubia est lanugo tibi, tam mollis, ut illam
Halitus, et soles, et levis aura terat.
Celantur simili ventura Cydonia lana,
Pollice virgineo quæ spoliata nitent.
Fortius impressi quoties tibi basia quinque,
Barbatus labris, Dindyme, fio tuis.

* *Didmum* cod. Beverland. Quod quam falsum vel ex hoc aspicias, quod nec Græci nec Latini nominis similitudinem habeat. Tali autem nomine olim signabantur molles et effeminati viri, et, ut Ausonii verbis loquar, « pulcher pæne puella puer ». Phrygium vero ab origine nomen crediderim, quod neque mollities Phrygibus defuerit, et illic mons Dindymus celebretur, unde Cybele Dindymene. ED.

1. *Tam dubia.* De hoc Dindymo vid. sup. l. V, ep. XLI, ubi *Didymum* scripsimus, et lib. eod. LXXXIII. ED.

2. *Halitus..... aura terat.* Pro, in eam vehementius et fortius agat.

3. *Celantur simili,* etc. Hoc est, id mollitiæ, id tenerrimæ levitatis inest lanæ, qua induuntur opera quæ e Cydone Romam advehuntur.

5. *Impensi* pro *impressi* exhibet id. cod. Beverlandi. — *Quinque* pro *pauca*; pariter nempe vel quatuor dixisset vel sex, si vel rhythmo aptum id fuisset, vel sic in mentem incidisset.

6. *Barbatus labris,* etc. Nempe quod barba fortius basiato tibi exsilit, et in labra mibi vel genas ita cadit, ut lanugine ego tua subito barbatus fiam.

XLIII.

AD PHILEROTEM.*

Septima jam, Phileros, tibi conditur uxor in agro.
Plus nulli, Phileros, quam tibi, reddit ager.

Ἑβδόμη, ὦ Φίλερως, κεῖταί σοι ἄκοιτις ἐν ἀγρῷ.
Μηδενὶ γοῦν, Φίλερως, εὐφόρος ὥς σοι ἀγρός.

* Veneficii accusat Philerotem cui jam conditæ septem uxores in agello.

1. *Septima*. A te nempe veneno sublata, ut intelligere videtur Poeta. Vide lib. IX, epigr. xvi. — *In agro*. Sepulcris consecrari agellum moris fuit, ut dictum lib. I, epigr. cxv et cxvii.

2. *Reddit ager*. Dotes nempe mortuarum uxorum, qui sunt amplissimi fructus.

XLIV.

AD Q. OVIDIUM.

Quinte Caledonios Ovidi visure Britannos,
Et viridem Tethyn, Oceanumque patrem;
Ergo Numæ colles, et Nomentana relinques

1. *Quinte*. Clarissimus vir et magni faciendus, de quo meminit jam Martialis lib. I, epigramm. cvi, et dein lib. VII, epigramm. xliv, qui Cæsonium a Nerone damnatum in exsilium comitatus, vitæ anteposuit amicitiam. Juxta Nomentum prædia habuit. Hic Martialis eum ait, amici causa profectum in Britanniam, et vovet illi reditum, quietamque tandem vitam. — *Caledonios Britannos*. Caledoniam, quæ pars fuit imperii, si pars fuit, remotissima; et vocatur hodiernis temporibus Scotia, *Écosse*. Vid. l. Spect. ep. vii.

2. *Et viridem Tethyn*. Quæ apud antiquos et poetas in primis sumebatur pro ipso mari (ut Jupiter pro aere splendido et sereno, ut Minerva pro aeris parte summa et splendidissima, ut Juno pro inferiore et crassiore. Ed.) Tethyos vero maritum Oceanum fluviorum fontiumque patrem fingunt poetæ. — *Viridem*. Nam cæruleus maris color, et fere viridis. Et sic vocat Horatius, Odarum lib. III, xxviii, 10; « Neptunum, et virides Nereidum comas. » Ed.

3. *Numæ colles*. Sabinorum re-

Otia? nec retinet rusque focusque senem?
Gaudia tu differs : at non et stamina differt
Atropos, atque omnis scribitur hora tibi.
Præstiteris caro (quis non hoc laudet?) amico,
Ut potior vita sit tibi sancta fides.
Sed reddare tuis tandem mansure Sabinis,
Teque tuas numeres inter amicitias.

gionem montanam, unde oriundus Numa, Curibus scilicet, et in qua prædium Ovidii Nomentanum. Cluver. Ital. lib. II, cap. 8. Alii exponunt Romam, a Numa secundo rege auctam. — *Nomentana otia.* Prædii tui Nomentani literatum otium. Nomentum vero Umbriæ oppidum, Albanorum colonia a Tarquinio expugnata.

5. *Gaudia.* Sed, ut dixit Poeta lib. I, epigr. XVI. « Gaudia non remanent, sed fugitiva volant. » Vid. quoque lib. IV, epigr. LIV, vs. 9: « Nil adicit penso Lachesis », etc.

6. *Atropos*, una e tribus Parcis et asperrima, quippe quæ stamen secaret; unde illius nomen *Atropos* Græcis (ἀ privativ. et τρέπειν, *vertere*) idem sonat ac *flecti*, *verti* ad preces *nescia*. Ed. — *Omnis scribitur.* Hoc est, diem, horam, minutulum temporis articulum tibi imputat, nec veniæ aliquid dabit. Ed.

7. *Amico*, Cæsonio, ut lib. VII, epigr. XLIII et XLIV, vel alteri, cujus nomen latet.

9. *Tuis Sabinis.* Popularibus tuis; quorum e regione tu oriundus.

10. *Teque tuas*, etc. Tibi carus sis, te quoque respicias : nam ut Terentius recte : *Proximus sum egomet mihi.* Et quidem virum probum et alios amantem, et se amare decet, etc. Arist. Magn. Mor. lib. II, cap. 13 et 14. *Qui sibi amicus est, hunc scito amicum omnibus esse*, Sen. epist. 6.

XLV.

IN DELICATUM LECTOREM.*

Si quid lene mei dicunt et dulce libelli,

* *Delitiatum* Colin. *Deliciatum* Junt. *De libellis suis* MS. Palmann. — Encomiastica, nuptialia, natalitia, amatoria et similia; quæ ut materia blanda et lenis, ita numeros quoque lenes, et blanda verba desiderant. Si tibi hæc velut minus acria displicent, abi hinc, et rodas ossa, bibas acetum, legas maledica, etc. Mihi placet, subinde etiam lenia et dulcia miscere amaris.

1. *Pene* cod. Beverl. — *Lene*....

Si quid honorificum pagina blanda sonat;
Hoc tu pingue putas, et costam rodere mavis,
Ilia Laurentis quum tibi demus apri.
Vaticana bibas, si delectaris aceto;
Non facit ad stomachum nostra lagena tuum.

dulce libelli. Amatorium, nuptiale, salutatorium, etc. Vid. not. præced.

2. *Honorificum*, etc. Encomiasticum.

3. *Hoc languere* cod. Pulmann. et *tostam* pro *costam*. — *Costam rodere.* Metaphora est, cujus est hic sensus : Carmen maledicum tibi potius placeret, quam tenerum et blandum.

5. *Vaticana.* Vina scilicet acerbi saporis : lib. I, epigr. XIX, vs. 2, et lib. VI, epigr. XCII.

6. *Nostra lagena.* Hoc est, nostri versus (lenes, dulces, amatorii, etc.) tibi non conveniunt.

XLVI.

IN MATHONEM.*

Omnia vis belle, Matho, dicere : dic aliquando
Et bene : dic neutrum : dic aliquando male.

* Mathonis caussidici studium dicendi videtur carpere, quod eo Matho referebat, non ut bene, sed ut belle diceret.

1. *Belle, Matho, dicere.* Placenter et ad voluptatem audientium, vel ex regulis rhetorices et grammatices et artis lenociniis. Erat Matho quod nos vocamus *un puriste*. Sic Persius sat. I, vs. 86.—*Matho.* De quo lib. IV, epigr. LXXX.

2. *Et bene.* Hoc est, ad rem propositam. — *Aliquando male.* Hoc est, Neglige interdum rhetoricæ præcepta, et nudam veritatem expone : vel, ut ait Farnabius : Interdum, vel potentissimo vitia exprobra, nec semper dicas omnia ad assentationem divitum. — Ita omnes fere, quos quidem legi, explicant. Malim tamen sic intelligi quasi Noster innuat, nil sibi gravius quam putida hæc bella verba affectantium et venantium elocutio; qui si quid, immo si multa eleganter et lepide efferant, ob id tamen minus placent, quia elegantiæ laudem aucupari videantur, et quidquid locuturi sunt diu meditentur. Ergo, ait Poeta, non optime omnia dic, sed bene, id satis est; immo et male. Et ad id faciunt, quæ supra toties iteravit paululum variata : « Sunt bona, sunt quædam mediocria, sunt mala multa, Quæ legis hic : aliter non fit, Avite, liber. » Et lib. VII, LXXXI, ad Lausum : « Triginta toto mala sunt epigrammata libro ; Si totidem bona sunt, Lause, liber bonus est. » Ed.

XLVII.

AD JULIUM MARTIALEM.*

VITAM quæ faciunt beatiorem,
Jucundissime Martialis, hæc sunt:
Res non parta labore, sed relicta;
Non ingratus ager; focus perennis;
Lis nunquam; toga rara; mens quieta;
Vires ingenuæ; salubre corpus;

Ζωὴν ὅσσα περ ὀλβιωτέραν δρᾷ,
Ταῦτ' ἔστιν, πανάριστε Μαρτιᾶλις·
Οὐ κτηθέντα πόνῳ, ἀτὰρ λιπέντα·
Πῦρ ἄσβεστον, ἀγρός τε οὐκ ἀηδής·
Νοῦς εὔφρων, ὀλίγαι δίκαι, ἄδηρι·
Ῥώμης τ' εὐγενὲς ἀρτεμές τε σῶμα·

* *Ad Julium Martialem Filium* cod. Beverland. In veteri quodam codice inscribitur *ad seipsum*. Sed utrumque minus apte est. Scribit enim hic et alibi poeta noster ad Jul. Martialem, sibi amicissimum. De quo egimus lib. IV, epigr. LXIV, et lib. VI, epigr. I.

— Hoc est illud πολυθρύλλητον epigramma, lippis, ut aiunt, et tonsoribus decantatum: quod pueri norunt, antequam discant; tenent antequam intelligant. Totum est ad beatæ vitæ tranquillitatem compositum. Conf. Horatium, Epod. lib. od. II, et Senec. de beata vita, cap. 23.

3. *Non parta labore.* Parce enim, duriter et anxie quæsita, anxie et plurimis cum curis tenentur.—*Relicta.* A patre seu majoribus. Πατρῷ' ἔχειν δεῖ τὸν καλῶς εὐδαίμονα. « *Paterna* rura bobus exercet *suis*. » — *Sed relicta.* Testamento nempe, aut alio modo.

4. *Non ingratus ager.* Qui semina reddit cum largo fœnore; qui spem non mentitur. Horat. Odar. l. III: « Et segetis certa fides meæ. » —*Focus perennis.* Metonymia est, et focum pro victu posuit, inquit Raderus.

5. *Lis.* Contentiones forenses intellige. Horat. Epod. II. « Forumque vitat, et superba.....etc. » — *Toga rara.* Hoc est, rara officia urbana: clientes enim togati comitabantur suos patronos. Et hinc lepidissime ipse, libri hujus epigr. LI, vs. 6: « O *tunicata* quies! »

6. *Vires ingenuæ.* Ex his, quæ

Prudens simplicitas; pares amici;
Convictus facilis; sine arte mensa;
Nox non ebria, sed soluta curis;
Non tristis torus, et tamen pudicus;
Somnus, qui faciat breves tenebras;
Quod sis, esse velis, nihilque malis;

Ῥήϊστος βίοτος, τράπεζ' ἄτεχνος·
Εὐήθης σύνεσις, φίλοι τε ἶσοι·
Νὺξ αἰεὶ ἀμέθυστος, ἠδ' ἄφροντις·
Εὐνὴ πάμπαν ἄλυπος, ἠδὲ σώφρων·
Ὕπνος νήδυμος, ἐν βραχεῖ γνόφῳ δέ·
Βούλεσθαι ὅπερ εἶς ἔμεν δοκεῖν τε·

omnia notant significare τὸ *ingenuum*, nihil ad hunc rhombum. *Nativum* dicunt simplex, incorruptum, præstans, elegans. Immo *ingenuæ vires* sunt temperatæ, non nimiæ, quæ decent hominem animo magis quam membris æstimandum. Sic supra: « Invalidum est nobis ingenuumque latus. » Et Ovidio, « Invalidæ vires ingenuæque mihi »; cui propterea indignum, « Ingenuum dura ponere corpus humo. » Sic Ammianus lib. XIX, « quum ire protinus pergeremus, et incedendi nimietate superares, ut insuetus ingenuus. » Eodem pertinet Nostri l. XII epigramm. IV; « Tu das ingenuæ jus mihi pigritiæ. » — *Salubre corpus.* Quo modo lib. I, od. XXXI, vs. 17, Horatius: « Frui paratis et *valido* mihi, Latoe, dones, etc. » Namque ut in vulgatissimo hoc Græci cujusdam senario: Οὐκ ἔσθ' ὑγείας κρεῖττον οὐδὲν ἐν βίῳ.

7. *Prudens simplicitas.* Optime congruit hoc ex Bibliis sacris Nov. Testam. « Estote prudentes sicut serpentes; simplices, sicut columbæ. » — *Pares amici.* Ne igitur finxeris tibi amicos vere fore optimates, divites, et qui te quoquomodo antecellunt, quod Romanis nuncupatum fuit *magni amici.* Impares enim genere et fortuna raro mutua se complectuntur amicitia.

8. *Convictus facilis.* Sic Horatius lib. I, od. XXXVIII, « Persicos odi, puer, apparatus », etc. et lib. III, od. XXIX: « Plerumque...... parvo sub lare pauperum Cœnæ, sine aulæis et ostro, etc. » Ed.

9. *Solutus curis.* « O quid solutis est beatius curis! » Catull.

10. *Attamen* edd. vett. Nos defendit codex Pulmanni. — *Torus.* Tori socia, uxor.

11. *Somnus*, etc. Somnus facilis, suavis, quietus.

12. *Quod sis, esse velis.* Contentus sis omnimodo tua sorte, conditione, fortuna, veletudine. — *Nihilque malis.* Nec præ te alios judices beatos. Δεῖ γὰρ τὸ παρὸν εὖ ποιεῖν. Id vero difficillimum et ra-

Summum nec metuas diem, nec optes.

Ἦμαρ τοὔσχατον οὐ ποθεῖν δίειν τε.

rissimum. Vid. Hor. lib. I, sat. 1, vs. 1, 2 et 3: «Qui fit, Mæcenas, ut nemo quam sibi sortem, Seu ratio dederit, seu fors objecerit, illa Contentus vivat?» et quæ sequuntur.

13. *Summum*, etc. Mortis non cupido, non fuga. Senecæ Epist. 24, 70, 78, de Beata Vita cap. 5, etc.

XLVIII.

PARAT POETA CONVIVIUM.*

Nuntiat octavam Phariæ sua turba juvencæ,
Et pilata redit, jamque subitque cohors.

* *Poeta* nesciunt in lemmate edd. vett. Delph. et Maitt.

— Inscriptio continet argumentum, ut alias jam vidimus.

1. *Natura* pro *sua turba* cod. Bev. — *Nuntiat*, etc. Isidis sacerdotes reversi ab indagatione filii amissi (quam quotidie repræsentabant) indicant testanturque esse horam octavam, id est, secundam a meridie. — *Nuntiat octavam.* De horis Vett. dictum lib. IV, epigr. VIII. — *Phariæ juvencæ.* Isidi, quæ Romæ colebatur sacris ex Ægypto petitis. De illa agitur lib. II, epigr. XIV: «Assidet et cathedris, mæsta juvenca, tuis.» Mæsta nempe propter amissum Osirim maritum, quem diu quæsivit: hanc vero indagationem quotidie repræsentabant ejus sacerdotes, ut modo dictum, et hora absolvebant a meridie secunda.

2. *Atque pil.* edd. *Barbou* et Farnabii. Nostram lect. defendit Flosculus, alteram Heraldus. *Redit jamque*, s. ed. Maitt. Punctum admittunt nec post *redit*, nec post *jamque* edd. Ald. Junt. Colin. — *Et pilata redit.* Locus mire vexatus, quem sic interpretor. *Pilatam cohortem* accipio cohortem prætorianorum militum pilis armatorum, quæ ad Palatium illo die excubias egerat. Suetonius, Othonis cap. 6: «Tulerat animus post adoptionem statim castra occupare, cœnantemque in Palatio Galbam aggredi: sed obstitit respectus cohortis, quæ tunc excubabat, ne oneraretur invidia, quod ejusdem statione et Caius fuerat occisus, et desertus Nero.» Illa igitur *pilata cohors jamque rediit*, nempe in castra prætoriana, *et subiit*, nempe altera, illius vices excipiens. Non quidem confirmare possum circa octavam dici horam, ut illis computabatur, fuisse stationes mutatas: satis tamen verosimile est, quum vel occupatissimis nona esset hora cœnæ, et tum dies operosus pro exacto haberetur. «Et pilata cohors jam et rediit et subiit,» ut appareat hoc sensu nec in repetitis par-

Temperat hæc thermas, nimios prior hora vapores
Halat, et immodico sexta Nerone calet.
Stella, Nepos, Cani, Cerealis, Flacce, venitis?
Septem sigma capit, sex sumus, adde Lupum.
Exoneraturas ventrem mihi villica malvas
Attulit, et varias, quas habet hortus, opes.
In quibus est lactuca sedens, et sectile porrum;
Nec deest ructatrix mentha, nec herba salax.

ticulis copulativis aliquid duri hærere. *Gronov*. At Raderus: « *Redit*, etc. Ad templum deæ Isidis in campo Martio. Tum et observandum, Isidi bis in die laudes ab Isiacis dictas. Prima nempe hora, qua sacerdotes Isidis templum aperiebant (idque *Apertio* vocabatur) et Deum salutabant quod *Salutationem* et *Excitationem* appellabant. Post, totum diem stipem emendicabant. Inde ad octavam redibant, et Deam componebant, et templum claudebant. Has geminas Isidis laudes Tibul. intelligit, quum ita l. I, III, 32, canit: « Bisque, die resoluta comas, tibi dicere laudes Insignis turba debeat in Pharia. » — *Jamque subitque*. Hoc est: Jam ingreditur templum Deæ Isidis in campo Martio. — Cæterum videtur unum *que* redundare: quare dubitat Raderus num scribendum sit, *statque subitque cohors*. Nam reversi illi sacerdotes stantes Deam adorabant: lib. XII, epigr. XXIX: « Inter adorantes quum stetit Hermogenes. » Videat lector.

3. *Nimio vapore* cod. Pulmann. — *Prior hora*, etc. Septima, id est, prima pomeridiana, octava prior. — *Temperat hæc*. Scilicet hora octava, qua lavabant antiqui.

4. *Et immodico*. Hoc est, immodice æstuantibus thermis Neronianis.

5. *Stella, Nepos*, etc. Amici convivæque Martialis.

6. *De Rooy* malit *addo Lupum*; vel *Septem, sigma, capis, sex sumus; adde L.* — *Sigma capit*. Lectus ad mensam accommodatus, qui referebat imaginem Græcorum Σ, quod olim formabatur ut Latinum C. Vide lib. XIV, epigr. LXXXVII. Brodæus mensam interpretatur, cui contra Lips. adstipulatur Savato ad Sidonium, lib. II, epigr. II, vs. 2; vide et Stuckium, Antiquitat. Conviv. lib. II, cap. 34, et Rosinum, lib. V, cap. 28.

7. *Exoneraturas*, etc. Lib. III, epigr. LXXXVIII. — *Malvas*. Simplex sane et rusticantis poetæ convivium. Haud absimilis Flaccus: « me pascunt olivæ, Me cichorea levesque malvæ. Ed. — Malvas jam supra molles dixit lib. III, epig. LXXXIX. De lactucis et porris dictum lib. III, epigr. XLVII.

9. *Recens* pro *sedens* MS. Beverl. *Tonsile* pro *sectile* codd. Thuan. et Pulmanni. Cæterum consule Var. not. — *Sedens*. Sessilis. Lib. III, epigr. XLVII; de lactuca Athenæus lib. II, cap. 27.

10. *Destupratrix* Vaticanus pro *Deest ructatrix*. Codicem antiquum

Secta coronabunt rutatos ova lacertos,
Et madidum thynni de sale sumen erit.
Gustus in his; una ponetur cœnula mensa,
Hædus, inhumani raptus ab ore lupi.
Et, quæ non egeant ferro structoris, ofellæ,

habere *stupratrix* notat Calderinus. Pulmannus sic scribit : « *Et destupratrix m.* Sed vetusti cod. mei manifesta scriptura est, *Et destupr. m. sed*, etc. » *Menta* Ald. Junt. Colin. — *Ructatrix mentha.* Quæ ructus ciet. — *Herba salax.* Eruca, qua salaci appellata, ut et bulbis interdicit Ovid. Rem. Amor. 799.

11. *Ructatos* MS. Beverlandi. — *Secta ova lacertos.* Lib. V, epigr. LXXVIII, vs. 5. *Lacertus.* Lacertus enim reptilis genus vocatus ita, quod brachia babeat. Genera lacertorum plura, ut botrax, salamandra, saura, stellio. Est et lacertus piscis. —*Rutatos.* Hoc est, ruta berba conditos lacertos : lib. VII, epigr. LXXVIII. « Quum saxetani ponatur cauda lacerti. »

12. *Tenui* Vat. — *Et madidum.* Hoc est, ut ait Farnabius : Papillæ suis primiparæ sumen salso thynni liquore imbutum : l. XIII, ep. LVI.

13. *Gustus in his.* Locus impeditus olim et qui multiplici scripturæ varietate Criticos et eos optimos detiunit. In edd. primis legebatur *Parvus onyx.* Mox in cod. antehac irreperto (cod. Pulmann.), *Parvus in his;* quod Calderino satius visum et multos edd. libros obtinuit, quorum in præcipuis edit. *Maittaire.* Tum in Gruteri Palatino lectum *Gastus*, unde Scriverius optimo sensu atque huic loco aptissimo conjecit *Gustus*; quasi dicat: Priora illa dabuntur in promulside et gustu : sequitur caput cœnæ, hædus, ofellæ, etc. Vide quæ ad lib. V, epigr. LXXVIII, vs. 3. Cæterum edit. Schrev. illi et nobis ut proxima, ita non omnino consentanea ; nam habet *Gustus in his : una*, etc. Quod nescio an consilio. ED. — *Una cœnula mensa.* Hoc est, hædus apponetur, qui totus una mensa comedetur.

14. *Inhumani*, etc. Quem lupo raptori obnoxium nos nostrum faciemus, experturi teneriorem : rationem vide apud Plut. l. I, Symp. Quæst. 9, Cf. et Tibull. eleg. I.

15. *Egeat* et *ofella* cod. Pulm. —*Structoris.* Hic *structorem* appellat Martialis, quem *cibicidam* Veteres. Notum enim antiquis fuisse servos, qui obsonium scinderent ; quin et magistros, qui obsonii carpendi artem docerent ac profiterentur. Juvenal. Sat. XI, 136, *structorem* etiam nostrum *cibicidam* appellat, quemadmodum et Martialis, ut quoque Satir. V, 120. « Structorem interea (ne qua indignatio desit) Saltantem spectes, et chironomonta volanti Cultello », etc. Cognoscis ex hoc loco, certis gestibus solitos structores illos obsonia scindere. *Herald.* — Immo et ad cytharistriæ aut tibicinis sonos numerum servantes. ED. — *Ofellæ.* Carnes sunt aut partes carnium assatæ vel elixæ, dein conditæ, concisæ, atque instar globi accumulatæ : sic non opus est ut illas scin-

Et faba fabrorum, prototomique rudes.
Pullus ad hæc, cœnisque tribus jam perna superstes
Addetur : saturis mitia poma dabo.
De Nomentana vinum sine fæce lagena,
Quæ bis Frontino consule plena fuit.
Accedent sine felle joci, nec mane timenda
Libertas, et nil, quod tacuisse velis.
De Prasino conviva meus, Venetoque loquatur;
Nec facient quemquam pocula nostra reum.

dat is structor seu cibicida, qui ordinat et componit fercula.

16. *Et faba fabrorum.* Quibusdam herbis condita faba dicebatur fabrilis.—*Prototomi.* Hoc est, primi caules qui succiduntur. Vide lib. XIV, epigr. CI.

17. *Cœna* pro *perna* MS. Beverl. — *Perna superstes.* Quæ nempe jam tribus cœnis inserviit.

18. *Saturis.* Hoc est, secundis mensis apponam poma.

19. *De Nomentana*, etc. Nomentanum vinum, quo recentius, hoc deterius; quo vetustius, hoc generosius. Vid. ad lib. I, epig. CVI, vs. 1.

20. *Prima* pro *plena* edd. antiquæ. — *Frontino.* Hic loci procul dubio innuitur summæ claritudinis vir Sext. Jul. Frontinus qui, plebeia stirpe oriundus, ingenio tamen et tum rei militaris scientia, tum administrandæ reipublicæ peritia, prætor, consul, augur, mox Siluras, Britanniæ populum, domuit (ann. U. C. 827, Chr. N. 74). At hic requiram an bis ille consul. Certe ne semel quidem in Fastis nomen viri reperias. Veri tamen simillimum, subrogatum eum esse anno eodem 74, quum e Britannia, Agricolæ tradita, Romam reversus esset. At quo pacto iterum, me fugit. ED.— *Plena.* Qua sane reconditum Frontino iterum cos. vinum. Plenæ autem id temporis, senectute aliquid deraditur et vanescit.

21. *Nec mane*, etc. Libertas loquendi, cujus nos non pœniteat proximo mane, vel propter difficilem aliquem convivam, vel qui dicta foris eliminet, reumque poculorum faciat.

23. *Parrasino* cod. Beverlandi.— *De Prasino.* De factionibus aurigarum, et studiis Principis et Populi. Jam fusius supra dictum lib. VI, epigramm. XLVI. Periculosum quidem fuit iis non favere, quibus favebant Cæsares; periculosum vero maxime sub Nerone, Vitellio et Domitiano. Prasinæ autem et Venetæ maxime favebant. A colore ergo ita appellati sunt Veneti, Prasini, Rosei, Albi. *Prasini* enim habebant viridem cultum : Veneti, cæruleum. Et Palat. hic legit : « De Prasino scutoque meus conviva loquatur: » ut fortassis fuerit : « De Prasino Scorpoque meus conviva loquatur »; ac non tam factiones designet aurigarum, quam illos aurigas ipsi Imperatori caros. *Gruter.*

XLIX.

IN COTTAM.*

Quum potes amethystinos trientes,
Et nigro madeas Opimiano;
Propinas modo conditum Sabinum,
Et dicis mihi, Cotta, Vis in auro?
Quisquam plumbea vina vult in auro?

* Convivatorem sordidum sed liberalitatis gloriam aucupantem carpit, qui bibebat Falernum, et convivis in auro propinabat Sabinum, vinum deterrimum.

1. *Quum potes*, etc. Vide geminum huic lib. IV, epigr. LXXXV. — *Amethystino* legi vult Schrevel. et sic legit Calder. et Salmas. ad Solin. pag. 290. — *Amethystinos*. Scyphos gemmis ornatos, vel vitreos, et pellucidos instar amethysti. Suspicio quibusdam incidit designari hic per τὸ *amethystinos* vini colorem. Vix ferebam, nondum lectis quæ sequuntur; plane nego, qui nunc video in proximo versu *nigro Opimiano*. Ed. — *Trientes*. Triens erat tertia sextarii pars, et quatuor cyathos seu uncias continebat. Vid. lib. I, epigr. CVII, v. 8.

2. *Opimiano*. De vino Opimiano dictum lib. I, ep. XXVII. — *Nigro*. Id est fusco, purpureo; hoc jam ἐπίθετον sæpe vidimus Nostro in usu esse, ubi de Falerno cauit. Et hic forsan, quum neque illud clare indicet neque hoc vini genus, Falernum innuit quod ut Setinum et Albanum, revera Opimianum esse potest, atque « Capillato diffusum consule... Aut e calcata bellis socialibus uva. » Ed.

3. *Modo conditum Sabinum*. Quod tamen ante annum sextum non est potabile. Vid. ad epigr. præced. vs. 19 notatum.

5. *Plumbea*, etc. Pessima et vilissima, ut inter metalla plumbum, aureo poculo indigna. — *Plumbea vina*. Vilissima quidem intellige. Neque, ut quibusdam forte obvium videbitur, quæ plumbeis mixtionibus vitiata et adulterata sint. Ed.

L.

DE SCORPO.*

FRANGAT Idumæas tristis Victoria palmas;
  Plange, Favor, sæva pectora nuda manu.
Mutet Honor cultus, et iniquis munera flammis;
  Mitte coronatas, Gloria mœsta, comas.

Θραυέτω αἰνοπαθὴς Νίκη φοίνικας Ἰδούμης.
  Κοπτέσθω παλάμαις στερνοτύποισι Κρότος.
Στέμματα Κῦδος ἄμειψαι· ἐπίφλογα δ' ὕστατα δῶρα
  Πένθιμος εὐστεφέας Δόξα κόμας βαλέτω.

* Deplorat Poeta fatum Scorpi aurigatoris, populo principibusque gratissimi. De quo et mox aget epigramm. LIII.

1. *Frangat.* Respicit ad publicum luctum, quo *Consul init fractis mœrentem fascibus urbem*, Ovid. ad Liviam. Incitat ad luctus, numina quondam Scorpo nobilissimo aurigatori faventia, Victoriam, Favorem, Honorem, Gloriam.—*Palmas.* Signum victoriæ in certaminibus donabatur palma, quod depressa ea arbor non cedat, sed adversus pondus renitatur ac resurgat. Aristot. Probl. Plutarch. Sympos. Horat. lib. I, od. I: «Palmaque nobilis Terrarum dominos evehit ad deos»; et lib. IV, od. II, «quos Elæa domum reducit Palma victores.» — *Frangat Idumæas.* Idumæa regio ab occidua parte Jordanis, abundans palmis, quæ sunt insignia Victoriæ, quam Poeta hortatur, et illi consortia numina, semper Scorpo propitia, ut ejus mortem defleant.

2. *Reseca* codex Beverl. et vs. 3 *det iniquis*, et vs. 4 *Mutet honoratas*, et vs. 8 *Cui fuit.* — *Plange.* Qui solebas plaudere, plausum in planctum converte. — *Favor.* Favor hic proprie, ut et favere. De factionibus modo dicebamus. Inde favere et favor, in circo et theatris. *Herald.*

3. *Mutet Honor.* In luctu enim, ut hodie, vestem mutare solebant Veteres, et depositis quæ ad ornatum et εὐμενείας insignia pertinebant, atrati, sordidati, pullatique incedebant.—*Munera flammis.* Nam præter thus et cæteros odores, quæcumque poterant, conjiciebant in eorum rogum, quos honoratos volebant. Vestes quandoque injiciebant, et certe defunctorum vestes simul cremabant. Vid. Sueton. Jul. Cæs. cap. LXXXVI, et Dion. Cass. August.

4. *Mitte coronatas.* Quæ enim coronæ in conviviis aut ludis gaudium testabantur, eas in luctu protinus abjiciebant.

Heu facinus! prima fraudatus, Scorpe, juventa
Occidis, et nigros tam cito jungis equos.
Curribus illa tuis semper properata, brevisque,
Cur fuit et vitæ tam prope meta tuæ?

Φεῦ τοῦ ἄγους! τέθνηκας ἀτεμβόμενος νεότητος,
Σκόρπε, μέσης, ζεύξας ὡς ταχὺς ἅρμα μέλαν.
Τίπτε σὸς, ἣν τοσάκις περιδέδρομας ὠκέϊ δίφρῳ,
Αἶψα μινυνθάδιος νύσσαν ἔκαμψε βίος;

5. *Prima fraudatus*, etc. Anno ætatis 27, infra epigr. LIII.

6. *Et nigros*. Hoc est, Plutonis equos: Veteres enim existimabant eodem munere mortuos fungi apud manes, quod et obiissent viventes.

8. *Et vitæ tam prope*. In circo currus ducens, ut victoriæ sæpissime, cur et vitæ metam attingere properasti?

LI.

AD FAUSTINUM.*

Sidera jam Tyrius Phryxei respicit agni
Taurus, et alternum Castora fugit hiems.
Ridet ager, vestitur humus, vestitur et arbos;
Ismarium pellex Attica plorat Ityn.

*Faustinus in Campania amœnos quosdam locos et villas circa Tarracinam habebat. Martialis recte carpit amicum, quod verno tempore, rure suo nec otio fruatur; sed Romæ patiatur se honoribus et magistratibus implicari. *Raderus.*

1. *Sidera jam Tyrius*. Taurus vector Europes Tyriæ, lib. II, epigr. XIV præest mensi Aprili: respicit vero arietem mensi Martio præfectum, qui vexit Hellen et Phryxum, lib. IX, epigr. LXXII: «Quid meruit terror Nemees, quid proditor Helles, Ut niteant celsi lucida signa poli?»

2. *Figit* pro *fugit* cod. Pulmann. — *Et alternum Castora*. Geminos intellige qui Maio tribuuntur. Vide lib. V, epigr. XXXVIII, ubi de Castore et Polluce agitur alternatim viventibus.

4. *Ismarium pellex Attica*, etc. Philomela regis Atheniensium filia deflet Ityn Ismarium, id est Thracium, quem interfecit Procne Terei

Quos, Faustine, dies, qualem tibi Roma Ravennam
  Abstulit? o soles! o tunicata quies!
O nemus, o fontes, solidumque madentis arenæ
  Litus, et æquoreis splendidus Anxur aquis;
Et non unius spectator lectulus undæ,
  Qui videt hinc puppes fluminis, inde maris!
Sed nec Marcelli, Pompeianumque, nec illic
  Sunt triplices thermæ, nec fora juncta quater;

uxor : l. V, ep. xxvii. Dicitur *pellex*, quod illam Tereus Thraciæ rex stuprasset. Ov. Met. lib. VI, 433, sqq. — Ad hanc quoque fabulam respicit Horatius Od. lib. IV, dicens : « Nidum ponit Ityn flebiliter gemens Infelix avis et Cecropiæ domus Æternum opprobrium; » et ad hanc sexcenti alii : at optime et primus omnium Æschylus, apud quem Agamemnonis vicem et suam deflens Cassandra : « Οἷά τις ξουθὰ Ἀκόρετος βοᾶς φιλοίκτοις Ταλαίναις φρεσὶν Ἴτυν, Ἴτυν στένουσ' ἀμφιθαλῆ κακοῖς Ἀηδὼν βίον. Ed.

5. *Quales Ravennæ* codd. Beverl. et Bodleian. et sic cod. Pulmann. at exhibet *Ravenna*, nisi hoc margini ed. Paris. 1617 erranti forte sit tribuendum. — *Qualem tibi.* Veris amœnitate in Ravennati agro frui posses, nisi romanis curis esses impeditus.

6. *O tunicata quies.* In villa quippe tunica utebantur Romani, in Urbe toga, quod patronos colerent togati : epigr. xlvii supra : « Lis nunquam; toga rara; mens quieta. »

7. *Madentis arenæ.* Maris nempe fluctibus.

8. *Splendidus Anxur.* Nam « Impositum saxis late candentibus Anxur » (Horat. lib. I, sat. v, 26); ita ut late splendescat. Et Noster lib. V, epigr. i, 6 : « Sive salutiferis candidus Anxur aquis. »

9. *Et non unius.* Sensus est : Ex ipso lectulo, vel cubiculari, vel triclinari licet prospicere hinc mare, illinc flumen.

10. *Rates* pro *maris* MSS. Pulmann. et Beverl.

11. *Sed neque.* Sed objiciet quispiam fortasse, non esse hic, ut Romæ, theatra, balnea, templa. — *Marcelli.* Theatrum Marcelli filii Octaviæ sororis Augusti ab Augusto exstructum. — *Pompeianumque.* Theatrum Pompeii.

12. *Victa* pro *juncta* cod. posterior. — *Triplices thermæ.* Thermæ Agrippinæ, Titianæ, Neronianæ, lib. III, ep. xxxvi, et lib. II, ep. xlviii. De his fuse agit Lipsius in Admirandis lib. III, cap. 7. Radero videntur triplices cellæ in balneis a Poeta signari, caldariæ, tepidariæ, frigidariæ; quas uno et communi nomine thermas vocat : et triplices, propter trina labra et cellas in quibus natabant, lavabant, corpora adstringebant. Vide Plin. lib. V, epist. vi, 25. — *Fora.* Vetus Romanum, Julium, Augustum, Transitorium. Vid. supra pag. 500, ad epigr. xxviii, vs. 6. Ed.

Nec Capitolini summum penetrale Tonantis,
Quæque nitent cælo proxima templa suo.
Dicere te lassum quoties ego credo Quirino?
Quæ tua sunt, tibi habe ; quæ mea, redde mihi.

14. *Quæque nitent.* Hoc est, templa Flaviæ gentis : lib. IX, epigr. II et IV. — *Cælo proxima templa suo.** Simillimum id recentioris, et jam magni poetæ (*Casimir Delavigne*) de ædificiis Pergami, in carmine inscripto. *Les Troyennes*;

Et bâtis par les dieux, nos temples magnifiques
Touchaient de leurs voûtes antiques
Au séjour de leurs fondateurs. Ed.

15. *Quirino.* Conditorem Urbis pro ipsa urbe ponit : hoc est, O Roma, serva tibi tuos honores, et permitte, ut fruar meis villis.

LII.

DE SPADONE.*

Thelin viderat in toga spadonem,
Damnatam Numa dixit esse mœcham.

* Thelin carpit solitum pati muliebria, et feminam videri asseverat. — Qui feminam? aliquis roget : togatus incedit (toga autem viri induebantur, feminæ stola). — Feminam adulterii manifestam; iis enim, stola interdictum, et toga uti jussum fuit. Lib. II, XXXIX. Ed.

1. *Thelinus decrat in loco sp.* cod. Beverl. — *Thelyn* forsan rescribendum est, ut mollem hominem et effeminatum nomen arguat. Apud Græcos enim θῆλυς *femina* est. Ed.

2. *Damnatam mœcham.* Hoc est, matronam adulterii damnatam. Vid. supra, notam primam.

LIII.

EPITAPHIUM SCORPI.*

Ille ego sum Scorpus, clamosi gloria Circi,

Σκόρπος ἐγὼ, κῦδος πολυηχέος Ἱπποδρόμοιο,

* Hoc tetrastichon in edit. *Barbou* legitur post epigramma L, et *Ejusdem Epitaphium* habet titulum.

1. *Ille ego.* Vid. idem epigr. L.

Plausus, Roma, tui, deliciæque breves:
Invida quem Lachesis raptum trieteride nona,
Dum numerat palmas, credidit esse senem.

Σὸς κρότος, ὦ Ῥώμη, σεῖο τρύφημα βραχύ·
Βάσκανος ὃν τρὶς ἔτεσσιν ἐπ' ἐννέα πότμος ἀναιρῶν,
Τὰς νίκας ἀριθμῶν, ᾤετο γηραλέον.

— *Clamosi*. Solemne ἐπίθετον Circi apud Poetas. Cui enim favebant, eum clamoribus stimulare et hortari solebant.

2. *Plausus*, pro, cui plaudebant. Sic in hoc versu: « Tantus in Ausonia fremuit modo terror arena », *Terror* est pro *leo quem timebant omnes*.

3. *Laceris* MS. Beverl. — *Lachesis*. Secunda Parcarum, cujus nomen a λαγχάνω. Et pro *Atropos* hic ponitur, quæ stamen nostrum secat; ergo in Stygа nos rapit. — *Trieteride nona*. Hoc est, natum viginti et septem annis: trieteris enim triennium est; lib. VI, epigramm. XXXVIII.

4. *Dum numerat palmas*, etc. Propter victoriarum Circensium numerum posset Scorpus videri senex. Quippe alii senes ad summam ætatem provecti, tot palmas non rapuere, quot juvenis Scorpus: ita victoriis multis, paucos ævi annos compensavit.

LIV.

IN OLUM.*

Mensas, Ole, bonas ponis: sed ponis opertas.
Ridiculum est: possum sic ego habere bonas.

Ὦλε, τραπέζας θεὶς, ἀγαθὰς μὲν, ἔθης δὲ λαθούσας·
Τοῦτο γέλοιον, ἔγωγ' ὧδ' ἂν ἔχοιμ' ἀγαθάς.

* Olus laudabat cibos quos apponebat, sed ita tectos ut a convivis sumi nequirent, unde festive illum irridet Poeta: sic enim posse se lautum esse jocatur.

— Toiv *Olum* et *Ole* scripturam ego miror; equidem potius videretur *Aulum*, *Aule*. Sed membranæ non variant.

1. *Mensas*. Frequentissime hæc vox pro *epulæ*, *dapes*, Latinis sumitur.

2. *Possum sic ego*. Licet pauperrimus et vilia edens.

LV.

IN MARULLAM.

Arrectum quoties Marulla penem
Pensavit digitis, diuque mensa est;
Libras, scriptula, sextulasque dicit.
Idem post opus, et suas palæstras,
Loro quum similis jacet remisso,
Quanto sit levior Marulla dicit.
Non ergo est manus ista, sed statera.

3. *Scrupula* edd. vett. Nostram lect. dat MS. Pulmann. — *Sextulas*. Sextula est sexta pars unciæ. Facete Poeta stateram dicit libidinosæ Marullæ manum, quæ tam accurate tale quid pensaret, et metiretur, etc.

4. *Opus*, etc. Eadem voce idem significat Naso, Amor. lib. III: « Nunc *opus* exposcunt militiamque suam. » Et hic *militiam* addidit, sicut Noster *palæstras*. — *Palæstras*. Τὴν κλινοπάλην.

5. *Loro quum similis*, etc. Iisdem fere verbis supra: « Madidoque simillima loro », etc.

6. *Dicit*. Nempe rursus digitis metiens, et manu pensans, et, ut prius, quot libræ, scriptula, sextulæ numerans diligenter.

7. *Statera* a *stando* dicta; instrumentum quo res ponderantur. Ed.

LVI.

IN GALLUM. *

Totis, Galle, jubes tibi me servire diebus,
Et per Aventinum ter quater ire tuum.

* De patronorum avaritia queritur, qui officia et labores clientum ne minimis quidem beneficiis compensent.

1. *Me servire diebus*. Functum munere clientis, salutando, deducendo, comitando, sequendo, etc.

2. *Aventinum tuum*. « Ita scripsisse Martialem credat, quicumque volet; non ego: sed ab ejus manu fuisse vix dubito *ire lutum*. » *De Rooy*. — At repugnant codd. manu exarati omnes. Dehinc, quid in hac lectione, *Aventinum tuum*, si-

Eximit, aut reficit dentem Cascellius ægrum:
Infestos oculis uris, Higine, pilos.
Non secat, et tollit stillantem Fannius uvam:
Tristia servorum stigmata delet Eros.
Enterocelarum fertur Podalirius Hermes:
Qui sanet ruptos, dic mihi, Galle, quis est?

quidem facili, latina, immo et pereleganti, damnare est? Ego vero eam damnem quam proponit Antonius. Minime enim Veteribus usitatum de luto conqueri, quamvis jure suo id fecissent, sed de strepitu, fumo, vento, incendiis, nocturnis latrociniis. Horat. lib. III, od. XXIII: « Omitte mirari beatæ Fumum et opes strepitumque Romæ » (quod Gallice imitatus *Rousseau*, in celeb. op. *Émile*, lib. III: *Adieu Paris, ville de bruit, de boue et de fumée;* ubi quidem cum fumo et strepitu lotum, *boue*, junxit, sed non in hoc imitatus Horatium). Juven. sat. v, in re huic simillima: « Sæpe relicta Conjuge, per montem adversum gelidasque cucurri Esquilias, fremeret sæva quum grandine vernus Jupiter, et multo stillaret pænula nimbo. » Idem sat. III, ubi Romæ incommoda omnia enumerat, de luto nihil. Denique raro Noster lutum nominat. Ergo omnino respuendum τὸ *lutum*. Mox vero quis Aventinum adjectivi loco usurpari ferat? quod contra usum et quam vocant ἀναλογίαν. Ed. — *Aventinum tuum.* Scil. collem Aventinum, in quo nempe ille habitabat Gallus.

3. *Cascellius.* Chirurgus.

4. *Oris Yene* cod. Beverl. *Hegine* edd. Maitt. et *Barbou.* — Scribendum forsan *Hygine* quod Græcum et medico designando aptum nomen; nam ὑγίεια, *sanitas.* — *Higine.* Qui oculorum morbo medebatur.

5. *Stillantem uvam.* Tuberculum nempe in faucibus a similitudine uvæ sic dictum. Celsus l. V, c. 14.

6. *Saxorum* et *Heros* edd. vett. *Saxonum* et *Hero* cod. Beverl. — *Servorum stigmata.* Vide lib. VI, epigr. LXIV: « Stigmata nec vafra delebit Cinnamus arte. »

7. *Enterocelarum.* Hoc est, herniarum, quum intestina in scrotum delabuntur. — *Podalirius.* Frater Machaonis, et Æsculapii filius, hic sumitur pro medico: hoc est, Hermes curat hernias.

8. *Qui sanet ruptos.* Non herniosos intelligit, sed officiis patronorum defatigatos, et quorum vestes sunt attritæ et laceræ: quasi diceret, Omni morborum generi remedium quidem invenitur; at clientibus defatigatis et laceris nullus patronus fert opem. — Nonne et hic jocatur in sensu ambiguo? Duplex enim ibi sensus; siquidem *ruptus* perinde sonat ac fessos, lassus, anhelans (gallice *rompu*); nec minus tamen *rumpi* significet dissilientibus et crepantibus ilibus mori (gallice *crever*). Sciscitatur ergo Noster, an sit uspiam qui mortuos in vitam restituat, an qui ruptos exsuscitet; intelligens se jam lassitudine ruptum. Ed.

LVII.

AD SEXTUM *

ARGENTI libram mittebas: facta selibra est,
Sed piperis: tanti non emo, Sexte, piper.

* Nulla in hujus distichi scriptione varietas deprehenditur, sive in codd. manu exaratis, sive in lib. prælo editis.

1. *Argenti.* O Sexte, quum antea mitteres mihi munus libram argenti, jam mittis tantum dimidiam libram, at eam ne argenti quidem, sed piperis. Vid. supra, lib. I, epigramma LXXI.

2. *Tanti non emo, Sexte, piper.* Hoc est, selibram piperis non mos mihi redimere argenti libra. Quod tamen nunc facio: quum enim libram argenti acciperem, nunc selibram piperis, hanc videor illa mutasse.

LVIII.

AD FRONTINUM. *

ANXURIS æquorei placidos, Frontine, recessus,
Et propius Baias, litoreamque domum,
Et quod inhumanæ Cancro fervente cicadæ
Non novere nemus, flumineosque lacus,
Dum colui, doctas tecum celebrare vacabat

* Excusat neglectum a se erga Frontinum salutandi officium. *Raderus.*

1. *Anxuris.* Ordo est. Dum colui Anxur, Baias, Rhegium, etc. — *Æquorei placidos.* Anxur et Tarracina eadem civitas. De qua paullo ante epigr. LI, vs. 8, et lib. V, epigr. I, vs. 6. Anxur a poeta nonnunquam pro flumine capitur.

2. *Et propius Baias.* Baias propiores Urbi; Tarracina enim (sive Anxur) ultra Baias. *Litoreamque domum.* Centum Cellas, vel palatia Baiis ad mare exstructa.

3. *Et quod,* etc. Sylvam, et agrum Rheginum, de quo Plinius lib. II, cap. 27: « At in Rhegino silent omnes cicadæ, ultra flumen in Locrensi canunt. » — *Cancro fervente.* Hoc est, mense Julio.

4. *Flumineosque lacus.* Alicem amnem hic designari credit Raderus ex Leandro, qui in magna

Pieridas : nunc nos maxima Roma terit.
Hic mihi quando dies meus est ? jactamur in alto
Urbis, et in sterili vita labore perit ;
Dura suburbani dum jugera pascimus agri,
Vicinosque tibi, sancte Quirine, Lares.
Sed non solus amat, qui nocte dieque frequentat
Limina ; nec vatem talia damna decent.
Per veneranda mihi Musarum sacra, per omnes
Juro Deos, Et non officiosus amo.

Græcia, versus meridiem, ubi Locri et Rhegium.

6. *Maxima.* Ἐπίθετον solemne ad Romam. Sic fere lib. I, sat. v, Horatius : « Egressum magna me accepit Aricia Roma. » — *Terit.* Officiis urbanis. Epigr. LVI supra, vs. 1 et 8.

7. *Dies meus est.* Legunt alii sine interrogatione, et hunc accommodant sensum : Quando liber sum ab officiis patronorum, habito in alta semita, nempe in monte Quirinali, etc. Videat lector. Illa interpretatio minus bona mihi videtur. Cæterum si cui illa placuerit, meminerit haud solum punctum delendum quod interrogat, sed præterea comma inserendum vel post *Hic*, vel post *mihi*. Ed. — *Jactamur in alto.* Metaphora est ; et sensus : Officiis, curis, et negotiis occupamur, et vita consumitur in officiis præstandis, ex quibus nullum fructum percipimus.

8. *Sterili labore.* Comitandi, deducendi patronos, etc. Vel *labore*, ut Raderus exponit, quem in hortum suum suburbanum frustra collocat, quum fructus nullos prope reddat. Videtur et simul poeticum studium notare, quod idem ut alibi, queritur sterile et inane. Et ad id vide Juvenalis sat. VII, qua de eorum qui se rei litterariæ studio, sive poetæ, sive rhetores et grammatici, addicunt, paupertate conqueritur.

9. *Dura suburbani.* Infra videatur epigr. LXXII.

10. *Vicinosque tibi.* Nempe in monte Quirinali.

11. *Sed non solus amat.* Excusat hic officium suum intermissum ; et affirmat, a se non minus amari Frontinum, quamvis non toties revisum, salutatum et deductum ; quam ab officiosis aliis clientibus, qui dies noctesque illius limina terunt : amicitiam enim et amorem non in externo, sed intimo penetrali consistere. *Rad.*

12. *Nec vatem.* Lib. I, epigramm. LXXI : « Si dicet (Proculus nempe) : Quare non tamen ipse venit ? Sic licet excuses : Quia qualiacumque leguntur Ista salutator scribere non potuit. »

14. *Et non officiosus.* Hoc est : Licet quotidie domum tuam non adeam salutem tibi dicturus, tamen te amo.

LIX.

IN DELICATUM LECTOREM.*

Consumpta est uno si lemmate pagina, transis;
  Et breviora tibi, non meliora placent.
Dives, et ex omni posita est instructa macello
  Cœna tibi, sed te mattea sola juvant.
Non opus est nobis nimium lectore guloso.
  Hunc volo, qui fiat non sine pane satur.

* Excusat longiora epigrammata. — Idem fere est argumentum elegantissimi epigrammatis quo distichum et δεκάστιχον (*le Dixain*) comparat *Lebrun*, lib. III, epigr. XCVII, et cujus id est initium :

J'aime parfois l'épigramme en distique,
Bon mot rapide en deux vers échappé. Ed.

1. *Uno si*, etc. Lemma est breve orationis vel poematis argumentum, seu inscriptio et titulus : lib. XIV, epigr. II. Sumitur hic pro ipso epigrammate : hoc est, si unum epigramma tam longum sit, ut impleat totam paginam.

3. *Dives, et ex omni*. Sua epigrammata comparat cœnæ lautæ et instructæ omni ciborum genere. — *Macello*. Macellum generale primum. Sed postea in macello et delicatiora, quemadmodum pisces, vendebantur. Et sane *macellum* ἰχθυοπωλεῖον potius, quam κρεωπωλεῖον. Et pisces peculiariter ὄψα. *Herald.*

4. *Mactya* Turnebus XXII, 6. *Mactea* edd. Farnab. *Barb. Mattya* Ald. Junt. Colin. Maitt. et sic legit Georgius. *Mattya juvat* Delph. *Juvat* ed. Schrevel. — *Mattea sola juvant*. Mattea, quæ Græcis ματτύα vel ματτύη, lautitiæ, cupediæ, dulciaria. Athenæus, Deipnosophistarum libro XIV, ματτύην exponit πᾶν τὸ πολυτελὲς ἔδεσμα, sive sint pisces opipare parati, sive aves, sive olera aut alia, quæ minutatim concisa aromatis condiuntur : et ea quæ λιχνεύματα appellantur. — Cæterum, utrum *mattea* nom. plur. e *matteum*, an sing. *mattea* (tum vero cum Schrev. rescrib. *juvat*), ambigitur. Nam Suetonius in Calig. cap. 38 : « Et multis macteas venenatas misit. »

5. *Non opus est*. Eamdem continuat metaphoram. Sensus est : Mihi placet lector ille, qui non solis jocis et nugis, sed delectatur etiam gravibus carminibus. Sic conviva placet, qui non solis cupediis expleri vult, sed pane etiam vescitur. — *Guloso*. Gulosus ille est qui delicatioribus tantum et exquisitissimis ferculis vescitur, non qui crassioribus et multis; quod Gallice *friand*, non *gourmand*.

6. *Pene* ed. Par. 1617. « *Pene* cod. pro cauda s. fine. Hinc *offa penita* ap. Festum et alios. » *Beverl.*

LX.

DE MUNNA.*

Jura trium petiit a Cæsare discipulorum,
Assuetus semper Munna docere duos.

* *Nunna* cod. Pulmann. in titulo et in epigrammate. — In misellum literatorem, cui, quum duos tantum vulgo trahenti discipulos, tres tandem contigissent, visum petere a Cæsare jus trium discipulorum. Jocus a jure trium liberorum, lib. II, epigr. xci et xcii. Nullum vero jus trium discipulorum exstitisse cuique obvium est. Ed.

LXI.

EPITAPHIUM EROTII.*

Hic festinata requiescit Erotion umbra,
Crimine quam fati sexta peregit hiems.
Quisquis eris nostri post me regnator agelli,
Manibus exiguis annua justa dato.

* Discessurus in patriam Martialis, commendat futuro agelli domino, tumulum Erotii, puellæ vernulæ.

1. *Hic*, etc. Vide lib. V, epigr. xxxv et xxxviii, unde huic lux.— *Festinata*, etc. Immatura, præpropera. — *Requiescit Erotion*. De qua puella dictum lib. V, epigr. xxxiv et xxxvii; quæ nondum sex annos integros nata interiit. — Feminis autem nomina data quorum terminatione vulgo neutra indicantur, ne mireris; nulli enim illa data nisi mancipiis et scortis; mancipium vero et scortum, neutri generis Latini habuere. Ad hæc nota ex nominibus Latinis istis in *um* derivari nostra in *on;* qualia *Lison*, *Ninon* pro *Lisette*, *Ninette*, et multa. Ed.

2. *Peregit hiems*. Ita Scriverius edidit pro vulgato *peremit :* recte. Sic sup. lib. V, epigr. xxxvii de eadem Erotio: « Quam pessimorum, etc. Sexta peregit hieme. » Lib. VII, epigr. xlvii : « Jamque peractus eras. » Consul. et Burm. ad Valer. Flacc. I, 146. Ant. *de Rooy*.—*Sexta hiems*. Nondum absolverat sextum annum. Lib. V, ep. xxxv, vs. 5.

3. *Regnator agelli*. Dominus agri hujus, post discessum meum in patriam, seu mortem.

4. *Manibus exiguis*. H. e. umbræ Erotii puellulæ, quæ data, ut ait Juvenalis, sat. xv, « ignibus infans Et minor igne rogi ». Vid. notat. ad vs. 1 et 2.

Sic Lare perpetuo, sic turba sospite, solus
Flebilis in terra sit lapis iste tua.

5. *Sic Lare perpetuo*, etc. Hoc est, domo perpetua, in qua nimirum nullus moriatur. Sensus ergo: Sic facienti precor tibi domum cum familia incolumem, nec habeas alium quempiam e tuis quem fleas. Sic lib. VI, ep. XXVIII, vs. 10. « Qui fles talia, nil fleas, viator. »

LXII.

AD MAGISTRUM LUDI.*

Ludi magister, parce simplici turbæ:
Sic te frequentes audiant capillati,
Et delicatæ diligat chorus mensæ:
Nec calculator, nec notarius velox
Majore quisquam circulo coronetur.
Albæ Leone flammeo calent luces,
Tostamque fervens Julius coquit messem.

* Æstivas vacationes Poeta proclamat, monetque ludi moderatores, ut desinant sævire. Nam a Julio ad Octobrem usque scholæ cessabant, uti et Saturnalibus, Minervalibus, et aliis per annum feriis. *Rader.*

2. *Capillati.* Romani enim pueri ingenui nobiles comas alebant, donec pubescerent genæ.

3. *Chorus Musæ* legit Lips. 1. epist. 5. quæst. et exponit pueros deditos Musis. Sic etiam legend. censet Dempst. — *Chorus mensæ.* Hoc est, ameris a delicatis tuis discipulis, qui circum mensam tibi assident. Prior lectio mihi melior videtur, ut sequentes versus satis docent.

4. *Nec calculator.* Qui arithmeticam docet; notarius vero is est, qui notis quibusdam dicentis verba breviter excipere docet. Lib. XIV. epigr. CCVIII. de Notario: « Currant verba licet, manus est velocior illis: Nondum lingua suum, dextra peregit opus. »

6. *Albæ.* Dies scilicet longi et sole perpetuo clari. *Raderus.* — Vel sereni. Horat. lib. I, od. VI: « Albus ut obscuro detergit nubila cælo Sæpe Notus. » — *Leone flammeo.* Leo stella est Zodiaci quam mense Julio sol iuit, unde *flammeus* dicitur. *Chénier*, epist. de Calumnia:

Et quand de Thermidor la septième journée
Sous les feux du Lion ramènera l'année.

Vid. et Nostri lib. IV. epigr. LVII. vs. 5. et lib. V. epigr. LXXII. vs. 2.

7. *Coquit messem.* Maturat segetem.

Cirrata loris horridis Scythæ pellis,
Qua vapulavit Marsyas Celæneus,
Ferulæque tristes, sceptra pædagogorum,
Cessent, et Idus dormiant in Octobres:
Æstate pueri si valent, satis discunt.

8. *Scuticaque loris* legunt Ald. Junt. Colin. Langii, Delph. Farnab. Nostram lect. exhibent edd. *Barbou*, Schrev. Maitt.—*Cirrata*. Flagellum ex loris corii. *Scythæ pellis*, hoc est, Scythicæ: Scythæ vero ex pellibus conficiebant scuticas, quibus servos delinquentes castigarent; cirrataque pellis, ipsa est scutica multorum lororum, dependentium nexu.

9. *Marsyas* Phrygius, insignis musicus, at nimia tumens artis suæ superbia, quum ad cantus et tibiarum certamen Apollinem provocasset, ab eo victus et sæve castigatus est. Ovid. Metam. VI, sic de Marsya « Ah piget! ah non est, clamabat, tibia tanti! Clamanti cutis est summos direpta per artus. » *Celæneus*. A Celænis oppido Phrygiæ, ubi certavit Marsyas cum Apolline.

10. *Ferulæ*, a feriendo: nam pædagogi olim et nostris diebus puerorum pigrorum manus ferula cædebant; unde regnare in scholis dicebantur. Juven. Sat. I, 15: Columel. X, Carm. 21 et 118. Ed.

11. *Cessent*. Usque dum defervuerit æstatis calor, defervescat scuticæ ferulæque sævitia. — *Idus in Octobres*. Quibus jam fractus calor, et temperatum cælum.

LXIII.

EPITAPHIUM NOBILIS MATRONÆ.*

Marmora parva quidem, sed non cessura, viator,
Mausoli saxis Pyramidumque legis.
Bis mea Romano spectata est vita Terento,

* Elegans epitaphium, quo Poeta, uxorem cujusdam, felicem a liberis, tempore conjugii, μονογαμίᾳ, morte, celebrat.

1. *Marmora*. Sensus est: Parvum quidem spectabis marmoreum tumulum, sed facta leges æternæ memoriæ consecrata.

2. *Pyramidumque legis*. Censet *jugis* pro hoc *D'Orleans* legend. *Pyramidumque leges* alii — *Mausoli saxis*. Lib. Spectacul. epigramm. 1. vs. 5.

3. *Vita*. Lipsius legit *vitta*, et refert ad conjugium, hoc est, binos Sæculares, inquit, vidi nupta. — *Bis mea Romano*. Hoc est, ut inter-

Et nihil extremos perdidit ante rogos.
Quinque dedit pueros, totidem mihi Juno puellas :
Clauserunt omnes lumina nostra manus.
Contigit et thalami mihi gloria rara, fuitque
Una pudicitiæ mentula nota meæ.

pretatur Raderus ex Politiano : Bis ludis Sæcularibus interfui, Claudii Imperatoris, qui sunt celebrati ab Urbe condita 800 annis, et Domitiani, ab Urbe condita 841. Suetonius in Claudio cap. 21. « Fecit et Sæculares, quasi anticipatos ab Augusto, nec legitimo tempori reservatos », etc. In Domitiano vero cap. 4. « Fecit et ludos Sæculares, computata ratione temporum, ab anno, non quo Claudius proxime, sed quo olim Augustus ediderat. » *Terentus* autem, de quo jam lib. I, epigr. LXX, locus erat in campo Martio insignis templo Ditis, ad cujus aram ludis Sæcularibus immolabantur victimæ.

4. *Et nihil*, etc. Et vita mihi permansit sincere felix ad exitum usque, amore mariti natorumque.

5. *Juno*. Quæ præsidet puerperiis, Lucina.

6. *Clauserunt*, etc. Omnes illi mihi morienti superstites clauserunt oculos. : quod erat maxime propinquorum officium. Plin. lib. XI, cap. 37.

7. *Fuitque Una*. Unici mariti pudica et sancta fui conjux.

LXIV.

AD POLLAM.

Contigeris regina meos si Polla libellos,
Non tetrica nostros excipe fronte jocos.
Ille tuus vates, Heliconis gloria nostri,
Pieria caneret quum fera bella tuba,

1. *Si forte libellos* legit Palatinus. — *Polla*. De qua et Lucano dictum lib. VII, epigramm. XXI et XXII. Reginam vocat eo sensu, quo clientes suos patronos appellabant reges.

3. *Heliconis nostri*. Hoc est, Latinæ poeseos decus.

4. *Fera bella*. Ea nempe quæ tot et historiis et poematibus celebrata sunt, inter Pompeium et Julium Cæsarem : « Bella per Æmathios plusquam civilia campos, Certatum et totis concussi viribus orbis In commune nefas, infestisque obvia signis Signa, pares Aquilas et Pila minantia Pilis. » (Lucan. Pharsal. lib. I, vs. 1.)

Non tamen erubuit lascivo dicere versu,
Si nec pædicor, Cotta, quid hic facio?

5. *Non tamen*, etc. Scripsit etiam lasciva carmina et epigrammata.

6. *Si nec pædicor.* Versus iste, ut divinare est, Lucanianus fuit.

LXV.

IN CARMENIONEM.*

Quum te municipem Corinthiorum
Jactes, Carmenion, negante nullo,
Cur frater tibi dicor, ex Iberis,
Et Celtis genitus, Tagique civis?
An vultu similes videmur esse?
Tu flexa nitidus coma vagaris;
Hispanis ego contumax capillis.
Levis dropace tu quotidiano :

* In Carmenionem effeminatum scribit, quem, quum ille se poëtæ fratrem diceret, salse vocat ille suam sororem. Cf. supr. epigr. LII, quo eamdem ob mollitiem, sed alio modo, Thelin reprehendit.

1. *Municipem.* Gellius lib. XVI, cap. 13, fuse explicat quid sit municipium, et quomodo differat a colonia : Corinthii vero molles, voluptatibusque dediti et scortorum suorum pulchritudine et frequentia inter Græcos celeberrimi.

2. *Negante nullo.* Quum perditi tui mores te Corinthium probent.

4. *Ex Iberis, Et Celtis genitus.* Scilicet ex Celtiberis. Celtiberi enim gens una ex fortissimis et celeberrimis Hispaniæ Tarraconensis; cujus oppidum Bilbilis fuit. Vide lib. I, epigr. LXII. « Nec me tacebit Bilbilis. » — *Tagique civis.* Vid. lib. I, epigr. L, et passim.

6. *Tu flexa*, etc. Tu arte calamistratos habes capillos : ego neglecta coma et inculta horridus. Juven. sat. IX, 12 : « horrida siccæ Silva comæ ». Ed.

7. *Ego contumax.* Hic sumitur pro horrido et inculto, alias pro superbo : in bonam quoque partem sumitur pro constanti, et pro eo qui flecti nequit.—Verum quidem, sed qua ducti ratione hic id allegent non assequor. In hoc versiculo enim nihil significat nisi pertinaces, rebelles, qui et calamistro et calamistrarii solertiæ reluctantur. Ed.

8. *Levis dropace.* De quo lib. III, epigr. LXXIII, et lib. II, ep. XXIX. Unguenti fuit genus quo utebantur effeminati ad evellendos pilos. —

Hirsutis ego cruribus, genisque.
Os blæsum tibi, debilisque lingua est:
Nobis filia fortius loquetur.
Tam dispar aquilæ columba non est,
Nec dorcas rigido fugax leoni.
Quare desine me vocare fratrem,
Ne te, Carmenion, vocem sororem.

9. *Hirsutis ego cruribus.* Idem Juvenalis sat. IX: « Fruticante pilo neglecta et squalida crura. » Ed.

10. *Os blæsum.* Quo vitio ut plurimum laborant molliores, et pinguiores. — Imo captant vulgo hoc vitium et hoc temporis captaverunt. Unde Persius, optime omnium explicans quid sit *blæsum*: « Rancidulum quiddam balba de nare locutus, Phyllidas, Hypsipylas, vatum et plorabile si quid Eliquat, et tenero supplantat verba palato. » Ed.

11. *Nobis*, etc. *D'Orleans* legend. censet: *Non nobis lea fortius loquetur.* Ponit *loqui* pro rugire: nam rugitus vox et loquela leonis. Anteponenda omnino est vulgo recepta lectio. — *Nobis filia.* Quamquam, velut puellæ omnes, acuto magis et debili vocis sono esse debeat.

13. *Dorcas.* Quæ inter sylvestres capras numeratur.

14. *Me vocare fratrem.* Hoc est, mollem et effeminatum: quo sensu sæpe reperitur apud Petronium.

15. *Sororem.* Tu enim magis femina, quam vir videris.

LXVI.

DE THEOPOMPO.

Quis, rogo, tam durus, quis tam fuit ille superbus,
  Qui jussit fieri te, Theopompe, coquum?
Hanc aliquis faciem nigra violare culina
  Sustinet? has uncto polluit igne comas?

2. *Te, Theopompe, coquum? Emphatice*, te tam eximie formosum.

3. *Coquina* MSS. quod legend. censet Beverland. — *Violare.* Proprie dicitur de rebus sacris. Et sic intelligit Noster; neque enim scelus est, sed nefas et piaculum in culina exsulare tantæ pulchritudinis juvenem.

4. *Polluit ungue* in Ald. Junt. Colin. Farnab. Langii, Delph. *Igne* exhibent Maitt. *Barbou.* quod etiam Grut. legit ex Palat. *Uncto polligine* alii. *Polluit igne.* Culinæ sci-

Quis potius cyathos, aut quis crystalla tenebit?
Qua sapient melius mixta Falerna manu?
Si tam sidereos manet exitus iste ministros,
Jupiter utatur jam Ganymede coquo.

licet. Ut supra violare *Igne*. — *Uncto* capiunt de *nidore culinæ* commentatores, quorum Gruterus; ita tamen ut addat *foculum flammantem*, ideoque una et *fumum ejus* et *fuliginem*.

5. *Quis potius cyathos*, etc. Quis esset magis idoneus minister miscendis poculis? Mos enim antiquus adolescentulos adhuc et pulcherrimos epulantibus cyathos porrigere, vina ministrare. Ed.

7. *Sidereos*. Hoc est, pulchros. Sic Claudianus de Venere: « spissaque sidereos per gramina fuderat artus. » Vid. lib. IX, epigr. xxxvii.

LXVII.

EPITAPHIUM VETULÆ.*

Pyrrhæ filia, Nestoris noverca,
Quam vidit Niobe puella canam,
Laertes aviam senex vocavit,
Nutricem Priamus, socrum Thyestes;
Jam cornicibus omnibus superstes,
Hoc tandem sita prurit in sepulcro
Calvo Plotia cum Melanthione.

* Anus libidinosæ, in tumuli inscriptione, carpit et senectutem ultra vitæ humanæ limites prorogatam, et lasciviam; utrumque ὑπερβολικῶς. Ed.

1. *Pyrrhæ filia*. Epigr. xxxix supra, quod est etiam in vetulam: Pyrrha vero Deucalionis uxor fuit, cujus historia satis nota, sicut et eorum omnium quorum hic mentionem facit Poeta.

5. *Jam cornicibus*. Hyperbolen continuat Poeta: cornices diutissime vivunt. Plin. lib. VII, cap. 48.

6. *Prurit*. Vetulam tam libidinosam fuisse dicit, ut etiam mortua pruriat. — Immo, ut senem juxta et deformem consepulta, non conquiescat, et libidini non imperet, quanquam cui misellæ libidinis sensus excitarit Melanthio? Innuit forte præterea adulterum Plotiæ Melanthionem, vetulæ senem, calvæ calvum. Ed.

LXVIII.

IN LÆLIAM.*

Quum tibi non Ephesos, nec sit Rhodos, aut Mitylene,
Sed domus in vico, Lælia, patricio;
Deque coloratis nunquam lita mater Etruscis,
Durus Aricina de regione pater;
Ζωὴ καὶ ψυχὴ lascivum congeris usque,
Pro pudor! Hersiliæ civis, et Ægeriæ.
Lectulus has voces, nec lectulus audiat omnis;
Sed quem lascivo stravit amica viro.

* Scomma in rancidulam mulierculam quæ «de Tusca Græcula facta, De Sulmonensi mera Cecropis» (Juv. sat. vi), Græcorum lingua non modo iram, metum, cupidinem enuntiat, sed et in concubitu Græca gannit. Ed.

1. *Quum tibi*, etc. Quum non sis ex aliqua insula vel parte Græciæ oriunda, sed media nata Roma. Vide sat. vi Juvenalis versum 186 et seqq. unde huic lux.

3. *Deque coloratis*, etc. Et mater tua ex Etruria, nunquam fucata, immo, sole offuscata. — *Nunquam lita.* Lini autem moris erat istos delicatos, vel ad candorem nitoremque cutis conciliandum, vel ne cito barbati essent. *Coloratos* vero *Etruscos* vocat ἡλιοκαύστους, et mulierem nunquam litam, quæ faciem medicamentis nunquam induxerit, ad candorem servandum et solem cuti defendendum, ne coloraretur. Hujusmodi autem medicamina, quæ præstabant, ne sole facies læderetur, θερινὰ προφυλακτικὰ προσώπων vocabant, eaque omnia erant ἐπίχριστα. *Salmasius.*

4. *Aricina*, etc. Aricia oppidum Latii, ad cujus clivum sedebant mendici.

5. Ζωὴ καὶ ψυχὴ, etc. Vide vers. 195, sat. vi Juven. et quæ nos ad illum. Gronovius valde extollit Thuanæi codicis præstantiam, et scriptorem ejus fidelem asserit; ut quæ non assecutus fuerit, imitatione tamen characterum expresserit; et quum cætera minutis literis exarata sint, hunc unum versum majusculis expresserit: KURIE MU MELI MU PSICI MU CONGERIS USQUE. Hinc colligit Martialem scripsisse, Κύριέ μου, μέλι μου, ψυχή μου, *congeris usque*. Agnoscis enim amatoria vocabula Græcis et Latinis satis familiaria.

6. *Hersiliæ civis*, etc. Tu Romana. Hersilia autem Romulo cessit conjux e Sabinis raptis una. De Ægeria supra epigr. xxxv, vs. 13.

Scire cupis quo casta modo matrona loquaris:
Numquid quum crissas, blandior esse potes?
Tu licet ediscas totam, referasque Corinthon,
Non tamen omnino, Lælia, Lais eris.

9. *Loquaris.* Pro *loqueris.* In quibusdam edd. *loquatur.*

10. *Crissas*, etc. Κιγκλίζῃ, quod in maribus *cevere* dicitur.

11. *Corinthon.* Linguam græcam: vel magis proprie blanditias et sermones nequam Corinthi; qua in urbe, Græciæ et insularum emporio, et ob id divitiis et deliciis asiaticis ultra quam par est affluente, pulcherrimarum meretricium multitudinem exstitisse omnes sciunt. Unde Horatianum illud: «Non cuivis homini contingit adire Corinthum, etc.» Vid. lib. huj. epigr. LXV. ED.

12. *Lais.* In edd. vett. *Thais*: sed Gruterus legend. censet *Lais*, quod probat Schrev. — Merito, siquidem nata Atheuis Tbais et in Asia cum Alexandro, et in Ægypto cum Ptolemæo Sotere degit, Corintbi nunquam. ED. — *Non tamen omnino*, etc. Nunquam tamen ex deformi et clauda Lælia fies pulchra et elegans Lais; Lais enim Corinthi domum habebat. — Acutum quiddam in *omnino*, quasi diceret: Lascivia quidem Lais eris, sed non pulchritudine corporis et formæ venustate. ED.

LXIX.

DE POLLA.

Custodes das, Polla, viro; non accipis ipsa.
Hoc est uxorem ducere, Polla, virum.

1. *Non* pro *nec* habet cod. Pulmann. — *Custodes.* Viros nempe qui eum sequantur et quidquid agit videant, ad dominam nempe relaturi. Solebant Romæ mariti tales imponere conjugibus suis. Ovid. Amor.: «Dure vir imposito teneræ custode puellæ.» — *Dos Polla.* Alia sane est a Polla Argentaria uxore Lucani, de qua epigr. LXIV supra. — *Non occipis.* Et ita promissam marito fidem violas. — An violet, nec scio nec interest; hic enim Noster virum reprehendit pusilli et mancipati animi, feminam superbiæ, lasciviæ neutrum; et acumen omne in eo quod ductum a muliere virum dicat, quum proprium viri sit *ducere*: sic lib. VIII. epigramm. XII: «Uxori nolo nubere, Paule, meæ.» Et in lib. I, epigr. XXV, vitiosius quiddam innuena: «Aspicis incomptis illum, Deciane, capillis!... Noli to fronti credere, nupsit heri.» ED.

2. *Hoc est uxorem.* Hoc non est nubere viro, sed potius virum nubere uxori, seu servire. Amphibologia vero, vel proximum quiddam amphibologiæ phrasi inest, sed facile extricabile.

LXX.

AD POTITUM. *

Quod mihi vix unus toto liber exeat anno,
  Desidiæ tibi sum, docte Potite, reus.
Justius at quanto mirere, quod exeat unus;
  Labantur toti quum mihi sæpe dies.
Nunc resalutantes video nocturnus amicos:
  Gratulor et multis; nemo, Potite, mihi.
Nunc ad Luciferam signat mea gemma Dianam:
  Nunc me prima sibi, nunc sibi quinta rapit.
Nunc consul, prætorve tenet, reducesque choreæ:
  Auditur toto sæpe poeta die.

* Excusat scriptorum tarditatem, caussamque in urbicas occupationes confert.

1. *Quod mihi.* Ita fere Horat. lib. II, sat. III, vs. 1: « Sic raro scribis, ut toto non quater anno Membranam poscas. » Ed.

4. *Labantur.* Nempe « Musis et Apolline nullo », intento me inanibus negotiis, et poeseos œstro nihil faventibus; quæ plurima sequentibus versiculis commemorat. Ed.

5. *Nunc resalutantes.* Quos mane salutaverat Poeta, et quibus dixerat Ave, vesperi pro more Romanorum illum resalutabant, ipsique Vale dicebant.

6. *Gratulor et multis.* Aut adeptis honores, aut meliorem fortunam nactis; at nullus mihi gratulatur. An quia non, ut illi, divitiis et amplissimis magistratibus censendus sit? an quod mediocris notæ se fingat poetam? Utrumque credo, quasi diceret: Nihil ego gratulatione dignum adipiscor.

7. *Nunc*, etc. Ego rogatus annuli mei gemma signo testamenta, aut alias tabulas, in monte Aventino, ubi Lucina, seu Diana colitur, quæ Lucifera dicebatur, quod nascentibus præesset, vel quod illic una cum Lucifero coleretur, ut ait Domitius.

8. *Nunc me prima.* De horis dictum lib. IV, epigr. VIII.

9. *Nunc consul.* Quem comitor, et domum deduco. Vel intellige caussas forenses et judicia, quibus aliquando forte occupabatur Poeta. — *Reducesque choreæ.* Reducentium patronos? An sacerdotum Isidis, ut supra epigr. XLVIII? An histrionum vel saltatricularum? Sic Farnabius. Statuat de obscuro lector.

10. *Auditur sæpe.* Juvenalis sat. I: « Impune diem consumpserit ingens Telephus, et summi plena jam margine libri Scriptus, et in

Sed nec caussidico possis impune negare,
Nec si te rhetor, grammaticusve rogent:
Balnea post decimam lasso, centumque petuntur
Quadrantes. Fiet quando, Potite, liber?

tergo, necdum finitus Orestes! » Ed.

11. *Nec caussidico.* Caussidici, ut et rhetores et grammatici, recitabant. Plinius, lib. V, epist. 3.

13. *Balnea post.* Quum tamen hora octava aut nona lavare solerent Romani; sed Martialis negotiis et officiis urbanis impeditus non lavabat nisi decima, qua et sportulam petebat. Vid. lib. I, epigr. LX, quo: « Dat Baiana mihi quadrantes sportula centum. »

LXXI.

DE RABIRIO.*

Quisquis læta tuis et sera parentibus optas
Fata, brevem titulum marmoris hujus ama.
Condidit hac caras tellure Rabirius umbras:
Nulli sorte jacent candidiore senes.
Bis sex lustra tori nox mitis et ultima clusit,
Arserunt uno funera bina rogo.
Hos tamen ut primis raptos sibi quærit in annis:
Improbius nihil his fletibus esse potest.

* Rabirius hic architectus erat Domitiani, de quo jam lib. VII, ep. LVI. Hic parentum ejus funus describit, et Rabirii seu veras, seu fictas lacrymas.

1. *Quisquis*, etc. Poeta viatorem alloquitur: Quisquis optas, ut tui parentes diu vivant, et feliciter diem suum obeant, ut parentes hujus Rabirii, sta et lege hoc epitaphium. « Quamquam festinas, non est mora longa; licebit *Perlecto tibi carmine* curras. » *Raderus.*

3. *Rabirius.* Vid. not. primam. — *Umbras.* Utriusque parentis sui.

4. *Candidiore senes.* Feliciore.

5. *Bis sex lustra.* Sexaginta scilicet jam anni effluxerant ex hoc quo nuptias celebraverant felicissimi senes.

6. *Funera bina.* Pater et mater eadem nocte mortui, et simul cremati sunt.

8. *Improbius nihil.* Quum defleat parentes longa felicique vita functos. Incusat nempe Deos difficilis filius, neque ullam nisi plus quam humanam, nisi immortalem vitæ longitudinem parentibus satis esse credit.

LXXII.

ADULATORIUM DE CÆSARE TRAJANO.*

Frustra blanditiæ venitis ad me
Attritis miserabiles labellis.
Dicturus Dominum, Deumque non sum:
Jam non est locus hac in urbe vobis.
Ad Parthos procul ite pileatos,
Et turpes, humilesque, supplicesque
Pictorum sola basiate regum.
Non est hic Dominus, sed imperator,
Sed justissimus omnium senator:

* Blanditur Trajano, dum nullum blanditiis apud eum ait esse locum; simul ex vituperatione prioris, præsentem Imperatorem laudat, quod et Plinius in Panegyrico fecit.—Cæterum nota principi optimo maximo minus placuisse callidas quidem, sed putidas et in imperantem quemvis sponte decurrentes adulationes. Nec injustum sane nec mirum fuisset si, quo modo a cunctis fere pictoribus vetuit Alexander effigiem suam deturpari, vetuisset edicto ille laudes suas eodem ore cani quo Domitiani tyrannidem. Ed.

2. *Attritis miserabiles.* Loquitur Poeta de suis et Romanorum assentationibus, quæ in usu erant temporibus Domitiani, qui Deum appellari se jussit, lib. V, epigr. viii, vs. 1; quasi homines attriverint labra, vel pedes ejus osculando, vel ipsi assidue blandiendo.

3. *Dicturus dominum*, etc. Non blanditurus Trajano, ut Domitiano quondam.

5. *Ad Parthos.* Nempe natos ad servitutem: pileatos dicit, quod præter Romanorum morem pileati incederent. Quidam volunt dictum a similitudine servorum, qui libertatem adepti pileum sumebant, ut ostendat Poeta Parthos esse conditionis servilis.

7. *Pictorum.* Picta veste seu soccis pictis utentium. — *Sola.* Soleas, calceos, soccos. Lucret. « Avia Pieridum peragro loca, nullius ante Trita solo. » Item jam Noster, lib. IX, epigr. lxxv, vs. 2. Hæc etiam consuetudo notatur a Seneca lib. II de Benef. cap. 12. « Quædam exemplaria habent, *Pictos soccos*, et fortasse bene. Unde *picti reges* hoc loco. His enim verbis innuit Martialis serviles istas venerationes a Parthis ad Romanos manasse. » *Herald.*

8. *Non est hic.* Trajanus nimi-

Per quem de Stygia domo reducta est
Siccis rustica Veritas capillis.
Hoc sub principe, si sapis, caveto
Verbis, Roma, prioribus loquaris.

rum, de cnjus modestia agit Plinins jnnior in sno panegyrico.

10. *De Stygia domo..... Veritas.* Nondnm enim id temporis finxerant poetæ latere veritatem in puteo, qnod apud recentiores prolatum perpetuo. En.

11. *Siccis.* Nullo unguento delibntis et madentibus. Veritas enim nihil ornamenti sibi addit.

13. *Verbis prioribus.* Hoc est, servilibus atque adulatoriis, qnibus nempe Romani utebantur sub Domitiano.

LXXIII.

AD MARCUM.*

Litera facundi gratum mihi pignus amici
Pertulit, Ausoniæ dona severa togæ:
Qua non Fabricius, sed vellet Apicius uti;
Vellet Mæcenas Cæsarianus eques.
Vilior hæc nobis alio mittente fuisset:
Non quacumque manu victima cæsa litat.
A te missa venit: possem nisi munus amare,

* Marco Antonio Primo Tolosano, gratias agit de literis et toga missa.

1. *Litera facundi.* Marci nempe Antonii Primi, de quo lib. IX, ep. c, et xxxii supra.—*Pignus.* Scilicet togam, quam sic per appositionem vocat.

2. *Serena* Beverl. MS. — *Dona severa.* Quod toga uterentur, qunm reges suos colerent; synthesi autem qunm rebus lætis operam darent: lib. XIV, epigr. I.

3. *Fabricius.* Ille nempe paupertatis cultor, cujns meminit lib. VII, epigr. lxviii. De luxurioso Apicio dictum lib. II, epigr. lxix.

4. *Mæcenas.* Satis notus ex Horatio. Juvenalis sat. xii: «Vestem Purpuream teneris qnoque Mæcenatibnsaptam.»—*Cæsarianus.* Nam a partibus Cæsaris Augusti stetit, cujus fnit familiarissimus.

6. *Non litat.* Non sacrificat, non impetrat: non cujusvis hostia Deo grata. *Litare* enim est rite sacrificare et impetrare; ita donum ab omni missum æque non placet.

Marce, tuum, poteram nomen amare meum.
Munere sed plus est, et nomine gratius ipso,
Officium docti judiciumque viri.

8. *Nomen amare meum.* Marci, nempe quod mihi tecum commune. Quasi dicat, Gratum fuit mihi tuum munus; gratius ob commune utrique nomen; gratissimum officium et judicium tuum de meis carminibus. — *Nomen amare.* Poeta enim Marcus quoque vocatur.

LXXIV.

AD ROMAM.*

JAM parce lasso, Roma, gratulatori,
Lasso clienti: quamdiu salutator
Anteambulones et togatulos inter
Centum merebor plumbeos die toto?
Quum Scorpus una quindecim graves hora
Ferventis auri victor auferat saccos:
Non ego meorum præmium libellorum
(Quid enim merentur?), Apulos velim campos.
Non Hybla, non me spicifer capit Nilus;
Nec quæ paludes delicata Pomptinas

* Damnat inofficiosa officia salutandi, quæ clienti præter sterilem sportulam nihil adferant, quum infima e plebe homines et vilissimam artem exercentes, v. g., aurigatores auri saccos ingentes auferant.

3. *Anteambulones.* De quibus, et togatis sæpius dictum.

4. *Centum merebor.* Hoc est, sportulam centum quadrantum, quos tacite cogitans de *aureis*, per contemptum *plumbeos* vocat, quum tamen essent ex ære.

5. *Quum Scorpus.* Auriga, de quo epigr. L supra: aurigæ vero victores in certamine circi præmia summi pretii referebant.

6. *Auferat.* Alii leg. *aff.*—*Ferventis auri.* Hoc est, radiantis colore rutilo, inquit Farnabius.

8. *Apulos velim campos.* Non posco armenta gregesque in campis Apuliæ, non Hyblæ Siculæ mellificia, non fruges fertilis Ægypti, non vineas Setiæ quæ monte sita despectat paludem Pomptinam.

9. *Hybla.* Mons Siciliæ melle abundans delicatissimo.

Ex arce clivi spectat uva Setini.
Quid concupiscam quæris ergo? Dormire.

11. *Uva Setini.* Setia urbs Latii juxta Pomptinas paludes, ubi vinum optimum: adito lib. IV, epigramma LXIX.

12. *Dormire.* Juvenalis, sat. III, v. 55 sq.: «Tanti tibi non sit opaci Omnis arena Tagi, quodque in mare volvitur aurum, Ut somno careas.» — Martialis in hoc non quidem imitator, sed satis similis *Lafontaine*, qui de tempore hæc in suo ipsius dixit ἐπιταφίῳ:

Deux parts en fit, dont il soulait passer
L'une à dormir, et l'autre à ne rien faire. Ed.

LXXV.

DE GALLA.*

Millia viginti quondam me Galla poposcit;
Et, fateor, magni non erat illa nimis.
Annus abit: bis quina dabis sestertia, dixit:
Poscere plus visa est, quam prius, illa mihi.
Jam duo poscenti post sextum millia mensem,
Mille dabam nummos: noluit accipere.
Transierant binæ forsan, trinæve Kalendæ,
Aureolos ultro quatuor ipsa petit;
Non dedimus: centum jussit me mittere nummos;
Sed visa est nobis hæc quoque summa gravis.
Sportula nos junxit quadrantibus arida centum:
Hanc voluit: puero diximus esse datam.

* *Forma bonum fragile est.* Quod vulgo dictum effectu firmat, feminam inducens cui minus et minus in dies dare vult.

1. *Millia viginti*, etc. Vid. tabulæ monetarum ad calcem vol. primi.

2. *Magni non*, etc. Nitebat enim tum flore juventæ.

3. *Bis quina.* Dena sestertiorum millia: dimidium jam scilicet pecuniæ prioris.

4. *Poscere*, etc. Minus quippe formosa est facta, atque hinc gravius visum est pretium.

5. *Duo millia.* Decimam partem.

8. *Aureolos ultro*, etc. Deflorente jam in dies forma, et ipsa vilescit, contempta invicem.

11. *Nos junxit*, etc. Habuit nos in officio, id est, officio meritus fueram sportulam tenuem. Hanc concupivit et petivit.

Inferius numquid potuit descendere? fecit.
Dat gratis, ultro dat mihi Galla: nego.

14. *Dat gratis*, etc. Subaudi, sui copiam; quæ locutio usitatissima hisce quidem temporibus fuit. Vid. lib. II, epigr. LVI. ED.

LXXVI.

DE MÆVIO.*

Hoc, Fortuna, tibi videtur æquum?
Civis non Syriæve, Parthiæve,
Nec de Cappadocis eques catastis,
Sed de plebe Remi, Numæque verna,
Jucundus, probus, innocens, amicus,
Lingua doctus utraque, cujus unum est,
Sed magnum vitium, quod est poeta,
Pullo Mævius alget in cucullo:
Cocco mulio fulget Incitatus.

* Queritur poetas negligi, muliones locupletari: artes enim nobiles jacebant; viles colebantur. Cf. Juvenalis sat. VII, qua eorum sortem deflet qui literas colunt. ED.

2. *Civis non Syriæ*. Hoc est, non ex Syro aut Partho factus civis Romanus, nec ex servo Cappadociæ factus eques: de catasta, machina nempe ubi exponerentur servi venales, dictum lib. IX, ep. LX.

4. *Tenui* pro *Remi* Beverl. MS. — *Sed de plebe*. Sed Mævius poeta, liber et Romanus: verna enim non hic sumitur pro servo, sed pro eo qui Romæ natus est.

6. *Utraque*. Græca et Latina.

8. *Nævius*. Bev. — *Pullo Mævius*, etc. Querela hæc et indignatio ipsius Martialis videtur, sed per modestiam sibi adsciscit nomen Mævii, mali scilicet poetæ. — Non hoc credo: Mævii vicem dolet poeta, et poetarum omnium, et suam; at non suam sub persona Mævii. ED. — *Pullo*. Pullus color pauperum proprius fuit. *Cucullus*, quo tegitur caput. Hodie *cape* vulgo vocant.

9. *Croceo* pro *Cocco* et *victatus* pro *Incitatus* in Beverl. cod. leguntur. *Incitati* conjicit Schrev. — *Cocco mulio*, etc. Purpureus splendet agaso, ad summum mulio Incitatus. Quem tamen tanquam aurigam Scorpo conjungit, lib. II, ep. 1. Potest etiam legi, *Cocco mulio fulget Inci-*

tati, equi scilicet Caligulæ, de quo Dio in Calig. quum inquit: « Unum vero ex equis suis, quem Incitatum nominabat, invitabat ad cœnam, ita ut ei hordeum ex auro apponeret, funderetque vinum, etc., ac per salutem ejus et fortunam juraret; seque eum consulem facturum polliceretur, etc. » Si hic *Incitati* legas, ne equum Caligulæ intelligas, sed nobilem alium quemdam, cui ob pedum pernicitatem id nominis datum.

LXXVII.

DE CARO MEDICO.*

Nequius a Caro nihil unquam, Maxime, factum est,
  Quam quod febre perit : fecit et illa nefas.
Sæva nocens febris saltem quartana fuisses!
  Servari medico debuit ille suo.

* Dolet Carum medicum, quem diu cruciatum cupiebat, subita febri exstinctum.

2. *Ille nefas* in edd. vett.; male. — *Quamquod*, etc. Nam erucem illi, non tam leve fatum, optat Poeta. — *Fecit et illa*. Quæ tam cito sustulit Carum.

3. *Saltem*. Hic Bev. MS. *utinam*. — *Fuisses*. Alii legunt *fuisset*. Videat lector.

4. *Debuit illa* in Ald. Junt. Colin. Delph. et plerisque edd. vett. — *Servari medico*. Carus nempe, qui multos imperitia necaverat, quartanæ medicum se profitebatur, qua diu cruciandus erat, priusquam moreretur.

LXXVIII.

AD MACRUM.*

Ibis litoreas, Macer, Salonas :

* Macrum laudat, et ex eo Salonas coloniam felicem prædicat, quod mox Macrum esset habitura præfectum.

1. *Litoreas*. Quid hic legendum, *litoreas Salonas* an *litoreum Salona*, ambigitur. Sic alii : « Macrum hunc Hispaniæ et Dalmatiæ diversis annis præfuisse volunt, propter *Salonas*, quæ Dalmatiæ oppidum est. De præfectura ejus Dalmatiæ non constat, neque omnia hic conveniunt : præfuisse illum Hispaniæ summa cum integritate apparet ex

Ibit rara fides, amorque recti,
Et secum comitem trahet pudorem.
Semper pauperior redit potestas.
Felix auriferæ colone terræ,
Rectorem vacuo sinu remittes,
Optabisque moras, et exeuntem
Udo Dalmata gaudio sequeris.
Nos Celtas, Macer, et truces Iberos
Cum desiderio tui petemus.
Sed quæcumque tamen feretur illic
Piscosi calamo Tagi notata,
Macrum pagina nostra nominabit.
Sic inter veteres legar poetas;
Nec multos mihi præferas priores,
Uno sed tibi sim minor Catullo.

lib. XII, epigr. c.» Me jndice constat et Dalmatiæ et Tarraconensi hunc præfectum; sed huic posterius. Legam ergo libentius cum Schrevelio *litoreum*, *Macer*, *Salona*. Ed. — Salo vero fluvius Hispaniæ juxta Bilbilim. Lib. I, epigr. L, vs. 12. Suidas in verbo Διοκλητιανὸς Salonas esse Illyrici urbem dicit, qnod in id recidit quod diximus; Dalmatia enim est Illyrici pars.

4. *Semper pauperior*. Hoc est, magistratus integer ex provincia quam administravit semper pauperior redit.

5. *Felix auriferæ*. De Dalmatiæ aurifodinis Plinius lib. XXXIII, cap. 4.

6. *Remittet* Beverl. MS. — *Vacuo sinu*. Sensus est: Macer Romam redibit nihil in Dalmatia prædatus.

8. *Hunc udo Celta gaudio sequeris* Farnab. quod etiam probat Schrev. Male. Nam in *Celta* priorem corripi quis ferat? et suadet quis manuscriptus codex? Ed. — *Udo gaudio*. Hoc est, Dalmata erit lætus, quod bonis suis spoliatus non fuerit; flebit autem quod te abeuntem viderit.

9. *Nos Celtas*. Ego vero, inquit Poeta, petens Celtiberorum agros, sum rediturus in patriam cum summo tui desiderio.

11. *Illic*. Alii *illinc*. — *Sed quæcumque*. Hoc est, quæcumque ad ripas Tagi componam carmina, sonabunt tuum nomen.

12. *Daci* Beverland. pro *Tagi*.

16. *Sum* idem. — *Minor Catullo*. Vide lib. V, epigr. v, et lib. II, epigr. LXXI.

LXXIX.

DE TORQUATO ET OTACILIO. *

Ad lapidem Torquatus habet prætoria quartum :
  Ad quartum breve rus emit Otacilius.
Torquatus nitidas vario de marmore thermas
  Exstruxit : cucumam fecit Otacilius.
Disposuit daphnona suo Torquatus in agro :
  Castaneas centum sevit Otacilius.
Consule Torquato vici fuit ille magister ;
  Nec minor in tanto visus honore sibi.
Grandis ut exiguam bos ranam ruperat olim,
  Sic puto Torquatus rumpet Otacilium.

* Irridetur a poeta Otacilius pauper, qui Torquatum divitem et magnificum, nequidquam æmulabatur. Perstringit interim eos, qui quum sint longe inferiores, tamen potentiores student æquare.

1. *Prætoria.* Hoc est, villas magnificas. Suetonius in Augusto, cap. 72 : « Alias prætorium significat ducum et imperatorum in castris tabernaculum. »

3. *Vario de marmore thermas.* Non *vario*, ut obvium est, quod multiplex hic marmorum in exstruendis thermis genus, sed maculosum, ποίκιλον. Vid. lib. VI, ep. XLII. Ed.

4. *Capanam* Beverlandi MS. qui etiam legere jubet *cameram struxit.* — *Cucumam.* Hoc est, vas aquæ calefaciendæ aptum, gallice *coquemar*, et sumitur hic pro balneolo.

5. *Daphnona.* Vox græca, latine lauretum. Vid. lib. XII : « Daphnonas, platanonas, etc. »

7. *Consule Torquato* est lect. Gruteri ex Palat. vulgo *Consul Torquatus. Unus* Beverlandi MS. pro *vici.* — *Vici fuit ille.* Vici Romæ erant 424 ut refert Casaubonus in Augusto, quibus præerant vicomagistri, qui etiam vicocuri dicti sunt. Sueton. Aug. c. 30, et Tib. c. 76.

8. *Nec minor.* Per irrisionem hoc dicit Poeta.

9. *Vox* Pulmann. — *Grandis ut exiguam.* Fabulam totam vide apud Horatium lib. II, sat. III ; cf. quoque Phædri l. I, fab. 24, et nostratis *Lafontaine* quantumvis mediocrem imitationem, lib. I, fab. III. Sensus est : Prius Otacilius rumpetur, quam Torquatum æquare possit.

LXXX.

DE EROTE. *

Plorat Eros, quoties maculosæ pocula myrrhæ
Inspicit, aut pueros, nobiliusve citrum:
Et gemitus imo ducit de pectore, quod non
Tota miser coemat septa, feratque domum.
Quam multi faciunt, quod Eros, sed lumine sicco!
Pars major lacrymas ridet, et intus habet.

* Notat hic Erotem, qui aperte flebat, quum venales thesauros, inani marsnpio, frustra dolentibusque ocnlis spectaret, nec inopiam, nec affectum dissimnlaret: cum quo, alios æque egentes ac Eros erat, sed ridentes in speciem et mendicitatem risn tegentes, componit.

1. *Teræ* Beverlandi MS., pro myrrhæ — *Maculosæ*. Hoc est, maculis distinctæ: lib. IX, epigr. LX, in Mamurram, qui omnia in septis exposita, quasi empturus agebat.

2. *Citrum*. Mensam citream.

3. *Promit* in Ald. Jnnt. Colin. Delph. Langil, et plerisque edd. vett.

4. *Coemat*. Qnidam legunt *cœnat*. — *Tota Septa*, etc. Omnia quæ fori mercatorii septis venumdantur; lib. II, epigr. XIV, vs. 5.

6. *Lacrymas*, etc. Pro *habet* alii legunt *havet* vel *avet*. Grutero *lacrymans ridet* fere placeret. *Schrevel*. — *Pars major*. Hoc est, multi quidem in speciem rident, qui acerbo animi dolore excruciantur, quod ipsos pariter pecunia deficiat. Mira constructio, posito ante verbum utrumque τῷ *lacrymas*, quod ad posterius solum refertur. Quod si te offendit, intellige: lacrymas aliorum irridet, intus ipse dolens. Ed.

LXXXI.

DE PHYLLIDE.

Quum duo venissent ad Phyllida mane fututum,
Et nudam cuperet sumere uterque prior:

2. *Sumere*. Hoc est, quod rarum satis, *potiri*; Gallice, *avoir*.

Promisit pariter se Phyllis utrique daturam,
Et dedit : ille pedem sustulit, hic tunicam.

3. *Promisit...se...daturam.* Lib. II, epigr. LVI.

4. *Et dedit*, etc. Et utrique se præstitit Phyllis, seu Jana gemina, ἅμα πρόσσω καὶ ὀπίσσω λεύσσουσα. « Ego potius intelligo, inquit Domitius, jocum esse in verbo *sustulit*, quod quidem sæpe significat *in altum tulit*, at identidem *surripuit*. Alter igitur surripuit tunicam, alter potitus est puella; et ita utrique dedit, alteri coitum, et alteri tunicam. » — Ut modestissime, ita optime hic; et potuisset ad sententiam comprobandam suam subjungere, hic Nostro, ut toties, placuisse jure suo loqui usitatam apud Romanos pro re venerea metaphoram. Juven. sat. VI : « Lenonum ancillas posita Laufeia corona Provocat, et tollit pendentis præmia coxæ. » Item fere Apuleius, Asini aurei lib. II : « Pendulæ Veneris fructu me satiavit. » Ed.

LXXXII.

AD GALLUM.*

Si quid nostra tuis adicit vexatio rebus,
Mane, vel a media nocte togatus ero :
Stridentesque feram flatus Aquilonis iniqui,
Et patiar nimbos, excipiamque nives.
Sed si non fias quadrante beatior uno,
Per gemitus nostros, ingenuasque cruces,

* Deprecatur in hoc Noster officium anteambulonis, quod ait sibi nocere, amico nil prodesse. Ed.

1. *Si quid nostra*, etc. Si cui tibi usui et emolumento esse possint præstita officia a me cliente, cui submolesta hæc servitus.

2. *Togatus ero.* Alii, *togatus eo.* — *Togatus.* Officiosus cliens, qui patronum togatus comitatur. De togatorum atque anteambulonum officiis sæpius sive dixit sive questus, est lib. III, epigr. XLVI, et lib. II, ep. LXXIV, et ipso hoc lib. ep. LXXIV.

3. *Stridentesque*, etc. Juv. sat. V. vs. 76 : « Relicta Conjuge, per montem adversum, gelidasque cucurri Esquilias, fremeret sæva quum grandine vernus Jupiter, et multo stillaret pænula nimbo. »

5. *Beatior. Beatum* jam sæpe pro *divitem* notavimus. Sic fere apud Græcos ὄλβιος.

6. *Ingenuasque cruces.* Id est, tormenta ingenuorum seu liberorum hominum. Sic appellat officia et concursationes, quæ liberi homines tenuiores opulentioribus præ-

Parce, precor, lasso, vanosque remitte labores,
Qui tibi non prosunt, et mihi, Galle, nocent.

stabant. *Gronovius.* — *Innumerasque* pro *Ingenuasque* habent quidam. Non ita bene. Crux erat supplicium servorum; ita isti labores erant cruces ingenuorum anteambulonum, et poetice ergo, *cruces ingenuæ.*

7. *Fesso.* cod. Palat. et *Barb.* ed. — *Remitte.* Sine ego quiescam, solve me eo labore, qui insuper nihil affert utilitatis.

8. *Mihi, Galle, nocent.* Sic lib. I. epigr. LXXI. vs. 17.

LXXXIII.

AD MARINUM.*

Raros colligis hinc et hinc capillos,
Et latum nitidæ, Marine, calvæ
Campum temporibus tegis comatis:
Sed moti redeunt jubente vento,
Redduntur que sibi, caputque nudum
Cirris grandibus hinc et inde cingunt.
Inter Spendophorum, Telesphorumque,

* Calvum irridet Marinum.

1. *Raros colligis.* Comas a fronte et temporibus utrinque rejicis et disponis ad tegendam calvitiem.— *Raros colligis.* Vide lib. V, epigr. XLIX, de Labieno calvo.

3. *Campum*, etc. Calvam, quam supra alleg. epigr. vs. 7, dixerat *aream.*

4. *Redeunt*, etc. Stabant nempe manu modo dispositi crines, et sic verticem nudum occulebant. At ubi venti quid spiraverat, immo et pondere ipsi suo, revolvebantur et in suum locum defluebant.

5. *Redduntur que sibi.* Idem quod ante dixit, *redeunt.* — *Caputque nudum.* Lib. V, epigr. citato: « Sunt illinc tibi, sunt et hinc capilli: Nudum est in medio caput », etc.

6. *Cirris grandibus.* Cirri, capillamenta velut in nodum collecta.

7. *Inter splendophorum* Ald. Junt. Colin. *Inter Splendophorum* ed. Par. 1617, quod exhibet Farnabius in textu, sed in Notis hæc verba scripsit: « duorum puerorum Spendophori et Thelesphori. » (Mihi unice placet *Spend.* quod hoc semigræcum semilatinum, ergo barbarum; illud ὅλο-græcum, ut et *Telesphorum.* Ed.) — *Inter Spendophorum*, etc. Ita calva tua utrimque cirrata, videtur esse caput calvi Hermerotæ, inter capita cirrata duorum puerorum Spendophori et Telesphori, qui Domitiani pulcherrimi. Spendophori autem Noster men-

Cydæ stare putabis Hermeroten.
Vis tu simplicius senem fateri?
Ut tandem videaris unus esse,
Tonsor jam reliquos metat capillos.
Calvo turpius est nihil comato.

tionem fecit lib. IX, epigr. LVII, Telesphori lib. XI, epigr. XXVI. Sensna totius loci est: Credes stare *Halmyroten*, latine Marinum (vel forsan Hermerotem leg. nt not. ad vs. 8), inter duos pneros comatos: ita lib. V, ep. XLIX, Labiennm calvum Geryoni tricipiti comparavit.

8. *Cidesta reputabis hermorontem* cod. Beverl. *Cidè* Colin. et Junt. *Cidæ* edd. Paris. 1617. Farnab. Maitt. *Barb. Hermerotem* cod. Pulmann. et *Barb.* ed. *Hermeroten* ex vet. lib. legendum notat Flosculus. *Halmyroten.* edd. vett.—*Cydæ stare putabis*, etc. Cydæ nescio cujus filium, Hermerotem quidam voluere, alii dominum; utrique male: *Cydam* aut pictorem, vel statuarinm intellige. Flosculus Statii auctoritate fretus, probat Cydam artificem fuisse atque effinxisse Halmyroten aut Hermeroten. Uterque nempe Deus: sed eos quis novit? Dein Compositus Hermeros ex Mercurio et Amore an calvus erat? Denique Heraldus emendat hunc versum, et legit: *Sic astare putabis Halmyroten.* Et ad id interrogantibns: «Quid si legas cum Heraldo, *Sic adstare putabis*, etc. et sequenti versn, *Vis tu simplicius? senem fatere*», respondet Gronovius: «Male fecerim. Nam *Cydæ* vocabulum non esse mutandum satis probat Scriverius: illud autem, *vis tu fateri*, eleganter dictum ostendimus ad Senecam de Ira 3, 38, et epist. 58.»

12. *Comato.* Calvitiem dissimulante, ut comatus videatur.

LXXXIV.

DE AFRO, AD CÆDITIANUM.*

MIRARIS, quare dormitum non eat Afer?
Accumbat cum qua, Cæditiane, vides.

* *Cæcilianum* alii, e quibus ed. Par. 1617. et *Cæciliane* in v. posteriori. Hoc etiam exhibent Ald. Junt. Colin. quæ dant epigrammatis titulo hæc sola verba *De Afro.*

2. *Accumbat.* Sæpius dicta vox de epulantibus et in toro ad convivandum recumbentibus. Sed hic de concubitu uxoris et mariti. Simile apud Græcos παρακοίτης et παράκοιτις — *Cæditiane. Cæciliane* in his qui in lemmate Cæcilianum exhibent. *Cum qua.* Nimirum uxore deformi, sine qua satius est vigilare, quam cum illa dormire. — *Vides*, quidam *vide.*

LXXXV.

DE LADONTE NAUTA.*

Jam senior Ladon Tiberinæ nauta carinæ
   Proxima dilectis rura paravit aquis.
Quæ quum sæpe vagus premeret torrentibus undis
   Tibris, et hiberno rumperet arva lacu,
Emeritam puppim, ripa quæ stabat in alta,
   Implevit saxis, opposuitque vadis.
Sic nimias avertit aquas : quis credere posset?
   Auxilium domino mersa carina tulit.

Λάδων γηραλέος Τίβεριν κάτα δή ποτε ναύτης
   Ἄγχι φίλων ὑδάτων γήδιον ἐπρίατο·
Εὖτε δὲ πλημμύρων μιν ἐπιϛείβεσκεν ἄναυρος
   Ἀγρὸν ἐπικλύζων ῥεύματι χειμερίῳ,
Ὄχθῃ ἐρειδόμενον σκάφος ἄπλοον, ἀντία πλήμης,
   Πλησάμενος λιθάκων, ἄλκαρ ἔθηκε ῥόου.
Οὕτω σφοδροτέραν χύσιν ἔϛεγε. Τίς κε πίθοιτο;
   Κτήτῃ ἀόσσησεν ναῦς καταδυομένη.

* Elegans et venustum epigramma ab eventu natum; quum demersa nave servatus sit nauta, qui eadem salva periisset.

1. *Tiberinæ.* Ladon ille nempe non erat marinus, sed fluviatilis nauta.

2. *Dilectis aquis.* Tiberim enim amabat, in cujus undis pecuniam sibi paraverat Ladon, unde emeret fundum.

4. *Gelu* MSS. Pulmanni et Vaticanus.

5. *Alto* cod. Thuan. *Alga* Vat. — *Emeritam.* Hoc est, quæ jam erat otiosa, quum a duro nautæ labore cessasset Ladon; emeritus proprie dicitur, qui legitimum stipendiorum tempus confecit : vel fatiscentem jam et cariosam. — Utrumque. Ed.

6. *Opposuitque vadis.* Molem ad cohibendum inundationis impetum.

8. *Mersa carina.* In eo jocus est, quod demersa hæc navis Ladontem servavit, aut potius ejus fundum, quum alias demersa navis domino afferat mortem.

LXXXVI.

DE LAURO.

Nemo nova caluit sic inflammatus amica,
 Flagravit quanto Laurus amore pilæ.
Sed qui primus erat lusor, dum floruit ætas,
 Nunc postquam desit ludere, prima pila est.

3. *Qui primus erat lusor.* Exhibet *plurimus* pro *primus* codex Thuan. *lusus* pro *lusor* codices Vaticanus et Pulmanni. « Qui juventutem pilæ ludo elusit, senex jam pannosus est instar pilæ compitalis; et eleganter jocatur inquiens, qui *primus erat lusor pilæ*, jam factus est *prima pila*. Alludit ergo in pilæ lusorem, qui quum florente ætate primus esset in arte pilæ, postquam desiit per senectutem ludere, factus est *prima pila*; id est, contemptui habetur, ut illa pila, quæ prima objicitur tauris iratis, quam discerpunt et lacerant cornibus. Sic Mart. lib. II, epigr. XLIII: « At me quæ passa est furiati cornua tauri, Noluerit dici quam pila prima suam. » *Pilæ taurariæ* vocantur in veteribus glossis, et exponuntur ταυροκαθάπται. » *Salmasius.*

LXXXVII.

DE NATALI RESTITUTI.*

Octobres age sentiat Kalendas
Facundi pia Roma Restituti.
Linguis omnibus et favete votis.
Natalem colimus, tacete lites.

* Multa clientum et ampla munera Restituto precatur in natali die: se pro muneribus carmen, quod munus est poetæ, mittere.

2. *Pila* cod. Beverl. — *Restituti.* Caussidici qui id temporis nomen inseruit famæ, et de quo Plin. jun. lib. VI. epist. 17. et lib. VII. epist. 1.

3. *Linguis.* Favere linguis est tacere, votis vero favere est accedere ad vota sacerdotum. Ferias celebrantes a litibus abstinebant antiqui, et sacris publicis vacabant. Ovidius Fastorum lib. I.

Absit cereus aridi clientis,
Et vani triplices, brevesque mappæ
Exspectent gelidi jocos Decembris.
Certent muneribus beatiores.
Agrippæ tumidus negotiator
Cadmi municipes ferat lacernas.
Pugnorum reus, ebriæque noctis
Cœnatoria mittat advocato.
Infamata virum puella vicit?
Veros sardonychas, sed ipsa, tradat.
Mirator veterum senex avorum
Donet Phidiaci toreuma cæli.
Venator leporem, colonus hædum,

5. *Absit cereus*. Munera mittere solebant ad eum, cujus natalem celebrabant antiqui, lib. VIII, epigr. LXIV. Sensus est: Ad Restitutum ne mittantur vilia munera, cerei nempe, pugillares, et mappæ, quæ mittebantur Saturnaliorum tempore. Macrobius Saturn. lib. I. cap. 7. «Illud quoque, inquit, in literis invenio, quod, quum multi occasione Saturnaliorum per avaritiam a clientibus ambitiose munera exigerent, idque onus tenuiores gravaret, Publicius tribunus plebis tulit, ut non nisi cerei ditioribus missitarentur», etc. Alias præterea caussas affert. *Triplices* pugillares sunt trium paginarum.

8. *Certent muneribus*. Hoc est, ditiores clientes et amici munera certatim mittant ad Restitutum.

9. *Agrippæ*. Hoc est, inquit Farnabius, qui in Agrippæ porticu, et septis, de quibus lib. IX, epigr. LX, superbas et pretiosas merces vendebat.

10. *Cadmi municipes*. Tyrias, nam Agenoris Tyrii filius Cadmus; ergo purpureas, ut lib. II, epigr. XLIII.

11. *Pugnorum reus*. Hoc est, reus de vi, quam ebrius alicui intulit, cœnatorias vestes mittat Restituto, a quo defendi possit.

12. *Cœnatoria mittat*. Lænas, vestes quibus in cœna antiqui utebantur; δειπνιχίδας. Sic et *forensia* dixerunt, vestes quibus utebantur in foro. *Lugubria* quoque dixit Seneca vestes lugubres. *Advocato*. Tibi.

13. *Imprægnata* cod. *Beverl*. — *Infamata*. Adulterii rea.

14. *Sardonychas veros*. Vid. lib. XI, epigr. LX, vs. 19.

15. *Avorum*. Alios legere *laborum* monet editor Delph. *Avorum* tamen potius videtur. — *Mirator*. In hoc versu credam meminisse Nostrum Horatii, qui in Arte Poetica, 173, senis mores describens, ait: « Laudator temporis acti Se puero. » Ed.

16. *Phidiaci toreuma cæli*. Crateras et statuas a Phidia, nobili toreuta, torno ac cælo affabre factas. Lib. VI, epigr. XIII, vs. 1.

Piscator ferat æquorum rapinas.
Si mittit sua quisque, quid poetam
Missurum tibi, Restitute, credis?

18. *Rapinam* MS. Pulmanu. — *Æquorum rapinas.* Hoc est pisces, qui præda sunt rapta ex æquore.

19. *Quid poetam*, etc. Carmina nempe mittet Poeta. — Crediderim libenter ego incidisse Martiali iu mentem locum Horatii (lib. IV, od. VIII) cujus hic pauca tautum subjunxisse satis erit : « Donarem pateras grataque commodus, Ceusorine, meis æra sodalibus; Donarem tripodas.... divite me scilicet.... carmina possumus Donare, etc. » Sed aut uoluit tam lougam unius seuteutiæ περίφρασιν vel παράφρασιν Noster iterare, aut acutius facturum se credidit, si quæ fuse Lyricus explicuit, paucis ipse iunueret. Ed.

LXXXVIII.

AD COTTAM.

Omnes persequeris prætorum, Cotta, locellos,
Accipis et ceras : officiosus homo es.

1. *Omnes persequeris.* Ambiguus, vel potius difficilis sensus quem sic vulgo statuunt : Velut officiosus comitaris prætores, et cupis gestare locellos, seu crumenam, aut marsupium, iu quibus forte nomina litigautium erant, ut ea subduceret, simul et ceras seu tabulas corrumperet, corruptus ipse pecunia.

2. *Accipis et ceras.* Ut scilicet illas feras, et corrumpas. Vid. not. sup. — *Officiosus.* Irouia est.

LXXXIX.

DE STATUA JUNONIS.*

Juno labor, Polyclete, tuus, et gloria felix,
Phidiacæ cuperent quam meruisse manus,

* Laudat statuam Juuonis a Polycleto claro artifice factam.

1. *Polyclete.* Qui statuarius fuit celebris, de quo lib. VIII, epigr. LI. De Phidia dictum lib. III, epig. XXXV, et lib. VI, epigr. XIII.

Ore nitet tanto, quanto superasset in Ida
Judice convictas non dubitante Deas.
Junonem, Polyclete, suam nisi frater amaret,
Junonem poterat frater amare tuam.

3. *In Ida.* Phrygiæ monte, ubi Paris Junoni, Minervæ, et Veneri de pulchritudine contendentibus judex datus est.

5. *Nisi frater.* Jupiter nempe Junonis frater. Virgilius, Æneid. lib. I, 46, Junonem sic loquentem inducit: « Ast ego, quæ Divum incedo regina, Jovisque Et soror et conjux », etc.

XC.

IN LIGELLAM.*

Quid vellis vetulum, Ligella, cunnum?
Quid busti cineres tui lacessis?
Tales munditiæ decent puellas:
Nam tu jam nec anus potes videri.
Istud, crede mihi, Ligella, belle
Non mater facit Hectoris, sed uxor.
Erras, si tibi cunnus hic videtur,
Ad quem mentula pertinere desit.
Quare si pudor est, Ligella, noli
Barbam vellere mortuo leoni.

* *In Ligellam.* Palat. legit *Ligeia*, ut forsan eadem sit cum illa, cujus meminit lib. XII, epigr. VII.

1. *Vellis vetulum, Ligella*, etc. Expilas, ut tenerior juniorque videare.

2. *Quid busti*, etc. Quid suscitas cineres et sopitos ignes demortuæ et sepultæ libidinis tuæ? ἀλληγορικῶς dictum, ut vs. 10, ad quem vid. not.

6. *Non mater*, etc. Non anus ut Hecuba, sed firmæ atque floridæ ætatis mulier, sicut Andromache.

10. *Barbam vellere.* Ut modo, ἀλληγορία. Alludit nempe ad proverbium, *tondere leonem*, et *vellere barbam leoni.* Hoc est, provocare ad iras. Quod periculosæ plenum opus est aleæ. Sensus ergo: frustra vetulam vulvam ad libidinem stimulas; est enim mortua. Vide Annot. prior. Jo. Bapt. Pii cap. 15, ubi ad explicationem hujus epigrammatis multa, et forsan nimis multa.

XCI.

DE ALMONE.

Omnes eunuchos habet Almo, nec arrigit ipse,
Et queritur, pariat quod sua Polla nihil.

1, *Omnes eunuchos.* Vid. epigr. VI, 67. Juv. VI, 366: « Sunt, quas eunuchi imbelles, ac mollia semper Oscula delectent, et desperatio barbæ, Et quod abortivo non est opus. » —Apte satis; non tamen quidquid in hoc acuminis et nequitiæ est assequutus. Non enim curat Noster an spadones Pollæ in deliciis; sed innuit potuisse maritum, quantulacumque vi præditus sit ad gignendum, sobolem sibi parare, si nimirum inter aut servos aut clientes robustum virum habuisset; quod ut nefarium, sic tamen ob sæculi corruptelam frequentissimum apud proceres tunc exstitit. Vid. Juven. Sat. IX, passim, et quæ fusius nos ad hujus libri epigram. CII infra, pag. 572. Ed.

XCII.

AD MARIUM. *

Mari, quietæ cultor et comes vitæ,
Quo cive prisca gloriatur Atina,
Has tibi gemellas barbari decus luci
Commendo pinus, ilicesque Faunorum,
Et semidocta villici manu structas
Tonantis aras, horridique Sylvani,

* Relictum rusculum suum Poeta, rediturus in patriam, Mario commendat.

1. *Quietæ cultor.* His verbis ostendit privatum hunc Marium vitæ rusticæ fuisse deditum.

2. *Atina.* De qua Virgilius Æneid. VII, 630, « Tela novant, Atina potens, Tiburque superbum. » In Sicilia fuit urbs hujus nominis, et in Italia plures. Videndus Ortelius.

3. *Has tibi.... pinus..., Faunorum.* Pinus atque ilices Faunis sacræ sunt; vid. lib. VIII, epigr. L.

6. *Horridique Sylvani.* Qui nemorum Deus est, et pingitur ut Faunus, cornuta fronte, etc. Natalis Comes lib. V, cap. 9.

Quas tinxit agni sæpe sanguis, aut hædi,
Dominamque sancti virginem Deam templi,
Et quem sororis hospitem vides castæ
Martem mearum principem Kalendarum,
Et delicatæ laureum nemus Floræ,
In quod Priapo persequente confugit.
Hoc omne agelli mite parvuli numen
Seu tu cruore, sive thure placabis,
Ubicumque noster Martialis est, dices;
Hac, ecce, mecum dextera litat vobis
Absens sacerdos : vos putate præsentem,
Et date duobus, quicquid alter optarit.

7. *Aut hædi.* Sic cod. Pulmann. *Et* edd. vett. et Delph. et Farnab. — *Quas tinxit agni.* Horatius libro I, Od. IV, 11 : « Nunc et in umbrosis Fanno decet immolare lucis, Seu poscat agna, sive malit hædo. »

8. *Dominamque.* Hoc est, Dianam sylvarum Deam, cui dicatum erat ibi templnm ; et mox *sororis*, Diana enim et Mars ex Jove nati.

10. *Mearum principem.* Kalendis nempe Martiis natus est Martialis, epigr. XXIV, supra.

16. *Hac, ecce mecum.* Hoc est ; Martialis licet absens manu mea vobis facit hæc sacra.

18. *Date duobus*, etc. Omnia utrique fausta bouaque.

XCIII.

AD CLEMENTEM.*

Si prior Euganeas, Clemens, Helicaonis oras,

* Librum novnm Sabinæ, Clementis uxori, mittit; quem a novitate commendat.

1. *Heliconis in oras* edd. vett. et cod. Beverl. « Inepte hunc l. depravarunt, et imprndenter scripserunt *Heliconis* pro *Helicaonis.*» *Calderin.* « Male legitur ab aliis *Heliconis in oras* » *Farnab.* et *Schrevel.* Recte et hic nterque et snpra Calderin. Nam apud Græcos Ἑλικάων sæpe pro Ἑλίκων ; et Noster, lib. XIV, epigr. CLII. « Nos Helicaonia de regione snmus. » — *Si prior Euganeas.* Hoc est Patavinam regionem : Euganei, qui et Heneti et postea Veneti dicti, Italiæ sunt popnli, imperii hodie pars quod, dictum nnper *royaume d'Italie*, vocamus *Lombardo-Vénitien*. Cf. Orte-

Pictaque pampineis videris arva jugis,
Perfer Atestinæ nondum vulgata Sabinæ
Carmina, purpurea sed modo suta toga.
Ut rosa delectat, metitur quæ pollice primo,
Sic nova, nec mento sordida charta juvat.

lius. Vid. quoque Liv. lib. I, 1, ubi describit quomodo Antenor fugarit populos qui illas terras tenebant. *Helicaonis*. Qui fuit filius Antenoris, a quo conditum fuit Patavium.

3. *Præfer* MS. Beverl.

4. *Si modo luta* Beverl. *Culta* MS. Pulmann. et edd. Farnab. et *Barb.* — *Purpurea sed*, etc. Vide lib. III, epigr. II, 10, ubi librum alloquitur Poeta : « Et te purpura delicata velet. » Et lib. XI, epig. I, vs. 2.

5. *Metitur quæ*. Tunc enim pulcherrima; sed brevi manibus attrectata marcescit.

6. *Merito* pro *mento* cod. Beverlandi, qui nos dirigit ad Solinum Salmas. — *Nec mento sordida*. Hoc est, quæ nondum basiantium barba facta est sordida. Vid. supr. lib. I, epigr. LXVII, vs. 8 : « Quæ trita duro non inhorruit mento. »

XCIV.

MUNUSCULUM POMORUM.

Non mea Massylus servat pomaria serpens,
Regius Alcinoi nec mihi servit ager;
Sed Nomentana securus germinat hortus
Arbore, nec furem plumbea mala timent.
Hæc igitur, media quæ sunt mihi nata Suburra,
Mittimus, Autumni cerea poma mei.

1. *Non mihi* cod. Pulmann. — *Non mea Massylus*. De aureis Hesperidum hortis in Massylia a serpente custoditis egimus lib. IX, epigr. CII, et lib. IV, epigr. LXIV, ubi et de hortis Alcinoi; et lib. VII, epigr. XLII.

3. *Sed Nomentana*. Jam de Nomentano suo prædio egit Poeta lib. VI, epigr. XLIII, in quo poma plumbea, hoc est, vilia et immitia, tuta erant a furibus.

5. *Modo nata* Pulman. cum edd. Schrevel. Maitt. et *Barb.* — *Media mihi nata Suburra*. Hoc est, empta Romæ : Suburra quippe vicus erat ubi poma et herbæ vendebantur.

6. *Autumni*. Id est matura Autumni tempore; vel potius *autumni mei* dicerem, *de ma récolte*.

XCV.

AD GALLAM.*

INFANTEM tibi vir, tibi, Galla, remisit adulter.
Hi, puto, non dubie se futuisse negant.

* Gallæ objicit impudicitiam, at marito et amanti vitiosius aut turpius quiddam.

1. *Infantem*, etc. Neuter agnoscit suam esse prolem, quamvis tecum rem habuerint. Quam rem ergo? Vide lib. IX, epigr. v, et lib. III, epigr. xcvi.

XCVI.

AD AVITUM.*

SÆPE loquar nimium gentes quod, Avite, remotas,
Miraris, Latia factus in urbe senex,
Auriferumque Tagum sitiam, patriumque Salonem,
Et repetam saturæ sordida rura casæ.
Illa placet tellus, in qua res parva beatum
Me facit, et tenues luxuriantur opes.
Pascitur hic, ibi pascit ager : tepet igne maligno

* Caussas hic reddit, cur patriam cogitet; et solum Hispanum cum Romano confert.

1. *Remotas*. Hispanas, ad quas anhelare videor, quum eas usque loquar, et tamen Romæ consenescam. Romæ enim supra quatuor et triginta annos vixerat.

3. *Auriferumque*, etc. Patriæ appetam fluvios et agros. Idem lib. I. epigr. L. vs. 12 et 15. — *Portumque Salonem* codex scriptus Beverl. — *Salonem*. De quo fluvio dictum quoque lib. I, epigr. L.

4. *Saturæ rura casæ*. « Ut quod sentio dicam, non placet τὸ *saturæ casæ*. Quid si *Hispanæ s. r. plagæ?* In Anglic. cod. *patriæ* legi pro *saturæ* monet Gruterus : quod confestim arriperem, nisi jam vs. proximo dedisset hoc epithelon. At (quid enim dissimulem?) non multum abest quin ibi *gelidum*, *rigidum*, vel simile reponend. et huc τὸ *patriæ*, tanquam in suam sedem, reducend. esse credam. » *De Rooy*. Dat *patriæ* codex Pulmanni.

7. *Pascitur hic*. Ita epigr. LVIII,

Hic focus, ingenti lumine lucet ibi.
Hic pretiosa fames, conturbatorque macellus,
Mensa ibi divitiis ruris operta sui.
Quatuor hic æstate togæ, pluresve teruntur;
Autumnis ibi me quatuor una tegit.
I, cole nunc reges : quidquid non præstat amicus,
Quum præstare tibi possit, Avite, locus.

supra, cultura nimirum et stercoratione pascnntur agri : hoc est, Romana rura sterilia sunt platanis tantum et lauris consita. — *Igne maligno.* Quia Romæ emebantur ligna, et ære multo.

9. *Pretiosa fames.* Cui nempe non satisfacias, nisi multiplici pecunia et maximo pretio.— *Conturbaturque* edd. vett. Alios legere *conturbatrixque macelli Mensa, ibi* monent multi; id habet codex Pulmanni, qui germanam esse lectionem recipiendamque censet. *Macelli* est et in cod. Beverl. — *Conturbatorque macellus.* Ubi venduntur omnia ciborum genera quæ ad victum necessaria sunt. *Conturbator* eo sensu dicitur quo aper lib. VII, epigr. XXVII; hoc est : tanto pretio res ad victum necessariæ Romæ emuntur, nt facile decoquatur patrimonium, pertnrbetur res familiaris.

12. *Autumnis quatuor.* Hoc est, quatuor annis.

13. *Reges.* Regum nomine sæpius vocabant patronos, deleta præsertim republica. Juven. Sat. V, 14. « Imputat hoc rex, Et quamvis rarum tamen imputat. » Et ipse Noster : « Aspicias regina meos si Polla libellos. » Ed. — *Amicus*, patronus cultus.

14. *Locus.* Id est, patria.

XCVII.

DE NUMA.*

Dum levis arsura struitur Libitina papyro,

* Suam infelicitatem dolet et Numæ salutem, quod scriptus hæres, hero revalescente proscriptus sit.

1. *Libitina.* Dea funerum præses, lib. VIII, epigr. XLIII; hic sumitur pro iis quæ ad curandum funus pertinent : hoc est, dum rogus paratur, in quo præter arida ligna papyrus quoque ponebatur, ut facilius cremaretur corpus; lib. VIII, epig. XLIV, 14. « Fartus papyro dum tibi torus crescit. » *Levis* dicitur : structus enim papyro rogus videtur esse levis; vel forte melius inconstantem Libitinam hic intelligas, quæ pepercerit Numæ.

Dum myrrham, et casiam flebilis uxor emit;
Jam scrobe, jam lecto, jam pollinctore parato
Hæredem scripsit me Numa : convaluit.

2. *Dum myrrham.* Aromata quippe in rogum injiciebantur.

3. *Pollectore.* codex Beverl. — *Scrobe.* Sepulcro, tumulo. — *Lecto* ferali, quo efferendus erat; et is, ut lectica, τετράφορος, ἑξάφορος vel ὀκτώφορος. — *Jam pollinctore parato.* Νεκραλείπτης. Qui corpus mortui lavat atque ungit, pollinctor dicitur, quasi pellis unctor. Vid. Turnebus lib. XXVIII, cap. 31. His omnibus quæ exsequias indicant declarat Poeta, Numam jam conclamatum et humo conditum fuisse.

4. *Convaluit.* In hac voce jocus est, quasi dicat ideo convaluisse Numam, ut ipse infelix ejus hæreditatem non consequeretur.

XCVIII.

IN PUBLIUM.

Addat quum mihi Cæcubum minister,
Idæo resolutior cinædo,
Quo nec filia cultior, nec uxor,
Nec mater tua, nec soror recumbit;
Vis spectem potius tuas lacernas,
Et citrum vetus, Indicosque dentes?
Suspectus tibi ne tamen recumbam,
Præsta de grege, sordidaque villa
Tonsos, horridulos, rudes, pusillos
Hircosi mihi filios subulci.

1. *Addat quum mihi Cæcubum.* Hoc est effundat. — *Addere* pro *dare* Latinis usitatissimum, præsertim ubi de vino agitur. Noster lib. IX, epigram. xciv, vs. 1 : « Addere quid cessas, puer, immortale Falernum; » et passim. Ed.

2. *Idæo cinædo.* Hoc est, Ganymede. Lib. II, epigr. xliii, vs. 13. — Nonne servulo e Phrygia? Phrygum enim celebratam olim et pulchritudinem et mollitiem. Ed.

5. *Spectem.* Lib. IX, ep. xxvi, 3.

6. *Et citrum vetus.* Mensam citream operis antiqui, et dentes eburneos quibus fulta stat.

7. *Suspectus.* Ad epigr. supra cit.

8. *Præsta de grege*, etc. Præsta ministros incultos.

10. *Subulci.* Gallice, *porchers*.

Perdet te pudor hic : habere, Publi,
Mores non potes hos, et hos ministros.

11. *Pudor.* Alii *dolor ;* recte, ut *Schrevel.* vult et *Barbou.* — *Perdet te pudor.* Quo afficeris dum spectantur tui ministri. Hoc est, ille pudor nocebit tuæ famæ : pudor enim dicitur ob aliquam rem sordidam timor.

12. *Mores.* Castos mores habere nequis, et tam formosos pueros. «Adeo rara est concordia formæ Atque pudicitiæ.» Juv. sat. X, 397.

XCIX.

DE FIGURA SOCRATIS.*

Si Romana forent hæc Socratis ora, fuissent
Julius in Satyris qualia Rufus habet.

* *De statua S.* ed. *Barbou.*

1. *Si Romana.* Hoc est : Si hic Socratis vultus Romano more esset formatus, similis foret severæ fronti Julii Rufi, qui gravitate Socratica in suis Satiris vitia carpit. Ad Rufum Plinius l. V, epist. XXI, et l. VII, epist. XXV. Scriverius aliter explicat. «Hic est, inquit, sensus : Si hæc Socratis imago Romano cultu effingeretur, certe ad vivum exprimeret gravitatem Julii Rufi, qualis deridetur a Satiricis, vel qui refert Satyrum. Namque et Socrates fuit naso simo, et oculis emissitiis, Sileno haud absimilis, uti describitur a Platone et Xenophonte. Vel : Si hæc Socratis imago cultu Romano expressa esset, posset quidem haberi pro effigie Julii Rufi, quæ posita est in Satyris, loco quodam in octava regione urbis, Ubi spectantur quatuor Satyrorum imagines.» Judicet lector.

C.

IN COMMISCENTEM VERSUS OPERI SUO.*

Quid, stulte, nostris versibus tuos misces?
Cum litigante quid tibi, miser, libro?

* *Ad Poetam imperitum* codex scriptus Beverl. et Pulm. *In plagiarium* habet ed. *Barbou.*

1. *Quid, stulte.* Vide ad lib. I, epigr. LIV et LXXIII.

2. *Cum litigante.* Qui tibi litem

Quid congregare cum leonibus vulpes,
Aquilisque similes facere noctuas quæris?
Habeas licebit alterum pedem Ladæ,
Inepte, frustra crure ligneo curres.

ipse intendit, et literarii latrocinii manifestum te declarat. Pariter lib. I, epigr. LIV : « Stat contra, dicitque tibi tua pagina, Fur es. » Ed.

3. *Quid congregare.* Allegorice dictum. Sensus est : Quid nobilibus atque egregiis versibus meis, o insane, conjungis tuos ineptos et viles?

4. *Aquilisque.* Allegorism continuans Poeta, aquilæ noctuam, leoni vulpeculam substituit, comparans nempe, ut prius, his plagiarii versus, illis suos.

5. *Habeas licebit.* Hoc est, commiscens tua carmina cum meis, non magis eris bonus poeta, quam cursor egregius esses, si haberes alterum pedem Ladæ cursoris velocissimi, lib. II, ep. LXXXVI, 8, quum aliunde ligneus alter tibi esset.

CI.

DE CAPITOLINO.*

Elysio redeat si forte remissus ab agro
Ille suo felix Cæsare Galba vetus,
Qui Capitolinum pariter, Galbamque jocantes
Audierit; dicet, Rustice Galba, tace.

* *De Cap. et Galba* cod. Beverl. — Si reviviscat Galba ille nobilis, et Cæsari Augusto ob ingenii acumen et nativum sal dilectissimus, lib. I, ep. XLII, vs. 17, et si jocis salibusque cum Capitolino contendat, rusticus et insulsus præ illo videretur.

1. *Antro* codex Pulmanni. Male, nam quis unquam de Elysiis antris, quamvis de nemoribus, de montibus sæpissime omnes?

2. *Galba.* « Pro *Galba* alii legunt *Gabba* (sic habet ed. *Barb.*), et Dorleans *sua Gaba.* » Schrevel. — *Galba vetus.* Scurra Cæsaris Augusti, de quo jam Noster : « Qui Galbam salibus tuis », etc. — *Felix.* Aliquando dicitur pro, inclytus, nobilis, palmarius in re qualibet. Sic Horat. lib. IV, od. XIII : « Felix post Cynaram, notaque et artium Gratarum facies. » Et aptius de facetiis salibusque dicitur ; qui quum acuti, *felices* nominantur. Quintilianus de Demosthene, Instit. Orat. lib. VI, III, § 2 : « nec displicuisse illi jocos, sed non contigisse. » Quæ autem *contigisse* potuerunt, felicia. Et gallice dicimus : *un mot, un trait heureux*. Ed.

3. *Qui*, etc. Si comparetur cum Capitolino, rusticus dicetur, neque ultra audietur.

CII.

DE PHILENO.*

Qua factus ratione sit requiris,
Qui nunquam futuit, pater Philenus?
Gaditanus, Avite, dicat istud,
Qui scribit nihil, et tamen poeta est.

* *Ad Avitum, de Philæno* ed. *Barbou.*

— Jocus est in Philenum et Gaditanum, quorum alter adulterio uxoris habebat filios, alter alieno carmine sibi vindicato volebat videri poeta.

2. *Philænus* ed. *Barb.* pro *Philenus.*

3. *Gaditanus*, etc. Neque enim dolebat ille ψευδοπάτηρ conjugis sibi adulterio nasci filios: hoc scilicet pacto habiturus quod male salsorum facetiis et scommatibus responsum ingereret; dein jure trium liberorum ornandus, quod plurimis id temporis optatissimum fuit. Unde sic apud Juv. adulter mercenarius, sat. IX, 82: « Nullum ergo meritum est, ingrate ac perfide, nullum, quod tibi filiolus vel filia nascitur ex me » et quæ sequuntur; quæ ingeniosissima quidem et amarissimo sale sparsa cuncta legas, auctor tibi ego vehementissimus sum. Ed.

CIII.

AD MUNICIPES SUOS BILBILITANOS.*

Municipes, Augusta mihi quos Bilbilis acri

* *Suos* omittit codex Palmann. *Biblitanos* pro *Bilbilit.* ed. *Burbou.* nescio an per errorem. *Ad Bilbilitanos agros* edd. vett. — Ut ut sit, Poeta rediturum se brevi in patriam suis civibus denuntiat.

1. *Municipes augusta ... agri* edd. vett. *Bilbilitano* pro *Bilbilis acri.* cod. Beverl. — *Municipes.* Hoc est, O cives Bilbilitani, mei populares.— *Augusta*, etc. Lib. I, ep. L, 3: « Videbis altam, Liciniane, Bilbilim »; ubi egimus etiam de Salone fluvio. Vid. quoque Sidon. Apollinar. cap. 21. Colonia scil. Bilbilis et in æreo Tiberii nummo inscripta *Augusta*, teste Adelpho Occone in Tiberio. Alii leg. *angusta.* Et ut Gruterus inquit, *angusta agri* vocabitur Bilbilis, cui fere nihil additum agri, ob montem in quo ponitur.—*Acri*; Alii legunt *alto:* alibi enim Bilbilim

Monte creat, rapidis quem Salo cingit aquis;
Ecquid læta juvat vestri vos gloria vatis?
Nam decus et nomen, famaque vestra sumus.
Nec sua plus debet tenui Verona Catullo,
Meque velit dici non minus illa suum.
Quatuor accessit trigesima messibus æstas,
Ut sine me Cereri rustica liba datis.
Mœnia dum colimus dominæ pulcherrima Romæ,
Mutavere meas Itala regna comas.
Excipitis reducem placida si mente, venimus;
Aspera si geritis corda, redire licet.

pendulam appellat, ut alto monte sitam fuisse intelligas; sic epigr. in sequenti, et lib. I, epigr. L, jam cit.

2. *Rapidus* edd. Schrevel. *Barb.* Maitt. *Quos* edd. vett. « *Quem* Scriv. et MS. noster. » *Farnab.* Sic dant codd. Pulmann. Beverl. « Pro *cingit* conjiciebam *stringit:* non urgeo tamen. » *De Rooy.*

3. *Ecquid læta.* Vide lib. I. epigramma LXII. A claris poetis multum illustrantur civitates.

5. *Tenui.* Nitido, culto. Volunt alii *tenuem* hic esse elegantem vel levem, λεπτόγραφον, quod versus leviores, teneros, et delicatissimos scripserit. — *Verona.* Sic fere lib. I, epigr. LXIII.

7. *Mensibus* cod. Beverl. — *Quatuor accessit*, etc. Jam per XXXIV, autumnos, quibus vos sacra facitis Cereri, abfui a vobis, vixique Romæ. Epigr. seq. vs. 9.

8. *Rustica liba.* Quæ fiebant ex lacte, sesamo, et melle: Cererem vero ut frugum inventricem colebant rustici.

9. *Dominæ*, etc. Lib. XII, epigr. VIII: « Terrarum Dea gentiumque, Roma. « Vid. quoque lib. I, ep. IV.

10. *Mutavere meas.* Hoc est, canæ factæ sunt meæ comæ.

12. *Aspera*, etc. Ut postea cum stomacho expertus est; si verus ipse in epistola lib. XII. Ultimum distichon vulgo abjudicant Martiali.

CIV.

AD LIBRUM.*

I nostro comes, i libelle, Flacco

* Mittit librum ad Flaccum amicum, quem in Hispaniam iturum monet, uti veteres amicos salutet.

1. *Flacco.* In Hispaniam ituro.

Longum per mare, sed faventis undæ,
Et cursu facili, tuisque ventis
Hispanæ pete Tarraconis arces.
Illinc te rota tollet, et citatus
Altam Bilbilin, et tuum Salonem
Quinto forsitan essedo videbis.
Quid mandem tibi, quæris? ut sodales
Paucos, sed veteres, et ante brumas
Triginta mihi quatuorque visos
Ipsa protinus a via salutes,
Et nostrum admoneas subinde Flaccum,
Jucundos mihi nec laboriosos
Secessus pretio paret salubri,
Qui pigrum faciant tuum parentem.
Hæc sunt : jam tumidus vocat magister,

2. *Sed faventis undæ*. Nota *mare* faventis undæ, pro, placidum mare.

4. *Tarraconis*. Urbis celeberrimæ in Hispaoia, hodie *Tarragona*, a qua denominatur provincia Tarracooensis, io qua erat Bilbilis. Vide epigramma præcedens. Sensus est: Tarraconem usque navigabis, onde Bilbilim essedo veheris.

5. *Tota* MS. Beverl.

7. *Quinto essedo*. Essedum genus vehiculi; quo vectus ait poeta quinto itineris die a Tarracone perveniens Bilbilim.

8. *Scis sodales* Beverlaod.

9. *Brumas Triginta quatuor*. Epig. proxime præced. vs. 7.

11. *Ipsa protinus a via*. Hoc est, statim a tuo adveotu.

14. *Successus* legit *Barb.* ed. *Pretio* dat MS. Beverl. *Spatio* edd. vett. Farnab. *Barb.* quoque. *Pretio paret selibræ* Rutgersius. *De Rooy* vult *Sec. pretio paret, sed illos Qui*, etc. Sed Gronovius : «Immo *pretio*, ut omnes MSS. nec præterea mutandum quidquam : nam *salubre pretium* est modicum, quod facias salva re familiari. Sic Plinius lib. I, epist. XXIV, 5 : « Si prædiolum istud, quod commendatur his dotibus, tam salubriter emerit, ut pœnitentiæ locum non relinquat. » Observaverat hoc jam Salmasius ad Solinum.

15. *Qui pigrum*. Carmina sunt ingenii partus, quorum auctores parentes dicuntur : hoc est, Flaccus (sive Flavus, ut scribunt alii), mihi paret hospitium, ubi otiosus consenescam. — *Qui pigrum*, etc. Ubi rusticetur, otietur, consenescat parens tuus, id est, auctor libri, ego Martialis. Lib. VI, epigr. XLIII, vs. 10.

16. *Timidos* cod. Beverl. — *Tumidus*. Hoc est, imperiosus navarchus. Similis est locus apud Juvenalem, Sat. III, 317 : « Nam mihi

Castigatque moras; et aura portum
Laxavit melior : vale, libelle;
Navem, scis puto, non moratur unus.

commota jamdudum mulio virga Adnuit •, etc. — *Hæc sunt* quæ tibi in Hispaniam meam proficiscenti parens ego tuus maudata velim.

18. *Aura portum Laxavit*. Facultatem dedit solvendi e portu navibus. *Melior*. Quibus e portu solvendum.

19. *Navem*, etc. Non licet navi exspectare unum, qui moram trahit, vectorem. Adagii species: *Unum non exspectat navis;* nam in turba unus vir, nullus vir.

M. VAL. MARTIALIS
EPIGRAMMATUM
LIBER XI.

I.

AD LIBRUM.*

Quo tu, quo, liber otiose, tendis,
Cultus sindone non quotidiana?
Numquid Parthenium videre? certe.

* Librum undecimum domo exire gestientem, et palatia aulamque affectantem coercet, satisque feliciter cum eo actum iri dicit, si in porticibus et circulis ab otiosis legatur. *Rader.* — Quæ jam centies crepuit, v. g. ad lib. I, epigr. IV, lib. II, epigr. I, lib. III, epigr. II, et passim. Cf. Horatii lib. I, epist. XX, ad Vertumnum, et Bolæi nostri elegantissima epist. ad versus suos, cujus illud initium :

J'ai beau vous arrêter, ma remontrance est vaine.
Allez, partez, mes vers, dernier fruit de ma veine. Ed.

1. *Liber otiose.* Quia absolutus erat, atque ita domi otiosus.

2. *Cultus sindone.* Eleganter cultus pumice, minio, cedro, velamine purpureo, etc. ut lib. III, epigr. II. *Sindon* proprie amictus erat levis, vel vestis ex tenui linteo, IV, XIX, 12; at hic est pro velamine libri.

3. *Videre? certe.* Sic Palat. Punctum ad fin. versus omittit *Barb.* edit. *Videre tentas?* edd. vett. et Farnab. — *Parthenium.* Egimus de Parthenio qui Domitiano erat a cubiculo. Quum autem, teste Aurelio Victore, Parthenius interfectus fuerit initio imperii Nervæ, hic vero liber in lucem prodierit, imperante Trajano, dicendum mihi videtur, hunc librum vivo Parthenio inchoatum, et mortuo absolutum atque editum ; nisi dicas ratio-

Vadas, et redeas inevolutus.
Libros non legit ille, sed libellos;
Nec Musis vacat, aut suis vacaret.
Ecquid te satis æstimas beatum,
Contingunt tibi si manus minores?
Vicini pete porticum Quirini;
Turbam non habet otiosiorem
Pompeius, vel Agenoris puella,
Vel primæ dominus levis carinæ.
Sunt illic duo, tresve, qui revolvant
Nostrarum tineas ineptiarum;
Sed quum sponsio, fabulæque lassæ

nem temporum in Epigrammatum libris a Poeta fuisse neglectam.

4. *Vadas.* Sic cod. Pulmanni; quæ pura, ait ille, lectio est. *Irrevolutus* in edd. vett. et MS. Beverl. — *Inevolutus.* Hoc est, non lectus. Contra legem carminis. —Nugatur interpres; nam hæc vox e syllabis ad phaleucos aptis constat. Ed.

5. *Libellos.* Supplicum libellos quos Imperatori a cubiculis exhibet.

6. *Nec Musis vacat*, etc. Quod si vacaret carminibus, certe vacaret suis pangendis, namque et ipse doctus et poeta; ut lib. V, epigr. VI, vs. 2, et lib. XII, epigr. II.

8. *Manus minores.* Vulgi nimirum, non aulicorum.

9. *Vicini pete.* De templo Quirini dictum lib. X. epigr. LVIII, vs. 10; ubi nempe erat porticus, ad quam multi conveniebant confabulaturi.

11. *Pompeius.* Hoc est, porticus Pompeiana, de qua lib. II, epigr. XIV, ubi et de porticu Europes, quæ filia fuit Agenoris.

12. *Vel primæ dominus.* Jasonem intelligit, quem sumit pro porticu Argonautarum, lib. II, epigr. citat. et lib. III, ep. XX. Jason vero omnium primus navigasse fertur a poetis. — *Levis.* Ad navem Argo referunt aliqui, quæ levis dicta est a celeritate: ἀργὸς enim latine velox dicitur: sed ad Jasonem melius referas, qui desultor amorum, ab Hypsipyla transiit ad Medeam, ab hac ad Creusam, a Creusa rursus ad Medeam. Statius, lib. VI. Theb.: « At levis et nondum miseræ mihi notus Iason. » *Gronovius.*

14. *Nostrarum*, etc. Nugas has meas, carmina hæc mea quæ tineis et blattis esca relinquenda. Scilicet per modestiam fictitiam sua extenuat.

15. *Sed quum sponsio*, etc. Nec tamen legent hæc nisi a Circi spectaculis otiosi et lassi, ubi cessarint sponsiones et sermones de factionibus et aurigis. Quum ergo dicit *sponsionem populi*, depositis pignoribus aut pecunia, de alicujus agitatoris victoria factam intelligit. Gallice nunc vocitamus *un pari*. Ed. — *Fabulæque lassæ.* Fabula et fa-

De Scorpo fuerint, et Incitato.

bella illa ætate non pro ficto et composito ad arbitrium sermone, ut priscis Latinitatis temporibus; sed pro sermone quolibet, vel narratione, seu ficta, seu vera, quæ in ore populi versabatur, usurpata est. *Salmas.* — *Scorpus* autem nobilis agitator fuit; et *Incitatus* equus nobilissimus et velocissimus, Circensibus curriculis et palmarum frequentia celebratissimus. Vid. Sueton. in Caligula, cap. 54; Turneb. Advers. lib. VIII, cap. 4; et lib. XVIII, cap. 30.

II.

AD LECTORES.

Triste supercilium, durique severa Catonis
Frons, et aratoris filia Fabricii,
Et personati fastus, et regula morum,
Quidquid et in tenebris non sumus, ite foras.
Clamant ecce mei, Io Saturnalia, versus:
Et licet; et sub te præside, Nerva, libet.
Lectores tetrici, salebrosum ediscite Sanctram;
Nil mihi vobiscum est: iste liber meus est.

1. *Triste supercilium*, etc. Procul, o procul este, facessite hinc, quotquot adestis tristis atque censorii supercilii, gravis tetricæque frontis et compositi vultus.

2. *Filia Fabricii.* Pudica et dura a patre duro. — *Aratoris filia.* Patris gravissimi mores referens.

3. *Personati fastus.* Larva induti, fuco dissimulati. — *Et regula morum;* censura.

4. *Quidquid*, etc. Castitas et luce gaudens pudicitia. Nox enim pudore vacat. Ovid. lib. I, Amorum, eleg. VI.

5. *Bona Sat.* ed. *Barb.* — *Clamant ecce mei.* Saturnalium tempore, magna erat licentia. Macrobius, Saturn. lib. I, cap. 10.

6. *Nerva*, *libet* Bodleianus, duo Gruteri, Pulmanni edd. et Maitt. *Barb.* quod genuinam esse scripturam censet Pulmannus. — *Sub te præside.* Tunc enim magna libertate fruebantur Romani.

7, 8. *Lectores... Nil.* Hos vss. faciunt edd. vett. Delph. Farnab. et Maitt. ut incipiant et terminent tertium Epigramma, cum eodem titulo qui coronat secundum. « Conjungit hoc distichon præcedenti epigr. ex auctoritate MSS. P. Scriverius. » *Farnab.* — *Sanctram.* Qui poeta nec lepidus nec numerosus fuit. Lib. VII, epigr. XX, Sanctræ cujusdam gulosi meminit Poeta. — *Iste liber meus.* Nec vobis convenit propter jocos et facetias.

III.

DE SUIS LIBELLIS.*

Non urbana mea tantum Pimpleide gaudent
  Otia, nec vacuis auribus ista damus;
Sed meus in Geticis ad Martia signa pruinis
  A rigido teritur centurione liber.
Dicitur et nostros cantare Britannia versus.
  Quid prodest? nescit sacculus ista meus.
At quam victuras poteramus pangere chartas,
  Quantaque Pieria prælia flare tuba;
Quum pia reddiderint Augustum numina terris,
  Et Mæcenatem si mihi Roma daret!

* Legi se et ob ingenii acumina et facetias quidem ubique gentium in deliciis esse dicit; sed nihil se inde lucri percipere. Majorem se vatem futurum, ubi majores fuerint Mæcenates.

1. *Non urbana.* Hoc est: Non soli cives romani, non soli otiosi delectantur meis versibus. Mox igitur de locis aget remotissimis, quæ tamen libri ipsius epigrammatici attigere. —*Mea Pimpleide.* Hoc est, Musa mea. Musæ dictæ sunt Pimpleides a Pimplæo Macedoniæ fonte ipsis sacro.

2. *Vacuis.* Otiosis, inanium rerum et ineptiarum cupidis.

3. *Gelidis* cod. Pulmann. — *In Geticis.* De Getis dictum lib. VIII, epigr. XI, et lib. IX, epigr. CII. In Getas vero expeditionem suscepit Trajanus, in cujus castris legebantur versus Martialis.

4. *Rigido centurione.* Probarat modo per illas voces *Geticis pruinis* non in Urbe duntaxat sua perlegi. Per has nunc perspicuum facit, non otiantibus tantum illa nota.

5. *Dicitur et.... Britannia.* Quæ limes fuit novissimus imperii ad septemtrionem, et quæ ab Agricola nuperrime debellata et edomita vix triumphantium romanorum mores, vix linguam recepisse, edidicisse, videbatur. Ed.

6. *Nescit sacculus.* Hoc est, inde non colligo pecuniam quam in sacculum congeram.

9. *Augustum.* Nervam alii. Melius intelligunt alii Trajanum, alterum Augustum Romæ restitutum a Diis. At mihi, inquit Poeta, nullus Mæcenas datur; cujus munificentia in Horatium nota est.

10. *Si tibi* cod. Pulm. — Vid. lib VIII, epigr. LVI, ubi hæc cecinit: « Sint *Mæcenates*, non deerunt, Flacce, *Marones*. »

IV.

PRECATUR DEOS PRO NERVA TRAJANO.*

SACRA, Laresque Phrygum, quos Trojæ maluit hæres,
Quam rapere arsuras Laomedontis opes;
Scriptus et æterno nunc primum Jupiter auro,
Et soror, et summi filia tota patris;
Et qui purpureis jam tertia nomina fastis,
Jane, refers Nervæ; vos precor ore pio:

Ἱερὰ σεμνὰ Φρυγῶν, ἃ πρὸ πλούτου Λαομέδοντος
Ἁρπάζειν Τροίης εἵλετο κληρονόμος·
Καὶ πάτερ ἀϊδίῳ Ζεῦ ἄρτι γεγραμμένε χρυσῷ,
Σύν τε κασιγνήτῃ μουνοπάτωρ θυγάτηρ·
Καὶ σὺ πάλιν χρονικαῖς Νερουᾶ τρίτον οὔνομα δέλτοις,
Ἰᾶνε, φέρων, ὑμῶν εὐαγέως δέομαι·

* *Votum pro N. T. et Senatu* ed. *Barb.* et sic alios legere notat editor Delph. «*Nerva Trajano;* recte. Calderinus nomen *Traj.* omittit.» *Pulm.*

1. *Sacra.* Vittæ, Vestæ et ignis, ἀσβέστῳ, æterne, etc. *Laresque*, etc. Minerva, Jupiter, Juno, quos recenset disticho seq. qui tres aeris regiones referant, unde et *penates* dicti, per quos penitus spirsmus. Vide Macr. Saturn. lib. III. cap. 4. — *Trojæ hæres.* Hoc est, Æneas. Virgil. Æn. II, 717: «Tu genitor cape sacra manu, patriosque Penates», etc. Legunt alii, *Trojæ heros*, et forte melius: Æneas enim non fuit filius Priami, atque ita nec successor, superstitibus nempe Priami filiis et nepotibus.

2. *Laomedontis opes.* Laomedon pater fuit Priami: a pietate Poeta laudat Æneam, qui neglectis opibus Deos flammis eripuit.

3. Sic codice Pulmanni, cui id placet. *Es* in edd. vett. — *Æterno auro.* Hoc est, aurea imagine nunquam peritura effictus es a Trajano.

4. *Et soror.* Juno, et Minerva quæ *tota* est patris Jovis, e cujus cerebro producta sine matre.

5. *Jam tertia.* De Jano lib. VIII, epigr. II, cui sacer mensis Januarius, quo consulum nomina referebantur in Fastos, adeoque Nervæ, qui imperii anno gessit tertium consulatum cum Verg. Rufo: Junius de tertio consulatu Trajani (Ulpiani Nervæ) intelligit. — *Purpureis* etc. Lib. XII, epigr. XXVI, vs. 5.

6. *Nervæ.* Trajani scilicet, qui

Hunc omnes servate ducem, servate senatum;
Moribus hic vivat principis, ille suis.

Τόνδ' Ἀρχὴν, καὶ τὴν Βουλὴν σώζοιτε· καὶ ἡ μὲν
Ἤθεσιν ἡγεμόνος ζώοι, ὁ δὲ σφετέροις.

adoptatus a Nerva Imperatore, ejus nomen retinuit. Vid. supra notatum ad vers. 5.

8. *Hic*, Senatus; *Ille*, Imp. Nerva (i. e. Trajanus). — *Suis*. Sanctissimis nempe.

V.

IN LAUDEM NERVÆ TRAJANI.*

TANTA tibi est recti reverentia, Cæsar, et æqui,
Quanta Numæ fuerat: sed Numa pauper erat.
Ardua res hæc est, opibus non tradere mores,
Et quum tot Crœsos viceris, esse Numam.
Si redeant veteres, ingentia nomina, patres,

Τόσσον σοι, Καῖσαρ, θέμιδος σέβας ἐστὶ δίκης τε,
Ἡλίκον ἔσχ' ὁ Νομᾶς· ἀλλ' ὁ Νομᾶς πένετο.
Ἤθεα μὴ πλούτῳ προδόμεν μέγα θαῦμα, καὶ εἶναι,
Τοσσατίων Κροίσων κρείττον' ἐόντα, Νομᾶν.
Εἰ φωτῶν νίσσοιτο παλίσσυτα φῦλα παλαιῶν,

* *Traj.* omittit Calderinus. *Ad Nervam Trajanum.* ed. *Barb.*

2. *Sed Numa*, etc. Non itaque tam miranda atque ardua res hæc in paupertate erat pietas et sanctitas.

3. *Tradere.* « Conjeceram *prodere*, quod ne nunc quidem displicet plane: a recepta tamen non temere recesserim. » *De Rooy*. — *Opibus*, etc. Non efferri et corrumpi a divitiis. Non tradunt mores opibus, qui adepti imperium et opes, non abutuntur iis ad fastum, aliorum oppressionem et injuriam, qui denique idem est dives, atque pauper erat.

4. *Croceos* cod. Beverl. — *Crœsos viceris*. Divites reges, Decebalum Dacorum, et Armeniæ Parthiæque reges. Xiphilinus in Traj. — Non credo ego hic innui coævos reges. ED. — *Tot Crœsos*. Hoc est, tot divites. Crœsus autem rex fuit ditissimus, cujus historia nota.

5. *Patres*. Gruterus ex Palat. le-

Elysium liceat si vacuare nemus;
Te colet invictus pro libertate Camillus;
Aurum Fabricius, te tribuente, volet.
Te duce gaudebit Brutus; tibi Sylla cruentus
Imperium tradet, quum positurus erit.
Et te privato cum Cæsare Magnus amabit;
Donabit totas et tibi Crassus opes.

Ἐξείη τε κενοῦν πᾶν πέδον Ἠλύσιον,
Αἰρήσει σε Κάμιλλος ἐλευθερίης ὑπὲρ αὐτῆς,
Χρυσὸν Φαβρίκιος, σεῖο διδόντος, ἐλεῖ·
Σοὶ ταγῷ Βροῦτος χαιρήσει, σοὶ παραδώσει
Κῦρος ἄφαρ Σύλλας πᾶν ἀποειπάμενος·
Σοῦ ἰδιάζοντι σὺν Καίσαρι Μάγνος ἐρῴη,
Σοὶ δοίη Κράσσος πλοῦτον ἅπαντα προείς.

gend. contendit *partes*. Cæterum ab hoc versiculo Epigramma novum aliqui ordinntur a præcedenti tetrasticho divisnm. — *Ingentia nomina*. Per appositionem, hoc est, quorum veterum nomina summa in admiratione sunt.

6. *Elysium*. Vide lib. VI, epigr. LVIII, vs. 4.

7. *Volet* edd. vett., Farnabius et Maitt. — *Pro libertate*. Lips. lib. I. Epist. quæst. 5, legit *præ libertate*. quasi dicat, Camillus te principem malit, qnam anam illam libertatem; vel adeo potior eris ipsa libertate. Camillus vero exsul, Dictator creatus ab obsidio Gallorum ingratam partiam liberavit. Livius, lib. V. cap. XLIX.

8. *Fabricius*, etc. Qui senator continentissime in paupertate vivens, munera multa et splendissima sibi a Pyrrho, et aurum a Samnitibus missum repudiavit. De illius abstinentia fuse A. Gellius, Noct. Attic. lib. I, cap. 14.

9. *Brutus*. Qui exactis Tarquiniis Romam in libertatem asseruit, Livius, lib. I, cap. LIX; aut alterum Brutnm Cæsaris percussorem intellige. — *Sylla*. Videantur Plutarch. et Sallustius et alii.

10. *Imperium tradet*. Ut quondam dictaturam deposuit, secessitque Puteolos. Et qnem Cæsar dixit, nescisse litteras, quod fasces abjecerit.

11. *Magnus*. Pompeius nempe, qui cum Julio Cæsare bellum civile gessit fuse descriptum a Lucano. — Namque hoc enm nomine sæpissime designat anctor Pharsaliæ, quem amicum alioquin et optime de se meritnm imitatur Martialis.

12. *Crassus*. Romanus civis ditissimus: Valerius Maximus lib. VI, cap. 11, 2. Plinius lib. XXI, cap. 3.

Ipse quoque infernis revocatus Ditis ab umbris
Si Cato reddatur, Cæsarianus erit.

Εἰ δὲ καὶ ἐγκαλέοιτο, καὶ ἐξ ἀΐδαο νέοιτο
Αὖθι Κάτων, ἔσται καὶ ὅδε Καισάρεος.

14. *Cato.* Uticensis, qui se ipsum interfecit, ne in Julii Cæsaris manus incideret vivus : attamen licet Cæsaris imperium occupantis inimicissimus, se tibi mitissimo principi ultro submitteret.

VI.

AD ROMAM.

Unctis falciferi senis diebus,
Regnator quibus imperat fritillus,
Versu ludere non laborioso
Permittis, puto, pileata Roma.
Risisti : licet ergo, nec vetamur.
Pallentes procul hinc abite curæ;

* *Ad R. et Dindymum* edd. vett. et Delph. *Ad Dindymum de Saturnalibus* cod. Pulmanni.

1. *Unctis falciferi*, etc. Feriis Saturni, falcem gerentis, quod tempus omnia metat : Saturnus enim idem ac Tempns, et Κρόνος, quod illi apud Græcos nomen est, a χρόνῳ tempore perspicuum est derivari. Hoc tempore vero unctæ cœnæ. Tum et festis diebus unguenti plurimns usus. Et in ipsa castra hæc voluptatis lenocinia penetravere. Plin. lib. XIII, cap. 3. « Et quid Saturni feriis unctins? quando cœnæ unctiores et elegantiores? » *Herald.*

2. *Imperat fritillus.* Tunc alea impune ludebant omnes, qua aliis temporibns severissime interdictum : fritilli snnt turriculæ ex quibus ejicinntur aleæ. Videre lubeat snpra, lib. IV, epigr. XIV, vs. 8; et lib. V, epigr. LXXXIV.

4. *Pileata Roma.* Saturnalium tempore servi velut domini pileati incedebant. Turnebus, lib. VIII, cap. 4. Aliis diebus et hi et illi nudo capite eraut, aut caput veste velabant. Itaque veteres nullæ Romanorum statuæ cum pileo visuntur, etc. Lipsius etiam videndus de Amphitheatro, cap. 19.

5. *Risisti.* Risu consentire visa es. Simile quiddam in notissima comœd. *La Métromanie*, act. III, sc. VII.

.........*j'ai ri ; me voilà désarmé.*

6. *Pallentes*, etc. Cf. ep. II, cu-

Quidquid venerit obvium, loquamur,
Morosa sine cogitatione.
Misce dimidios, puer, trientes,
Quales Pythagoras dabat Neroni;
Misce, Dindyme, sed frequentiores.
Possum nil ego sobrius : bibenti
Succurrent mihi quindecim poetæ.
Da nunc basia, sed Catulliana;
Quæ si tot fuerint, quot ille dixit,
Donabo tibi passerem Catulli.

jus initinm : *Triste supercilium*, etc.

9. *Trientes.* De trientibns jam sæpenumero. Vide lib. I, epigr. XXVIII, 2, et passim.

10. *Pythagoras*, etc. Pner e contaminatorum grege, cui nupsit Nero. Tacit. Annal. lib. XV, 37; quem Suetonius, cap. 29 Neronis, Doryphornm nominat.

11. *Dyndime*, etc. Pner, minister. Lib. X, epigr. XLII, et lib. V, epigr. LXXXIII. Dindymi nomen jam notavimus pueris vel spadonibus proprium. Et infra ep. LXXXI occurret exemplum : « Cnm sene communem vexat spado Dindymus Ægl. »

12. *Bibenti*, etc. Hoc est, inquit Farnabius, Calens mero fundam carmina, et exprimam ingenia vel quindecim simnl poetarum.

14. *Catulliana.* Qnoad nnmerum; hoc est, 3300 (lib. VI, epigr. XXXIV, vs. 7), vel infinita. Namque ut ille ait, « quum millia multa fecerimus, Conturbabimns illa, ne sciamus; Aut ne quis, etc. » Catull. ep. V.

16. *Donabo tibi.* Componam versus iis non minus gratos, quos de passere Lesbiæ scripsit Catullus. Suspicabatur Angel. Politianus latitare obscœnnm quiddam sub τῷ *passerem* : sed in irrito videtur.

VII.

AD PAULLAM.

JAM certe stupido non dices, Paulla, marito,
Ad mœchum quoties longius ire voles,
Cæsar in Albanum jussit me mane venire,

1. *Jam certe.* Mortuo Domitiano, cujus imperium prætexebas adnlteriis tuis. *Stupido*, etc. Dolos tuos non sentienti. — *Paulla.* De qua jam lib. I, epigr. LXXV.

3. *Cæsar.* Domitianus, cujus jussu

Cæsar Circeios : jam stropha talis abit.
Penelopæ licet esse tibi sub principe Nerva;
Sed prohibet scabies, ingeniumque vetus.
Infelix, quid ages? ægram simulabis amicam?
Hærebit dominæ vir comes ipse suæ;
Ibit et ad fratrem tecum, matremque, patremque.
Quas igitur fraudes ingeniosa paras?
Dicet et hystericam se forsitan altera mœcha
In Sinuessano velle sedere lacu.
Quanto tu melius! quoties placet ire fututum,
Quæ verum mavis dicere, Paulla, viro.

iu Albanum, ubi quiuquatria celebrabantur, lib. IV, epigr. I, ire se dicebat Paulla. Videntur euim iis temporibus principes mali ad arbitrium suum jussisse vel illustres feminas ad se venire; neque imperatoriam libidinem aut maritus morabatur aut pater: et id quoque Domitianus fecit, quanquam pudicitiæ ut jam sæpe vidimus simulator. Mortuo autem Domitiano, tale jussum jam Paulla prætexere nequibat.

4. *Circæos*. Ald. Junt. Coliu. « *Circeios* reposuit Junius, et *Circæos*, quod in aliis libb. legitur, repulit. » *Pulmann*. — *Circeios*. Promontorium Latii. — *Stropha*. Fallacia est (lib. III, epigr. VII, 6,), et nos Gallica lingua vocamus *tour, détour*; derivatur vero a Græco στρέφω, quod est *vertere*. Ed.

5. *Penelopæ*. Cujus pudicitia a poetis celebrata est.

6. *Ingeniique metus* MS. Pulmanu. — *Scabies*. Pruritus, et vetus tua libido. Quod per has voces *scabies*, *ulcus*, et alia morbis simile aliquid designantia indicabant. Vid. huj. lib. epigr. LX, vs. 2 : « Sed Phlogis ulcus habet, etc. »

7. *Ægram simulabis*, etc. Num amicam ementieris acri morbo detineri et jam morituram iterum atque iterum rogitare se ut adeas?

8. *Hærebit*, etc. Maritus tuus te comitabitur.

11. *Hictericam* habuere edd. vett. omn. quod morbi genus est Gallice *la jaunisse*. Sed. Turnebus Adv. lib. VIII, cap. 4, legendum censet *hystericam*, ut morbus vulvæ intelligatur, qui libidine plerumque levatur : ὑστέρα enim extrema mulieris, vulva. Vid. epigr. LXXII, infra. Lectio autem illa optime cum iis congruit quæ precedunt et quæ sequuntur. Et Turnebo Pulmannus suffragatur, *hystericam* quoque legens. Nos admisimus.

12. *Sinuessano*, etc. Sinuessanæ autem aquæ in Campania feminarum sterilitati aliisque morbis medebantur. Pliu. lib. XXXI, cap. 2. Cluv. Ital. ant. lib. III, cap. 10.

14. *Quæ verum mavis*. Quæ mavis fateri libidinem, quam dolosa excusatione uti.

VIII.

DE BASIIS SUI PUERI. *

Lassa quod externi spirant opobalsama drauci,
  Ultima quod curvo quæ cadit aura croco,
Poma quod hyberna maturescentia capsa,
  Arbore quod verna luxuriosus ager,
De Pallatinis dominæ quod serica prælis,

* Sic aliæ edd. *ad Sabinum* addit *Barb.*

1. *Externi.* Alii *hesterni*, id est, ejus qui nocte præterita ἐκοίμασε. — *Lassa quod*, etc. « Nihil potest magis fatuum hac scriptura dari. *Draucus* non est puer delicatus, sed bene et nimium vir. Quid autem suavius habent odores in aliquo Asiatico, Græco, Ægyptio, quam Italico? Ergo sufficiunt *hesterni.* Nihilo melius : aut ait enim evanuisse illum odorem aut sudore aut spurco opere corruptum esse. Præclare vero codex scriptus Pircheimeri vel Arondellianus : « Lapsa quod externis spirant opobalsama truncis. » Quod nihil est quam, illa peregrina et exotica opobalsama. Sic Seneca : « Dives Sabæis colligit truncis Arabs. » Vid. Diatriben. » *Gronov.* — *Lassa quod.* Quod olent trita et quasi fessa opobalsama delicati pueri ex Asia, Græcia, vel Ægypto Romam advecti. Vid. supra.

2. *Ult. Corycio* edd. vett. Maitt. et Farnab. Gruterus ex optimo codice (Palatino) induxit *quod curvo.* At tentaverant varii varie ; neque enim placebat satis *Corycio.* Et hic juvat notas subjunxisse Antonii *de Rooy*, atque Gronovii. En Antonii, quæ quidem a Schrevelio profluxit. « Grutero præeunte, Scriver. edidit *quod curvo.* Sed, quidquid hic dictet Palat. codex, non puto eam lect. a Martialis manu esse profectam. Quamvis *Corycio* movere vix ausim, dubito tamen an non huc intrusum a manu glossatoris alicujus. Tentavi *quod Lycio.* Quæ tamen conjectura si minus arriserit, vide an sequenti album calculum adjicere malis, *quod Cilici.* » Gronovius: « Recte Gruterus, *quod curvo;* et sic etiam Pircheimerianus. Sed male explicant de referente nescio quos curvos arcus, dum cadit in theatro. Immo *curvo* est marcescente et ultimas emittente vires. Ovidius : « Marcida demittant subito caput illa gravatum. » Recte; et vid. ad id lib. III, epigr. LXV, et lib. IX, epigr. XXXIX.

3. *Poma quod*, etc. Adi rursus lib. III, epigr. LXV. — *Capsa.* Qua poma hieme servantur.

5. *Dominæ.* Augustæ nempe vestimenta serica seu syntheses. Pallatinis recondita prælis, lib. II, epigr. XLVI.

Succina virginea quod regelata manu,
Amphora quod nigri, sed longe fracta, Falerni,
Quod qui Sicanias detinet hortus apes,
Quod Cosmi redolent alabastra, focique Deorum,
Quod modo divitibus lapsa corona comis;
Singula quid dicam? non sunt satis; omnia misce:
Hoc fragrant pueri basia mane mei.
Scire cupis nomen? nil præter basia dicam;
Jurasti: nimium scire, Sabine, cupis.

6. *Relegata* Ald. Junt. Colin. aliæ edd. vett. Nostram lectionem præ se fert cod. scriptus Pulmanni. — *Regelata.* Sic ut lib. III, epigr. XCIII, virgineæ manus attritu quæ legit aut diu tractavit calefacta, lib. V, epigr. XXXVIII. — Equidem crediderim incidisse hic Nostro in mentem de annulis qui e succino mulieribus usitatissimi et tanti fere æstimati quanti ex auro et gemmis ornati. Ed.

7. *Nigri Falerni;* nigri enim coloris Falernum; et id sæpe Noster ingerit. Sic lib. VIII, epigr. LVI, vs. 14: « Marmorea fundens nigra Falerna manu. » Rursus ejusd. lib. epigr. LXXVII, vs. 5: « Candida nigrescant vetulo crystalla Falerno. » Ed. — *Sed longe*, etc. Odora enim per aerem diffusa gratiora sunt: propius autem admota obstruunt sensorium.

8. *Sicanias*, etc. Siculas apes, mellificia Hyblæa, ex quibus nempe optimum mellis genus.

9. *Cosmi redolent*, etc. Myropolæ, hisce temporibus notissimi. Vid. lib. I, epigr. LXXXVIII. — *Alabastra.* Pyxides unguentariæ ex alabastro. — *Focique Deorum.* Sacella scilicet, aræque multo thure ardentes.

10. *Laxa* exhibet Pulmanni cod. « Subit, scripseritne fortassis Hispanus noster *Qui modo dividuis.* » *De Rooy.* — Solebant ante solennes aut magnificas epulas coronari et unguentis comam largius perfundere et Græci et Romani. Ditiores autem patet delicatissimis et optimæ notæ unguentis qualia sunt nardus, amomum, malobathrus Syrius, etc. usos esse; servanda ergo religiose lectio vulgaris, et Antonii conjectio respuenda. — *Divitibus* nardo et unguento delibutis.

13. *Nil præter basia dicam.* Alii qualis codex Pulmann. et edit. *Barbou.* « Si propter basia dicam. » — *Jurasti, nimium* scilicet. » Sensus est: Si nomen solummodo scire cupis basiorum causa, dicam: id ipsum confirmas juramento; o Sabine, altius aliquid juramentum istud premit: aliis verbis, hoc est, amore ejus deperis; itaque absit dicam nomen.

14. *Juro tibi* edd. vett. et Farnab. *Jurasti* habet MS. Pulmann. — *Nimium scire*, etc. Aliquid ultra basia cupis, qui de pueri nomine quæris. Vid. not. ad vers. præc.

IX.

DE STATUA MEMORIS.*

CLARUS fronde Jovis, Romani fama cothurni,
Spirat Apellea redditus arte Memor.

* *De statua*. Melius *De pictura* (quod in ed. *Barbou*), quum Apelles pictor fuerit nobilissimus, non vero statuarius, lib. VII, epigr. LXXXIV.

1. *Clarus fronde Jovis*. Hoc est, ornatus querna corona. Quæ poetis attributa qui severi argumenti et nobilis versus conabantur, dum Elegiarum, Epigrammatum, Eclogarum scriptoribus de hedera corona decernebatur. Sic Virgilio Eclog. VI, 68. Linus fingitur: « Floribus atque apio crines ornatus amaro. » Sic Noster suam Domitiano offerens, lib. VIII, epigr. LXXXII, 8: « Fiet et ex hedera civica nostra tibi. » — *Cothurni*. Qui tragicorum proprius fuit, lib. III, ep. XX, vs. 7.

2. *Apollinea* habet codex scriptus Pulmanni; male. — *Spirat*. Vox poetis usitata, et iis quicumque audacius eloquuntur ad designanda et statuariæ et picturæ miracula. Virgilius, Æn. lib. VI, 848: « Excudent alii spirantia mollius æra, etc. » Statius: « Phidiacum spiravit ebur. » Item Nostras *Lebrun*, lib. VI, od. XIV.

La toile a respiré sous le feu du pinceau!
Tous ces marbres vivants sont les fils du ciseau! Ed.

— Cætera, si legas *Apellea*, vid. supra not. 1; si *Apollinea*, statuam Memoris intellige in Apollinis templo inter aliorum poetarum pictas imagines collocatam.

X.

DE TURNO.

CONTULIT ad Satyras ingentia pectora Turnus.
Cur non ad Memoris carmina? frater erat.

1. *Turnus*. Cujus meminit lib. VII, epigr. XCVII, vs. 8, non scripsit tragœdias, ne fratris Memoris æmulus videretur. Vid. quoque lib. XII, epigr. XLIV.

2. *Cui* MS. Beverl. *Carmina frater eas* MS. Pulmann. — *Carmina*. Heroicane, an tragica? epigr. præced. vs. 1. — *Frater erat*. Cessit illius carminis gloriam fratri, neque voluit se illi æmulum ingerere, ut Unicus. Lib. XII, epigr. citat.

XI.

AD PUERUM SUUM.*

Tolle, puer, calices, tepidique toreumata Nili,
Et mihi secura pocula trade manu,
Trita patrum labris, et tonso pura ministro;
Antiquus mensis restituatur honor.
Te potare decet gemma, qui Mentora frangis
In scaphum mœchæ, Sardanapale, tuæ.

* *Ad pocillatorem suum* ed. *Barb.*

1. *Toreumata.* Vid. ad lib. IV, epigr. XXXIX, 4. Poeta intelligit vasa crystallina, quæ ex Ægypto Romam afferebantur.—*Tolle, puer, calices.* Amove elaboratos calices vitreos, ex Ægypto Romam allatos. Noster, lib. XIV, epigramm. CXV: « Aspicis ingenium Nili: quibus addere plura Dum cupit, ah quoties perdidit auctor opus! » — *Tepidi.* Quia magnus, et quem vix sustineas in Ægypto calor. Juvenalis, Sat. X, 148: « Africa Mauro percussa Oceano, Niloque admota tepenti. »

2. *Secura manu.* Hoc est, pocula quæ e manibus lapsa non franguntur; vel quorum fractorum parva sit jactura.

3. *Trita patrum.* Quibus usi sunt majores.—*Et tonso pura.* Ministrata non a comato et delicato, sed a rudi atque simplici puero.

4. *Antiquus honor.* Urnarum et calicum fictilium. Et revocentur prima sæcula, priscorum sæculorum parcimonia et frugalitas.

5. *In scaphium* edd. vett. et Maitt. Farnab. *Barb.* Ibidem *Sardanapalle* Ald. Junt. Colin. —*Qui Mentora.* Id est: Tu, o Sardanapale (divitem et effeminatum sic designat; nam Sardanapalus rex fuit opulentus et mollis, de quo Diodorus Siculus lib. VIII.), qui frangis « Pocula Mentorea nobilitata manu », quod dixit lib. IX, epigr. LX, 16, ut nempe matula conficiatur tuæ mœchæ, dignus es, qui bibas impuro illo poculo gemmis ornato. Alii sic legunt, « Te potare decet gemma, qui Mentora frangis? In scaphio mœchæ, Sardanapale, tuæ. » Hoc est: Magis tibi convenit matula tuæ mœchæ, in qua bibas, quam pocula gemmata quæ frangis.

XII.

IN ZOILUM.*

Jus tibi natorum vel septem, Zoile, detur;
Dum matrem nemo det tibi, nemo patrem.

* Zoilus quamvis notus, nesciebatur tamen unde esset natus; quem, jus trium liberorum petentem, irridet.

1. *Jus tibi.* Non petebatur jus nisi trium liberorum, lib. II, epigramm. XCI, 6. At, inquit Poeta, vel septem, vel plurium liberorum jus obtineat Zoilus, semper tamen obscurus erit, et terræ filius.

XIII.

EPITAPHIUM PARIDIS PANTOMIMI.*

Quisquis Flaminiam teris, viator,
Noli nobile præterire marmor.
Urbis deliciæ, salesque Nili,
Ars et gratia, lusus et voluptas,
Romani decus, et dolor theatri,

Ὅστις Φλαμινίην τρίβεις, ὁδῖτα,
Ἔνδοξον τόδε σῆμα μὴ παρέρχου.
Τερπωλὴ πόλεως, ἄθυρμα Νείλου,
Τέχνη, καὶ χάρις, ἡδονή, κρότημα,
Σκηνῆς Αὐσονίης κλέος τε, κἄλγος,

* *Epitaphium Paridis* Ald. Junt. Colin. *Pantomimi* omittunt quoque edd. Par. 1617, et Farnab.

1. *Quisquis Flaminiam.* Vide lib. VI, epigr. XXVIII, huic simile, et lib. IX, epigr. XXIX.

2. *Marmor.* Id est, sepulcrum e marmore nobilissimo et pretiosissimo effectum.

3. *Salesque Nili.* Ægyptii nempe lepido atque acuto ingenio valentes audiebant.

5. *Romani decus.* Plauti epitaphium apud Gellium, lib. I, cap.

Atque omnes Veneres, Cupidinesque,
Hoc sunt condita, quo Paris, sepulcro.

Καὶ πᾶν χρῆμα καλῶν, ἐρωτικῶν τε,
Τῷδ', ᾧ καὶ Πάρις, ἠρίῳ τέθαπται.

24, reperire est huic satis simile.
7. *Paris.* Snetonius in Domitiani cap. 3 : « Deinde uxorem suam Domitianus, ex qua in secnndo suo cousnlatu filinm tulerat, Paridis histrionis amore deperditam repudiavit. » Quin Paridem interfici jussit Domitianus, ut constat ex Dione in Domit. — Hujus Paridis meminit Juvenalis, VI, 87, et passim, et creditur tacite meminisse de quodam Adriani amasio; quam ob causam in exsilinm pulsus est, octogesimo prope ætatis anno. Ed.

XIV.

DE COLONO.*

Hæredes, nolite brevem sepelire colonum;
Nam terra est illi quantulacumque gravis.

* *De colono ad hæredes* Thuanæus exhibet codex.
1. *Sepelire colonum.* Qui, qnnm sit brevis staturæ, vel levissimæ terræ ferendæ non erit par : Poeta autem ludit in hac formula «, sit tibi terra levis, » de qua lib. I, epigrammate LXXXIX.

XV.

DE LIBRO SUO.*

Sunt chartæ mihi, quas Catonis uxor,
Et quas horribiles legant Sabinæ.
Hic totus volo rideat libellus,

* *Ad Apollinarem, de l. s.* editio *Barbou.*
— Ait poeta esse sibi libellos quos legant castissimæ et pudicissimæ matronæ. Sed hunc librum totum lascivire vino dissolutum, unguentis delibutum, nequitias loquentem et amores.

Et sit nequior omnibus libellis;
Qui vino madeat, nec erubescat
Pingui sordidus esse Cosmiano.
Ludat cum pueris, amet puellas;
Nec per circuitus loquatur illam,
Ex qua nascimur, omnium parentem,
Quam sanctus Numa mentulam vocabat.
Versus hos tamen esse tu memento
Saturnalicios, Apollinaris.
Mores non habet hic meos libellus.

6. *Cosmiano.* Hoc est, unguento Cosmi, de quo lib. I, epigramm. LXXXVIII, vs. 2. — Quod mox affore vina et petulantiam et ebrietatem denuntiat.

8. *Nec per circuitus*, etc. Plane et aperte; verbis, ut ait Flaccus, inornatis, dominantibus et rem proprie signantibus. Lib. III, epigr. LXVIII, vs. 7.

10. *Quam sanctus*, etc. Quam prisci illi probique majores nostri non erubescebant proprio nomine indigitare, et tanquam rudes Macedones, ligonem ligonis nomine appellare.

13. *Meus* edd. vett. et Farnab. — *Meos* Donsæ et Grutero arrisit. Merito. Referamur enim ad distichum celeberrimum, quod sæpe citavimus: « Lasciva est nobis pagina, vita proba est. » Deinde aliquid nequitiæ et lepidæ audaciæ inest pudicum sese affirmanti, et identidem tantum pudicitiæ suæ aliquid deroganti. Mihi, inquit, o Apollinaris, probi mores; at libello minime: non mihi similis libellus. En.

XVI.

AD LECTORES.

Qui gravis es nimium, potes hinc jam, lector, abire
Quo libet: urbanæ scripsimus ista togæ.
Nam mea Lampsacio lascivit pagina versu,

2. *Urbanæ togæ.* Plebi, et otiosis Quiritibus. Sic Juvenalis, IX, 11: « salibusque intra pomœria natis. »

3. *Lassato* MS. Beverl. et vs. 4 *Tarpesiaco*, et vs. 6 *fecit* pro *licet*, et vs. 8 *si stata vina bibas* vel *bibes*. — *Lampsacio.* Priapeio: Lampsacus urbs est Mysiæ, septemtrionem

Et Tartessiaca concrepat æra manu.
O quoties rigida pulsabis pallia vena,
Sis gravior Curio, Fabricioque licet!
Tu quoque nequitias nostri lususque libelli
Uda puella leges, sis Patavina licet.
Erubuit, posuitque meum Lucretia librum;
Sed coram Bruto: Brute, recede, leget.

versus, ubi Priapus colebatur. Ortelius ab aliquibus fuisse collocatam dicit inter Parium et Priapum ad Hellespontum. Ovidius, Trist. I, x, 26: « Et te ruricola, Lampsace, tuta Deo. »

4. *Tartessiaca.* Vide lib. VII, epigr. XXVIII. — *Concrepat æra manu.* Lib. VI, epigr. LXXI, 1: « Edere lascivos ad Bætica crusmata gestus », etc.

5. *Vena.* Usitata in his vox. Persius, sat. VI, 72: « Quum morosa vago singultiet inguine vena. » Ed.

8. *Uda puella leges.* Vide Juven. Sat. X, vs. 321. *Patavina licet.* Patavinæ inter Italas mulieres audiebant castæ et pudicæ, seu quia septentrionem versus sita loca et perpetua glacie rigentibus montium jugis propiora habitantes, minus in venerem projectæ illæ erant, seu quia Urbis expertes et spurcissimæ quæ tunc urbem obtinebat luxuriæ, provincialium feminarum virtutem et rusticitatem et, quasi *Patavinitatem* quamdam suam servaverant. Ed. Cf. Plin. junior. lib. I, epist. XIV, 6; et Nostrum, lib. VI, epigr. XLII, vs. 4.

10. *Sed coram Bruto*, etc. Lucretia ipsa, absente Bruto viro gravissimo, leget meos libros.

XVII.

AD SABINUM.

Non omnis nostri nocturna est pagina libri;
Invenies et quod mane, Sabine, legas.

Οὔ τοι πᾶσα βίβλου σελὶς ἡμετέρας πέλε νυκτός·
Εὑρήσεις ὅ,τι καὶ ἦρι, Σαβῖνε, μάθῃς.

1. *Nocturna.* Quam noctu tantum legas, id est petulans, atque impudica. Vid. sup. epigr. II, 3: « Personati fastus, et regula morum, Quid quid et in tenebris non sumus. »

2. *Invenies.* Versus scilicet, quos etiam sobrius possis legere, salva verecundia.

XVIII.

IN LUPUM.*

Donasti, Lupe, rus sub Urbe nobis;
Sed rus est mihi majus in fenestra.
Rus hoc dicere, rus potes vocare?
In quo ruta facit nemus Dianæ,
Argutæ tegit ala quod cicadæ,
Quod formica die comedit uno,
Clausæ cui folium rosæ corona est;
In quo non magis invenitur herba,
Quam costi folium, piperve crudum;
In quo nec cucumis jacere rectus,
Nec serpens habitare tota possit.
Erucam male pascit hortus unam;
Consumpto moritur culex salicto;
Et talpa est mihi fossor, atque arator.
Non boletus hiare, non mariscæ
Ridere, aut violæ patere possunt.

* *Ad Lupum* Schrevel. Maitt. et Farnab. — Suburbanum prædiolum poetæ donarat fœnerator Lupus, ad quem sunt plura epigrammata. Hoc Poeta mirifice κατὰ μείωσιν per varias comparationes extenuat; ac tandem paranomasia concludit, malle se prandium, quam tale prædium. *Rader.* — Sic fere lib. VIII, ep. XXXIII, phialam sibi exiguam datam irridet; Ubi vide. Ed.

1. *Donasti, Lupe.* Huic geminum vide II, Antholog. Luciliani Ἀγρὸν Μηνοφάνης, etc. — *Rus sub Urbe.* Prædiolum suburbanum.

2. *Majus in fenestra.* Hic comparationes incipiunt, per quas donum extenuat Poeta.

4. *Ruta.* Herbæ genus, gallice *de la rue.* Nemora Dianæ sacra.

9. *Cosmi* Thuan. cod. — *Quam costi folium.* Radix est peregrina eximio odore, Plinius lib. XII, cap. 12. — *Crudum* piper dicit, h. e. acre, vel nondum maturum.

10. *Latere* Vaticanus cod.

12. *Urticam* MS. Beverlandi. — *Erucam*, etc. Vermiculum, qui olera depascitur.

13. *Salicto.* Salictum idem quod salicetum, locus salice consitus.

15. *Boletus.* Optimum fungi ge-

Fines mus populatur, et colono
Tanquam sus Calydonius timetur,
Et sublata volantis ungue Procnes
In nido seges est hirundinino;
Et quum stet sine falce, mentulaque,
Non est dimidio locus Priapo.
Vix implet cochleam peracta messis,
Et mustum nuce condimus picata.
Errasti, Lupe, litera sed una;
Nam quo tempore prædium dedisti,
Mallem tu mihi prandium dedisses.

nus. Adi Juv. sat. V, 146 : « Vilibus ancipites fungi ponentur amicis, Boletus domino. » — *Mariscæ*. Ficus sunt insipidæ : alias marisca ulceris genus est.

18. *Sus Calydonius*. Celeberrima bellua quam ad conficiendam principes omnes Græciæ coiere. De hac jam supra lib. Spect. epigr. xv. Vid. volum. primum, pag. 25, sq. Ep.

19. *Procnes*. Quæ fuit in hirundinem mutata, cujus historia satis nota : hoc est, tota seges mei prædii vix sufficit conficiendo uni hirundinis nido.

21. *Et quum stet*, etc. Nec dimidio Priapo vel inermi locus est. Lib. I, epigr. xxxvi, vs. 5, et 15, et lib. III, epigr. lviii, vs. 47.

23. *Cochlear* pro *cochleam* exhibet codex manuscriptus Beverl. Parum autem interest.

24. *Nuce picata*. Resina nempe et pice oblinebantur vasa, quibus vinum condebatur, ne spiritus vini subtiliores evanescerent. Juv. sat. IX, 58 : « Nam quis plura linit victuro dolia musto. »

25. *Litera*. « Pulmanni cod. legit *literis duabus*, sed vitiose. » *Marg. ed. Paris.* 1617.

27. *Mallem tu*. Hoc est, litera una mutata, mallem prandium accepisse quam prædium.

XIX.

IN GALLAM.*

Quæris cur nolim te ducere, Galla? diserta es.

* Pete hujus epigrammatis ingenium et expositionem a Juvenal. Sat. VI, vs. 448 ad 457. Ad. Lucilii item epigr. lib. II, cap. 46 Anthologiæ, τῇ χειρὶ σολοικίζει. Martialis inquit Brodæus Lanuvii ad portas non arrigens, dicit : « Sæpe solœcismum », etc.

1. *Diserta est* exhibebant edd. vett. omnes. Male.

Sæpe solœcismum mentula nostra facit.

2. *Solœcismum*. Notum ubique et omuibus qualis Σολοικισμὸν inter et Βαρβάρισμον differentia, nec nos de iis dispntare tentabimus, sed unde vox illa derivetur edocere. Duæ uempe fuere olim civitates quibus nomen Soli aut Solæ, in Cilicia hæc, illa in insnla Cypro. Cujus quum incolæ Græca quidem, sed ea corrupta et grammatices præceptis minns consentanea lingua uterentur, σολοικίζειν dictum fuit pro male et semibarbare loqui. Cæterum vid. not. 1. Ed.

XX.

AD LECTOREM GRAVEM.*

Cæsaris Augusti lascivos, livide, versus
Sex lege, qui tristis verba Latina legis:
Quod futuit Glaphyren Antonius, hanc mihi pœnam
Fulvia constituit, se quoque uti futuam.
Fulviam ego ut futuam? Quid si me Manius oret
Pædicem, faciam? non puto, si sapiam.
Aut futue, aut pugnemus, ait. Quid, quod mihi vita
Carior est ipsa mentula? signa canant.
Absolvis lepidos nimirum, Auguste, libellos,
Qui scis Romana simplicitate loqui.

* *Ad lectores* ed. *Barb.*

1. *Cæsaris*, etc. Duo primi versus sunt Martialis, ut et duo ultimi: hexastichon intermedium Augusti erat: quod citat Poeta ad excusandam carminis sui lasciviam. — *Livide*. Pro *invide*, *Zoile?* an pro, tristis, severi et tetrici vultus? Eligat lector.

3. *Quod futuit*, etc. Fulvia uxor Marci Antonii (inquit Octavius), incitante Manio, quo ulciscatur mariti sui petulantiam in Glaphyra, sese offert mihi corrumpendam, immo petit: nego, horreoque non minus quam si me Manius oret ut, etc. Interminata deinde mihi bellum civile ni faciam, posthabeo ipsam vitam pudicitiæ. — *Mihi*. Lepide. Nam marito pœnæ irrogandæ erant, quas sibi a Fulvia imponi fingit Octavius.

4. *Ego fut.* cod. Pulmann.

9. *Absolvis*, etc. Apostrophe Poetæ ad Augustum; vid. not. 1.

10. *Simplicitate*. Id est, « non per circuitus locutus illam Ex qua nascimur », etc. Vid. sup. ep. xv, 8.

XXI.

IN LYDIAM.

LYDIA tam laxa est, equitis quam culus aheni;
Quam celer arguto qui sonat ære trochus;
Quam rota transmisso toties intacta petauro;
Quam vetus a crassa calceus udus aqua;
Quam quæ rara vagos exspectant retia turdos,
Quam Pompeiano vela negata Noto;
Quam quæ de phthisico lapsa est armilla cinædo,
Culcita Leuconico quam viduata suo;
Quam veteres brachæ Britonis pauperis, et quam
Turpe Ravennatis guttur onocrotali.
Hanc in piscina dicor fututisse marina.
Nescio : piscinam me fututisse puto.

1. *Lassa* Val. — *Equitis*, etc. *Equitis* pro *equi* positum censet cum aliis Brodæus Miscell. lib. X, cap. 33.

2. *Trochus*. Lib. XIV, ep. CLXVIII.

3. *Rota petauro*. Turnebus *petaurum* putat esse lignum per rotam a petaurista trajectum, lib. VIII, cap. 4. Cornelius Vitellius contra Georgium Merulam, cap. 13, contendit petaurum ipsum esse petauristam qui se transmittit per rotam quasi in aere volantem, unde nomen. Vide Mercur. lib. III, de arte gymnastica cap. 8.

4. *Crassa*. Cœnosa.

6. *Quam Pompeiano*, etc. Quam vela theatri Pompeiani (vide l. IX, epigr. XXXIX, 6), quæ jacent laxa, ubi non tument sublata ventis.

7. *Delphitico* edd. vett. Vid. Not. Var. Unde est sensus, Quas Delphi mittunt, inquit Domitius. P. Scriverius reponit *de phthisico*, etc.; hoc est, tabe diutina ac phthisi consumptis armillæ laxæ excidunt.

8. *Culcitra* Ald. Juni. et Colin. *Leuconio* edidit Schrevel. Probanda videtur nostra scriptura magis. — *Leuconico*, etc. Lanæ genere, quo culcitræ farciebantur. Pulmannus legit, *Culcita, quam pluma quæ viduata sua est*. Vide, lib. XIV, epigramma CLIX.

9. *Brachæ*, etc. Femoralia quæ Britannis et Gallis in usu. De quibus vide quæ Jos. Scalig. ad lib. IV Propertii, et Is. Casaub. ad Suet. August.

10. *Ravennatis*, etc. Scil. in Ravennæ paludibus degentis. — *Onocrotali*. Avis quæ Æliano, lib. XVI Hist. Animalium, cap. 4. Cela esse videtur. Gillius ibidem onocrotalum esse autumat, dictum a ruditu asini, ex ὄνος et κρόταλον. Conf. et Plinius, lib. X, cap. 47.

XXII.

IN PÆDICONEM MASTURBANTEM.

Mollia quod nivei duro teris ore Galesi
Basia, quod nudo cum Ganymede jaces,
Quis negat hoc nimium? sed sit satis : inguina saltem
Parce fututrici sollicitare manu.
Levibus in pueris plus hæc, quam mentula, peccat;
Et faciunt digiti, præcipitantque virum.
Inde tragus, celeresque pili, mirandaque matri
Barba, nec in clara balnea luce placent.
Divisit natura mares : pars una puellis,
Una viris genita est : utere parte tua.

1. *Duro teris ore.* Barbato. — *Galesi.* Pueri.

6. *Præcipitantque virum.* Ante tempus accelerant ætatem, faciem, et opus virile.

7. *Tragus*, etc. Hircus, fœtor alarum. Virus autem hirci redolent illi qui rem agunt veneream, quique ea ætate sunt quæ Veneri sufficit, spiritu non coquente humorem, ut in pueris. Arist. Problem. et ab eadem causa pili, maxime in locis humidis. Lud. Cælius lib. X, cap. 54.

8. *Nec.* Ne appareant pilosi. Leves videri cupiebant Veteres.

XXIII.

IN SILAM.*

Nubere Sila mihi nulla non lege parata est;
Sed Silam nulla ducere lege volo.
Quum tamen instaret, decies mihi dotis in auro

* *In Syllam* Ald. Junt. Colin. Et hoc more scribunt in epigrammate.

1. *Nulla non.* Hoc est, qualibet id conditione redimendum ei sit. Et eas infra vide quæ enumerat.

3. *Decies.* Vide tabulas primi voluminis. Ed. — *In auro.* Hoc est, aurea moneta, aureis nummis.

Sponsa dabis, dixi : quid minus esse potest?
Nec futuam quamvis prima te nocte maritus;
Communis tecum nec mihi lectus erit.
Complectarque meam, nec tu prohibebis, amicam;
Ancillam mittes et mihi jussa tuam.
Te spectante dabit nobis lasciva minister
Basia, sive meus, sive erit ille tuus.
Ad cœnam venies : sed sic divisa recumbes,
Ut non tangantur pallia nostra tuis.
Oscula rara dabis nobis, sed non dabis ultro;
Nec quasi nupta dabis, sed quasi mater anus.
Si potes ista pati, si nil perferre recusas;
Invenies qui te ducere, Sila, velit.

5. *Nec fut.* In hoc septemque qui sequuntur versiculis et thalamo et coitu vetulæ huic secum interdicit.
16. *Velim* malit Ant. *De Rooy.*

XXIV.

AD LABULLUM.*

Dum te prosequor, et domum reduco,
Aurem dum tibi præsto garrienti,
Et quidquid loqueris facisque laudo,
Quot versus poterant, Labulle, nasci?
Hoc damnum tibi non videtur esse,
Si quod Roma legit, requirit hospes,
Non deridet eques, tenet senator,
Laudat caussidicus, poeta carpit,

**Ad Fabullum* Pal.

1. *Dum te prosequor*, etc. Dum cliens te saluto, deduco, reduco, tibi obsequor, assentor atque ejusmodi præsto officia, perit dies, pereunt studia carminaque. Ejusdem ingenii vide lib. I, epigr. LXXI, et lib. X, LXXXII.

6. *Quid* cod. Palm. et Farnab

8. *Poeta carpit.* Poetæ enim invi-

Propter te perit? hoc, Labulle, verum est?
Hoc quisquam ferat, ut tibi tuorum
Sit major numerus togatulorum,
Librorum mihi sit minor meorum?
Triginta prope jam diebus una est
Nobis pagina vix peracta : sic fit,
Quum cœnare domi poeta non vult.

det poeta. — *Carpit.* Vellicat et reprehendit, pro more æmulantium artificum et invidentium; invidis autem displicere, felicitatis argumento est. Lib. IV, epigr. LXXVII, et lib. VI, epigr. LXI, vs. 4. Sic pulchra nimis mulier mulieri parum placet. Cæterum hunc sensum culpat Gronovius.

9. *Hoc verum est?* An credibile, an æquum est? Sic Horatius : « An quodcumque facit Mæcenas, te quoque verum est, Tanto dissimilem, et tanto, etc. »

10. *Tibi tuorum*, etc. Me addito cæteris tuis clientibus.

14. *Sic fit.* Ut negligantur studia, dum tecum cœnare cupio.

XXV.

IN LINUM.

Illa salax nimium, nec paucis nota puellis,
Stare Lino desit mentula : lingua, cave.

1. *Salax;* id est lasciva, pruriens. Horatins lib. I, sat II : « caudamque salacem. » Nempe creditum antiquis sale excitari libidinem. Crediderim tamen libentius τὸ *salax* esse a *salire*. Ed.

2. *Lingua, cave.* Lib. I, epigr. LXXVIII, 6, et hoc lib. LXI infra.

XXVI.

AD TELESPHORUM PUERUM.*

O mihi grata quies, o blanda, Telesphore, cura,
Qualis in amplexu non fuit ante meo!

* *Thelesph.* edd. Junt. et Farnab.

1. *Blanda cura.* O amor, deliciæ-

Basia da nobis vetulo, puer, uda Falerno,
  Pocula da labris facta minora tuis.
Addideris super hæc Veneris si gaudia vera,
  Esse negem melius cum Ganymede Jovi.

que domini tui, o omnibus venustior quos amavi!

3. *Falerno*. De Falerno jam sexcenties; de *Falerno vetulo*, lib. I, epigr. XIX, vs. 1.

4. *Facta minora*. Trita, degustata labris tuis. « Et qua tu biberis, hac ego parte bibam. » Ovid. Amor. lib. I, Eleg. IV, vs. 32.

6. *Jovi*. Pro hoc *De Rooy* conj. *Jovem*. Sed vulg. defendit amicus hujus V. C., dum ad eum scribit. — *Ganymede*. De quo sæpius. Vid. lib. I, epigr. VII, et passim.

XXVII.

AD FLACCUM.*

Ferreus es, si stare potest tibi mentula, Flacce,
  Quum te sex cyathos orat amica gari;
Vel duo frusta rogat cybii, tenuemve lacertum,
  Nec dignam toto se botryone putat;
Cui portat gaudens ancilla paropside rubra
  Alecem, sed quam protinus illa voret;
Aut quum perfricuit frontem, posuitque pudorem,
  Succida palliolo vellera quinque petit.

*Rogat Flaccum quo pacto amare possit meretriculam diobolarem, quæ ut redimatur tota sufficit peculiolæ xeuiolive vel minimum. Ed.

1. *Stare potest*, etc. In amica vili, quam exiguo pretio redemisse licet, ut quæ poscat sex vini cyathos, duo frusta cybii, etc.

2. *Dati* cod. Pulmanni; vid. not. inf. *dare* quidem edd. vett. — *Orat amica gari*. Et sic Gruterus ex Palat. legit, quod et commentaria Calderini agnoscunt. *Garum* liquamen ex pisce. Gall. *saumure*.

3. *Cybii*. Piscis e pelamidum genere. Vide lib. V, epigr. LXXVIII, 5.

4. *Botryone putat*. Ovis sepiarum, non racemo, ut vult Domitius.

5. *Parapside* Gruter. legit, et sic dat Pulm. cod. — *Paropside rubra*. Lance fictili. Rubra enim ut plurimum quam argillam figulinam vocant

7. *Aut quum*, etc. Quod si majore cum fiducia velit magnum quiddam rogare, poscit paululum lanæ

At mea me libram foliati poscat amica,
Aut virides gemmas, sardonychasve pares;
Nec nisi prima velit de Tusco serica vico,
Aut centum aureolos, sic velut æra, roget.
Nunc tu velle putas hæc me dare dona puellæ?
Nolo : sed, his ut sit digna puella, volo.

illotæ ad palliolum conficiendum.

9. *Foliati poscat amica.* Unguenti ex foliis nardi aliisque foliis odoratis. Vide Plinium et Paucirolum.

10. *Pares.* Geminas.

11. *Prima.* Optima. — *Tusco serica vico.* Textura sericarum et bombyciuarum vestium exercebatur in Tusco vico Romæ.

12. *Num tu.* Sic MS. Bodleian. *Donare* pro *dare dona* habent cod. Palat. et ed. *Barb.*

XXVIII.

DE NEPHRITICO, SED PHRENETICO.*

INVASIT medicum sica nephriticus, Aucte,
Et præcidit Hylan : hic, puto, sanus erat.

* *De nephritico seu phrenetico* editio Farnab. *De phrenetico medico* edd. vett. *De phren.* ed Maitt. *De Nasica* ed. *Barb.* Et cod. *Ad Auctum* Pulmanni.

— Refert de quodam qui quum medici puerum deperiret, phreneticum, id est, mente captum et amentia in furias sæpe versum sese finxit. Et hinc quum medici domum intravisset, adstantibus una et hoc et puero, utrumque velut furore correptus invasit, at hunc (namque pudet clarius eloqui) ira, necaturo similis, illum vero, nec sica nec ut qui necaturus. Ludus autem; at qui minus interest ad intelligendum totum in *invasit*, et *præcidit :* quem enim furiosus invaserat, is procul dubio occidendus, *præcidendus* videbatur. Id autem num accidit? Minime, sed in hunc irruit, illum præcidit. *Præcidit* vero duplicem sensum habere jam notavimus, neque *occidit* duntaxat sonare, sed et *viro utitur quasi muliere.* ED.

1, 2. *Medicus sica phreneticus Eucli* edd. vett. *Medicum Nasica phr. Aucti* cod. Pulmann. *Medici Nasica phreneticus Aucti* ed. *Barb. At medicum phreneticus, Aucte* ed. Maitt. *Percidit* ed. *Barb.* — Qoid de iis et scripturis et conjecturis existimandum e nota prima nostra, si rem modo attigimus, facillime pervidendum lectori est. ED.

XXIX.

AD PHYLLIDEM.

LANGUIDA quum vetula tractare virilia dextra
Cœpisti, jugulor pollice, Phylli, tuo.
Nam quum me murem, quum me tua lumina dicis;
Horis me refici vix puto posse decem.
Blanditias nescis : Dabo, dic, tibi millia centum,
Et dabo Setini jugera culta soli;
Accipe vina, domum, pueros, chrysendeta, mensas.
Nil opus est digitis : sic mihi, Phylli, frica.

2. *Jugulor pollice*, etc. Sic « Mentula mensque cadit », lib. VII, epigr. XVIII, vs. 12.

3. *Vitam* pro *murem* edd. vett. et Farnab. « *Murem* in Miscellan. etiam A. Politianus defendit : nam, quod in Pulm. cod. est, *fratrem*, mutatum videtur et suppositum pro *murem*. » Marg. ed. Par. 1617. Vid. Not. inf. — *Murem (Vitam)*, etc. Lib. X, epigr. LXVIII. *Murem* legit Angelus Politianus cap. 96 Miscel. quasi dicat salacissimum : ita enim esse mures scribit probatque fere Ælianus lib. XII, de Animalibus.

5. *Blanditias nescis*, etc. Quæ mihi placeant : neque enim excitor fricantis et vexantis vetulæ blanditiis; sed pretio, sed muneribus. ED.

7. *Chrysendeta, mensas*. Lib. II, epigr. XLIII.

8. *Sic mihi, Phylli, frica*. Conjeci dederitne f. Poeta (*Nil o. e. d.*) *dic mihi, Phylli; fricas*. » *De Rooy*. — Audacius *promissa quæ fricant*. Cf. Juven. sat. VI, 296 : « Quod enim non excitet inguen Vox blanda et nequam? digitos habet! » ED.

XXX.

IN ZOILUM.

Os male caussidicis et dicis olere poetis;
Sed fellatori, Zoile, pejus olet.

1. *Os male*. Propter maledicta hæc? An studio diutino impedita concoctione? Lib. IV, epigr. IV.

2. *Fellatori*. Tibi nempe. De Zoilo quodam mentio supra, IV, LXXVII, et V, LXXIX.

XXXI.

IN CÆCILIUM.*

Atreus Cæcilius cucurbitarum
Sic illas, quasi filios Thyestæ,
In partes lacerat, secatque mille.
Gustu protinus has edes in ipso,
Has prima feret, alterave cœna,
Has cœna tibi tertia reponet.
Hinc seras epidipnidas parabit;
Hinc pistor fatuas facit placentas;
Hinc et multiplices struit tabellas,
Et notas caryotidas theatris;
Hinc exit varium coquo minutal,
Ut lentem positam fabamque credas;
Boletos imitatur, et botellos,

* *In Cæcilianum* edd. Schrevel. et Maitt. quod nec admittunt in epigramma, nec possunt.
— Irridet sordide lautum Cæcilium, qui non asse comparabat centum fercula.

1. *Atreus*. Hoc est; qui dissecat cucurbitas, velnti Atreus filios fratris sui Thyestæ. Sen. in Tragœd.

4. *Edens* MS. et marg. ed. Paris 1617. — *Gustu protinus in ipso*. Hoc est, in cœnæ exordio, lib. X, epigr. XXXI, in secunda pariter et tertia mensa apponebantur cucurbitæ.

5. *Prima feret*. Caput, pompa, flos cœnæ. Vid. loc. citat. X, epigrammate XXXI. — *Alterave cœna*. Secunda mensa ibid. Vide et Rosin. lib. V, Antiq. Rom. cap. 29.

7. *Epidinnicas* cod. Beverlandi. — *Epidipnidas*. Bellaria intellige: quæ in secundis mensis apponebantur, a verbo ἐπιδειπνέω, id est, secundam cœnam perago.

8. *Fatuas facit placentas*. Insipidas et insulsas, e cucurbitis.

6. *Tabellas*. Hoc est, quadras de placenta, ut dixit lib. III, epigr. LXXVII, vs. 3: « Nec te liba juvant, nec sectæ quadra placentæ. »

10. *Caryotidas*. Quæ sunt baccæ palmarum; videre est ad lib. VIII, epigr. XXXIII, vs. 11.

11. *Minutal*. Cibus erat ex variis rebus minutim concisis factus.

12. *Ut lentem*. Hoc est, ut pultem existimes confectam ex lente et faba.

13. *Botellos*. Genus nempe farciminis, de quo lib. V, epigr. LXXVIII.

Et caudam cybii, brevesque mænas;
Hinc cellarius experitur artes,
Ut condat vario vafer sapore
In rutæ folium Capellianæ.
Sic implet gabatas, paropsidasque,
Et leves scutulas, cavasque lances.
Hoc lautum putat, hoc putat venustum,
Unum ponere ferculis tot assem.

14. *Cybii.* Piscis genus. De quo vide lib. V, epigr. LXXVIII, vs. 5.— *Mænas.* Pisciculos, de quibus Athenæus lib. VIII, cap. 18, et Plin. XXXII, cap. 18, Bip. Hos vocitamus *anchois.*

15. *Hinc cellarius.* Promus, promuscondus. Vide Beroaldum in Servium.

16. *Ut credat* Grut. ex Palat. legit.

17. *Ruta Capelliana* ed. *Barb. Rute Capelliana* Ald. Junt. Colin. *Rutæ Capelliana* ed. Par. 1617. *Ut condiat v. v. s. Inrutæ folio Capellianus.* Sic. *De Rooy* legi vult. — *In rutæ folium.* I. e. instar folii rutæ Capellianæ, sic denominatæ vel a capillorum multitudine, vel a capris sylvestribus quæ illam depascunt.

18. *Parapsidesque* Palat. — *Gabatas, paropsidasque.* Lances sunt varii generis.

20. *H. l. vocat* ed. vett. et Farnab. Legit Gruterus *putat:* ex quo cæteri.

21. *Unum assem ponere.* Totum convivium asse comparare.

XXXII.

IN NESTOREM.*

Nec toga, nec focus est, nec tritus cimice lectus,
Nec tibi de bibula sarta palude teges;

* Codex Thuan. pro *In*, ut plerumque, habet *Ad.*

1. *Nec toga, nec focus est.* Describit hoc epigrammate Martialis insiguem, non paupertatem, sed extremam inopiam ac mendicitatem; nec dubito quin Aristophanem imitari voluerit in Pluto: ubi πενίαν a πτωχείᾳ eleganter distinguit. *Herald.* — *Nec toga.* Sed vilis aliquis pannus. Ἀνθ' ἱματίου μὲν ἔχειν ῥάκος, ut ait Aristophanes; et sic Catullus, epigr. XX, *Furi, quoi neque servus est, neque arca*, etc. vide et Nostrum, lib. I, epigr. XCIII. — *Nec tritus cimice lectus.* Atqui lectum ejusmodi mendico non negat Aristophanes: ἀντὶ δὲ κλίνης στιβάδα σχοίνων κορέων μεστήν.

2. *Nec tibi de bibula sarta palude*

Nec puer, aut senior, nulla est ancilla, nec infans,
Nec sera, nec clavis, nec canis, atque calix.
Tu tamen affectas, Nestor, dici atque videri
Pauper, et in populo quæris habere locum.
Mentiris, vanoque tibi blandiris honore:
Non est paupertas, Nestor, habere nihil.

teges. Sed nec tu tegetem habes pro peristromate et stragulo. Φορμὸν dicit Aristophanes. Nec teges seu storea ex ulva, scirpo, seu canna palustri.

4. *Nec sera*. Sensus est : Nec habes servum atriensem, nec canem, qui januam custodiat.

5. *Noster* MS. Bev. — *Tu tamen*. Lib. VIII, epigr. XIX : « Pauper videri vult Cinna; et est pauper. »

6. *Et in populo quæris habere locum*. Et id cupis, id moliris ut inter cives romanos locum habere videaris, uti proletarius saltem inscribaris et capite censearis. Ed.

8. *Non est paupertas*. Sed mera mendicitas; pauperes enim non sunt qui nihil omnino habent, sed mendici appellandi.

XXXIII.

DE PRASINO.

Sæpius ad palmam Prasinus post fata Neronis
Pervenit, et victor præmia plura refert.

Ὁ Πράσινος μάλα πυκνὰ δεδουπότος ἆθλα Νέρωνος
Ἄρνυτο, νικητὴς πολλάκι κῦδος ἑλών.

1. *Sæpius ad palmam*, etc. Prasinæ factioni (cui favebat Nero) obstrepebant aliarum factionum fautores, vicisse suos aurigas non propria virtute, sed gratia Imperatoris. Respondet iis Poeta falsum hoc esse, postquam Nerone mortuo et huic factioni frequens cedat palma. Incredibilis Veterum traditur ἱππομανία, quæ in quatuor divisa partes (nam quatuor erant colores agitatorum) sæpe ad manus, cædem et insignem cladem pervenit. Favebat una pars et potissima Prasinæ factioni, quæ viridata aurigabatur, altera Venetæ, cærulæ : tertia Russæ, luteæ, croceæ, purpureæ, roseæ, qui colores omnes ad unam factionem *russam* pertinent : quarta, Albæ. Quibus duas postea Domitianus adjunxit, argenteam et auream. *Rader*.

I nunc, Livor edax, dic te cessisse Neroni;
Vicit nimirum, non Nero, sed Prasinus.

Βάσκ' ἴθι, βασκανίη, εἶξαι ψεύδοιο Νέρωνι.
Οὐχ ὁ Νέρων νίκησ', ἀλλ' ὁ μόνος Πράσινος.

3. *Tu* exhibent edd. vett. —*Dic te cessisse Neroni*. Te nempe Neronis iram et « Diis æquam potestatem » timuisse, et quæ tua merito fuisset palmam imperatoris clienti concessisse. Ed.

XXXIV.

DE APRO.*

Ædes emit Aper, sed quas nec noctua vellet
Esse suas; adeo nigra, vetusque casa est.
Vicinos illi nitidus Maro possidet hortos.
Cœnabit belle, non habitabit Aper.

* *In Aprum* ed. *Barb.*

1. *Ædes emit*. Optimo quidem consilio, ut nempe sæpius ad cœnam invitaretur a nitido et lauto Marone suo vicino.

3. *Illic* MS. Beverl.

XXXV.

AD FABULLUM.

Ignotos mihi quum voces trecentos,
Quare non veniam vocatus a te,
Miraris, quererisque, litigasque.

Ἀγνώστους καλέσας ἐμοὶ τοσούτους,
Τί κληθεὶς ὑπὸ σεῖο οὐ πάρειμι,
Θαυμάζεις, ἐρίσας τε πολλὰ μέμφῃ·

1. *Trecentos* pro *multos* hic dici crediderim ut μυρίους græce, sexcentos latine, et gallice *vingt*, *cent*, *mille*. Ed.

Solus cœno, Fabulle, non libenter.

Δειπνῶ δὴ ἀέκων μόνος, Φάβουλλε.

4. *Solus*. Idem scilicet videtur Martiali vel solum epulari vel inter tot ignotos. Et merito. Ubi enim, plurimis adstantibus qui se invicem omnes norunt, nullum nosti, peregrinus es quodammodo, neque contubernii aut convivationis voluptatem ullam capis.

XXXVI.

DE CAIO PROCULO.*

Caius hanc lucem gemma mihi Julius alba
  Signat, io! votis redditus, ecce, meis.
Desperasse juvat, veluti jam rupta sororum
  Fila : minus gaudent, qui timuere nihil.
Hypne, quid exspectas piger? immortale Falernum
  Funde : senem poscunt talia vota cadum.
Quincunces, et sex cyathos, bessemque bibamus,
  Caius ut fiat, Julius, et Proculus.

* Soteria Caii Proculi celebrat, præter spem vitæ restituti. Suspicor hunc ipsum Proculum fuisse, ad quem exstat epistola XV Plinii lib. III, ex qua discis poetam fuisse. Hujus vero Proculi mentionem fecit Poeta lib. I, epigr. LXXI.

1. *Gemma alba*. Sicut *albus lapillus*. De hac formula dictum lib. VIII, epigr. XLV.

2. *Redditus*, etc. Convalescens et restitutus ex morbo desperato.

3. *Desperasse*. Vitam Proculi.— *Sororum*. Parcarum nempe, quæ humanæ vitæ fila, illæ nent, hæc secat.

4. *Minus gaudent*, etc. Gnome. E summa tristitia sæpe nascitur maxima lætitia. — Sic Virgilius, Æneid. lib. I, 203 postquam navigantium et errantium enumerata mala : « Forsan et hæc olim meminisse juvabit. » Ed.

5. *Hypne*, etc. Puer, minister. — *Immortale*. Quia melius fit annis : et quo vetustius eo generosius. Lib. IX, epigr. XCIV, vs. 1.

6. *Senem poscunt*. Ut et lib. IX, epigr. XCIV, vs. 2 loc. modo citat.

7. *Quincunces*, etc. De hoc more ebibendi nomen amici, vide lib. I, epigr. LXXII; hic autem quincunx respondet τῷ *Caius* : τῷ *Julius*, semis, id est, 6 cyathi : τῷ *Proculus*, bes, id est, 8 cyathi. Adito quoque lib. I, epigr. XXVIII, vs. 2.

XXXVII.

IN ZOILUM.*

ZOILE, quid tota gemmam præcingere libra
Te juvat, et miserum perdere sardonycha?
Annulus iste tuis fuerat modo cruribus aptus;
Non eadem digitis pondera conveniunt.

* Zoilum e servo equitem factum exagitat; ejusque superbiam et humilitatem exprimit.

1. *Quid tota gemmam.* Juven. sat. I, 28, sic invehitur in Crispinum: « Ventilet æstivum digitis sudantibus aurum, Nec sufferre queat majoris pondera gemmæ. »

2. *Et miserum.* Hoc est, occultare nimio auro.

3. *Tuus* MS. Beverl. — *Annulus iste.* Imprudens nempe Zoilus declarat quæ sibi conditio vitæ, quis status ante datam equitis dignitatem, dum annulos ita prægraves et prægrandes digitis inserit. Nam annuli ferrei servientibus in crure, qui grandes et graves; digitos leves et exigui decent. Vide lib. III, epigr. XXIX: « Has cum gemina compede dedicat catenas, Saturne, tibi Zoilus, annulos priores. » Ed. Zoilus autem, ut patet, ex servo factus erat modo eques, et sic ejus cruribus magis quam digitis conveniebant annuli.

XXXVIII.

DE MULIONE SURDO.

MULIO viginti venit modo millibus, Aule.
Miraris pretium tam grave? surdus erat.

1. *Aucte* ed. *Barb.* et sic alii legunt, notante Farnab. — *Viginti millibus.* Nempe sestertium. Vid. tabul. monet. in volum. primo.

2. *Surdus erat.* Atque ita delator esse nequibat, si forte ejus dominus liberius quid dixisset; nec de criminibus sui domini a quoquam interrogandus erat. — Difficillimum vero locupletiori arcanum factis, arcanum dictis circumdedisse: « O Corydon, Corydon, secretum divitis ullum Esse putas? servi ut taceant, jumenta loquuntur, Et canis, et postes, et marmora! etc. » Juven. sat. IX, 102. Ed.

XXXIX.

IN CHARIDEMUM.

Cunarum fueras motor, Charideme, mearum,
Et pueri custos, assiduusque comes.
Jam mihi nigrescunt tonsa sudaria barba,
Et queritur labris puncta puella meis.
Sed tibi non crevi : te noster villicus horret;
Te dispensator, te domus ipsa pavet.
Ludere nec nobis, nec tu permittis amare;
Nil mihi vis, et vis cuncta licere tibi.
Corripis, observas, quereris, suspiria ducis;
Et vix a ferulis abstinet ira manum.
Si Tyrios sumpsi cultus, unxive capillos;
Exclamas, Nunquam fecerat ista pater.
Et numeras nostros astricta fronte trientes,
Tanquam de cella sit cadus ille tua.
Desine : non possum libertum ferre Catonem.
Esse virum jam me dicet amica tibi.

1. *Motor*, etc. Alii, *monitor*, id est, infantiæ pueritiæque moderator. Minus tamen bene. — *Motor*, Hoc est, mihi infanti cunas movisti.

3. *Sudaria*. Lintea, quæ demessam modo a tonsore barbam excipiunt.

4. *Juncta*. MS. Beverl. — *Labris* etc. A rasura asperis durisque.

5. *Sed tibi non crevi*. Sed judice te nequaquam crevi; nondum adolevisse me existimas, et me ut impuberem redarguis.

7. *Nedum* pro *nec tu* malit *de Rooy*. Ingeniosius quam verius.

10. *Temperat ira tua* præfert idem *de Rooy*. — *Ferulis*. « Ferulæque tristes, sceptra pædagogorum. » Lib. X, epigr. LXII. Ed.

11. *Si Tyrios....... cultus*. Vestes purpureas intellige.

13. *Et numeras*. Sensus est : Numeras quot hauriam cyathos.

15. *Liber tum* Thuan. cod. — *Catonem*. Hoc est, Libertum tolerare nequeo, qui Catonem, seu censorem se gerat.

16. *Decet*. Beverl. MS. — Male. Gloriatur hic nequam adolescentulus institutori se amicam subripuisse, aut simpliciter, cum amica rem viriliter habuisse. Ed.

XL.

DE LUPERCO.

FORMOSAM Glyceren amat Lupercus,
Et solus tenet, imperatque solus;
Quam toto sibi mense non fututam
Quum tristis quereretur, et roganti
Causam reddere vellet Æliano;
Respondit, Glyceræ dolere dentes.

4. *Quum tristis*. Quum caussatus est dolorem dentium in ea obstitisse quo minus potiretur amica, aperte fatebatur *se* capiti Glyceræ illudere. Idem est ironiæ genus infra, epigr. LXXXVIII, 4, cujus iste finis: «Ventrem dixit habere se solutum.» Vid. quæ ibi notantur.

XLI.

DE AMYNTA.*

INDULGET pecori nimium dum pastor Amyntas,
  Et gaudet fama, luxuriaque gregis;
Cedentes oneri ramos, sylvamque fluentem

Τὴν ἀγέλην περίαλλα φιλῶν ὁ συφορβὸς Ἀμύντας,
  Χαίρων τ' εὐκλείῃ ποιμνίου εὐτραφέος,
Εἴξαντας βαρέϊ κλαδαροὺς κατεβρίσατο κλῶνας,

* Allegoricum est epigramma, quo deplorat casum Amyntæ pastoris, de arbore præcipitantis.

1. *Indulget*, etc. Dum vehementi studio saginat porcos.

2. *Et gaudet fama*. Hoc est, inquit Farnabius, dum laudem quærit ex pinguibus factis suibus. *Luxuria* hic significat pinguedinem.

3. *Cedentes*. Sensus est: Amyntas conscendit quercum glandibus onustam, et incurvatam, cujus ramis fatiscentibus, et cedentibus oneri, nec tamen fractis, cecidit Amyntas; atque excussas opes, hoc est, glandes, secutus periit.

Vicit, concussas ipse secutus opes.
Triste nemus diræ vetuit superesse rapinæ,
Damnavitque rogis noxia ligna pater.
Pingues, Lygde, sues habeat vicinus Iolas;
Te satis est nobis annumerare pecus.

Σειομέναις βαλάνοις αὐτὸς ἐπισπόμενος.
Οὐ θέλε τῇ λώβῃ περιεῖναι ἀνάρσιον ὕλην,
Ἀνδροφόνον τε πατὴρ δένδρον ἔκαυσε πυρί.
Κτάσθω, Λύγδε, σύας πιμελῇ φλιδόωντας Ἰόλλας·
Ἀρκοῦμαι δ' ὑπὸ σοὶ σωζομένοισι βοτοῖς.

4. *Decussas* vult Anton. *de Rooy*.
5. *Diræ rapinæ*. Amyntæ scilicet sui filii, in cujus rogo arborem patulam nempe excisam comburi jussit.
7. *Pingues*. Sensus est : O Lygde, ne invideas alieno pecori, nec nostrum nimis cures, sed cave tibi a simili casu; sufficit enim te nullum ex suibus nostris amittere.
8. *Annumerare pecus*. Non studio, quo Amyntas, saginam properare.

XLII.

IN CÆCILIANUM.*

Vivida quum poscas epigrammata, mortua ponis
Lemmata : qui fieri, Cæciliane, potest?
Mella jubes Hyblæa tibi, vel Hymettia nasci;
Et thyma Cecropiæ Corsica ponis api?

* Egregium carmen sine egregio argumento fieri posse negat.
1. *Vivida*. Hoc est, nobilia et præclara. — *Mortua*. Vilia atque abjecta.
2. *Quid* edd. vett. *Quis flere* MS. Beverl. — *Lemmata*, etc. Lib. X, epigr. LIX, vs. 1.
3. *Mella Hyblæa, vel Hymettia*. Vide supra lib. II, epigr. XLVI; lib. VII, epigr. LXXXVIII, et lib. IX, epigr. XXVII.
4. *Et thyma Corsica*. Amara scilicet, ex quibus vel apes Atticæ mel dulce conficere nequeant. Sic se api, argumentum vero flori tacite comparat Poeta, Horatium imitatus, qui lib. IV, od. II, 27 : « ego apis Matinæ More modoque Grata carpentis thyma », etc.

XLIII.

IN UXOREM.*

DEPRENSUM in puero tetricis me vocibus, uxor,
Corripis, et culum te quoque habere refers.
Dixit idem quoties lascivo Juno Tonanti?
Ille tamen gracili cum Ganymede jacet.
Incurvabat Hylam posito Tirynthius arcu;
Tu Megaram credis non habuisse nates?
Torquebat Phœbum Daphne fugitiva: sed illas
Œbalius flammas jussit abire puer.
Briseis multum quamvis aversa jaceret,
Æacidæ propior levis amicus erat.
Parce tuis igitur dare mascula nomina rebus;
Teque puta cunnos, uxor, habere duos.

* *Ad uxorem* exhibet ed. *Barb.*

1. *Deprensum in puero.* Ea nimirum hora deprehensum qua puero potiebar, neque simpliciter conjugi infidelem, neque ut quodam modo par est, sed ἀρσενῶς κἀντιφυσικῶς. Ed.

4. *Grandi* MS. in marg. ed. Par. 1617, et ed. *Barb.* et sic alii legunt, notante editore Delph.

5. *Incurvabat*, etc. Verbum solenne ad designandum turpe ministerium. Eodem sensu Juven. Sat. IX, 26: « Ipsos etiam *inclinare* maritos. » Et sic fere Sat. X, 224. Similiter fere de feminis κλίνειν. Vid. Theocr. Idyll. II. — *Tirynthius arcu*, Hercules, a Tirynthe oppido, ubi nutritus est cultusque.

6. *Megaram*, etc. Uxorem primam Herculis quam quidem adolescentulus et viginti vix annis natus duxit; mox ab inferis reversus, amentia subita correptus, interfecit. Vid. Euripidis Ἡρακλῆς μαινόμενος, et Senecæ Hercules furens. Ed.

7. *Daphne.* Quam quidem primam Apollo deperiit, postquam Pythonis victor evasisset. Nota fabula et virginis in laurum arborem mutatio. Ed.

8. *Œbalius*, etc. Hyacinthus, ex Amyclis Laconiæ civitate. Vide lib. XIV, epigr. CLXXIII.

9. *Briseis multum.*, etc. Brisei filia Hippodamia, Achillis amica, qua rapta ita exarsit ut in naves secederet, et adversus Trojanos præliari negaret.

10. *Levis amicus erat.* Patroclus imberbis et glaber.

11. *Parce tuis igitur*, etc. Ne putes illam partem esse in feminis æque gratam atque in maribus: lib. XII, epigr. XCVII.

XLIV.

AD SENEM ORBUM.*

Orbus es, et locuples, et Bruto consule natus;
Esse tibi veras credis amicitias?
Sunt veræ : sed quas juvenis, quas pauper habebas.
Qui novus est, mortem diligit ille tuam.

* *Ad senem orbum de amicis* cod. Thuan. — Monet senes, ut sibi caveant a captatoribus testamentorum et fictis amicis.

1. *Bruto consule.* Hoc est, decrepitus es : Brutus exactis regibus primus consul fuit. Formulæ sic multæ hyperbolicæ de extrema senectute, X, xxxix : «Consule te Bruto quid juras, Lesbia, natam? Mentiris! nata es, Lesbia, rege Numa.»

4. *Mortem diligit*, etc. Captator est et hæredipeta adulatorius, vultur assidens, qui mortem tuam cupit, cadaver exspectat; ut lib. VI, epigr. LXIII, vs. 2.

XLV.

IN CANTHARUM.

Intrasti quoties inscriptæ limina cellæ,
Seu puer arrisit, sive puella tibi;
Contentus non es foribus, veloque, seraque,

1. *Lintea.* Vide Burmannum ad Petron. — *Inscriptæ limina.* Titulum professæ et habentis nomen inscriptum lupæ, quæ ibi merebatur. Juv. Sat. VI, 122. *Cellæ.* Gloss. *cella*, οἴκημα. Servulorum proprie receptacula, et illæ partes ædium abstrusiores, ubi servi habitant, *cellæ* dicuntur. Sed *cellæ* sæpe cubilia meretricum, φωλεοὶ ἑταιρῶν. Erant vero *cellæ* non ipsa lupanaria, sed receptacula in lupanaribus, in quibus erant plures cellæ, tanquam cubicula, ubi scorta prostabant. Quæ et præfixos habebant titulos, ubi nomina meretricum, quæ et ibi merebantur, inscripta erant; ita ut qua quæque cella staret, ex inscriptione nosse posses. Juv. Sat. VI, 120 de Messalina : «Et nigrum flavo crinem», etc. Cæterum nudæ stabant meretrices, ut eas inspicere possent amatores, ne qua occulta labe fallerentur.

3. *Veloque, seraque.* Vid. et conferre lubeat lib. I, epigr. xxxv,

Secretumque jubes grandius esse tibi.
Oblinitur minimæ si qua est suspicio rimæ,
Punctaque lasciva quæ terebrantur acu.
Nemo est tam teneri, tam sollicitique pudoris,
Qui vel pædicat, Canthare, vel futuit.

vs. 5; item Juv. Sat. VIII, vs. 168.

4. *Secretumque*, etc. Grandius scelus cogitas, grandius secretum postulas.

5. *Suspectio* cod. in marg. ed. Paris. 1617, et editio Matt.; et sic legend. plane, notat Flosculus.

6. *Lasciva acu*. Calamiatro nempe lasciviæ et gratarum improbarumque artium conscio. « Acu lasciviore comam sibi inserunt », ait Tertullianus de virgine velanda cap. 12.

7. *Nemo..... Qui vel pæd.* Κατ' ἀντίθεσιν, neque illepide. Sic Seneca, Natural. Quæst. lib. I, cap. 16 : « In perditis quoque et ad omne dedecus expositis tenerrima oculorum verecundia est. » Et mox : « Adeo quodammodo lupanar quoque verecundum est! » Et ipse Noster, lib. IX, epigr. VII : « Pudor esse per te cœpit et lupanari. » ED.

XLVI.

IN MÆVIUM.

JAM, nisi per somnum, non arrigis, et tibi, Mævi,
Incipit in medios meiere verpa pedes;
Truditur et digitis pannucea mentula lassis,
Nec levat exstinctum sollicitata caput.
Quid miseros frustra cunnos, culosque lacessis?
Summa petas : illic mentula vivit anus.

1. *Et tibi nervus* cod. MS. in marg. ed. Par. 1617.

2. *Et medios* Ald. Junt. Colin. Farnab. *Et medicos* ed. Par. 1617. *In medios* melius esse notat Schrev. et post eum editor Delph.

3. *Pannucea*, etc. Debilis, laxa, rugosa, quod et de pomis dicitur. Plinius, Hist. Nat. lib. XV, cap. 15, et Macrobius, Saturnalium lib. III, cap. 19.

5. *Quid frustra c. c. l. inepte* cod. in marg. ed. Par. 1617.

6. *Summa petas*. Os. — *Illic mentula vivit anus.* » Lib. IV, epigr. L. Vide quoque lib. III, LXXVI.

XLVII.

IN BLATTARAM.*

OMNIA femineis quare dilecta catervis
 Balnea devitat Blattara? ne futuat.
Cur nec Pompeia lentus spatiatur in umbra,
 Nec petit Inachidos limina? ne futuat.
Cur Lacedæmonio luteum ceromate corpus
 Perfundit gelida Virgine? ne futuat.
Quum sic feminei generis contagia vitet,
 Cur lingit cunnum Blattara? ne futuat.

* *In Lattaram* cod. manu exaratus, quem citant in marg. ed. Paris. 1617. Quam rationem servat in Epigrammate.

3. *Pompeiam* id. MS. — *Pompeia*, etc. Porticn Pompeii, lib. II, epigr. XIV, vs. 10.

4. *Inachidos limina*, etc. Isidis porticum seu templnm, ubi conventus et colloquia de adulteriis. « Multos illa facit, quod fuit ipsa Jovi. » Ovidius II de Arte. « Isiacæ sacraria lenæ. » Juvenal. Sat. VI, vs. 490.

5. *Lacedæmonio luteum*. Palæstram invenisse tradebantur, certe exercebant Lacedæmonii. — *Ceromate corpus*. Lib. V, LXV, 3.

6. *Virgine*, etc. Aqua frigida, lib. V, epigr. XX, vs. 9.

XLVIII.

IN SILIUM ITALICUM.*

SILIUS hæc magni celebrat monumenta Maronis,
 Jugera facundi qui Ciceronis habet.
Hæredem dominumque sui tumulive Larisve

* *Italicum* omittunt edd. Paris. 1617 et Farnab. *De Silio* Ald. Junt. Colin. *De Silio Italico poeta* ed. *Barb.*

1. *Hic* MS. in marg. ed. Paris. 1617. — *Silius*. De quo lib. VII, epigr. LXIII. Virgilii sepulcrum in agro Neapolitano assidue coluit Silius, et Ciceronis villam emit, teste Plinio lib. XXXI, cap. 1.

3. *Sic* cod. Bev. *Tumulique* edd.

Non alium mallet, nec Maro, nec Cicero.

vett. et Maitt. et Farnab. — *Tumuliv.* Virgilii. *Larisæ.* Ædium Ciceronis. Vid. not. ad. vs. 1.

4. *Non alium.* Fuit enim ille haud quidem altissimi, sed promptissimi et varii ingenii vir, orator et poeta. Scilicet, meo et plurium, reor, judicio unus fuisse videtur Silius ex iis qui, ut non in arte quadam sua splendidissimi et celeberrimi ante alios, sic tamen plurimis simul neque infelici opera student. Ita ille Virgilio et Tullio longe inferior, melioris sane notæ poeta quam Tullius, melioris notæ orator quam Virgilius; neque administrandæ reipublicæ, nec rei militaris imperitus exstitit. Ed.

XLIX.

DE SILIO.*

Jam prope desertos cineres, et sancta Maronis
Nomina qui coleret pauper, et unus erat.
Silius optatæ succurrere censuit umbræ,
Silius et vatem, non minor ipse, tulit.

* *De eodem* ed. *Barb.* Hoc et sequens epigr. inter se commutant edd. vett. et Farnab. et Delph.

1. *Sicca* MS. Beverl. — *Jam prope desertos.* Idem argument. ac epigr. XLVIII supra. De Virgiliano prædio apud Arpinates a Silio empto: non fuit tumulus Virgilii Arpini, sed duobus millibus passuum ab urbe Neapoli, ut Servius, et ex Servio Leander docet, in Campania, ubi fatetur nesciri hodie certum tumuli Virgiliani locum. Cineres ergo hic memoriam Virgilii interpretare, ut mens est Martialis, quum subjungit «nomina Maronis». Ita Raderus.

3. *Sci.* id. Bev. *S. Arpino tandem succurrere agello* edd. vett. Namque prope Arpinum possederat hunc agellum Virgilius, quem emerat Silius, ut ejus memoriam illic celebraret. Legunt nobiscum alii, *Silius optatæ succurrere censuit umbræ;* alii, *Silius Andino tandem succurrit agello.* Andes vero Maronis patria, Longobardiæ Transpadanæ vicus, Mantuani territorii. Judicet lector.

4. *Non minor.* Ita vss. contaminatissimos censeo scribendos, ex codd. vetustorum vestigiis: *Silius Andinæ succurrere censuit umbræ: Silius en vatem, non minor ipse, colit.* Heins. ad epist. II, 74, Sabini. — *Minus* exhibent edd. vett. Recentt. omnes, ut Heinsius proposuit: *et vatem non minor ipse colit.* Quæ lectio videtur melior. Suffragatur Lipsius lib. I, epist. v. Si legas *non minus*, sensus hic erit: Ille non minus serviit domino vati, nempe Silio, quam antea Virgilio.

L.

IN PHYLLIDA.

Nulla est hora tibi qua non me, Phylli, furentem
Despolies : tanta calliditate rapis.
Nunc plorat speculo fallax ancilla relicto;
Gemma vel a digito, vel cadit aure lapis.
Nunc furtiva lucri fieri bombycina possunt;
Profertur Cosmi nunc mihi siccus onyx.
Amphora nunc petitur nigri cariosa Falerni,
Expiet ut somnos garrula saga tuos.
Nunc ut emam grandemve lupum, mullumve bilibrem,

3. *Speculo relicto.* Hoc est, amisso, vel attrito; res enim relictæ, ut ait Domitius, consumptæ dicuntur.

4. *Vel lapis.* Pretiosus nempe.

5. *Nunc furtiva.* Sericæ vestes furtivæ, ait ancilla, tam vili pretio emi possunt, ut lucrifieri videantur. — Propriene furtivæ, ut plurimi volunt, an clanculum et contra leges quæ velant sine portorio intrare introductas? quod nos vocamus *marchandises de contrebande.* Hoc quidem ego antefero. Ed.

6. *Siccus onyx.* Pyxidem intellige, quam Cosmi unguentis impleri postulat Phyllis. De Cosmo egimus, lib. I, epigr. LXXXVIII, et lib. III, epigr. LXXXII, 26.

7. *Cariosa.* Vinum vetus petitur.

8. *Expiet.* Vide lib. VII, epigr. LIV : «Jam prior ad fæcem sed et hæc vindemia venit, Exorat noctes dum mihi saga tuas.»

9. *Lupum, mullumve.* Illi enim pisces ut rhombi et scari erant præcipue apud Romanos in deliciis. Immo omnes illi pisces avidissime conquirebantur, et a remotissimis litoribus vehebantur. Juv. V, 94: «Defecit nostrum mare.» Et ὄψον proprie ad pisces relatum. Cæterum tanti fiebant obsonia ista, ut tintinnabulo monerentur insignes illæ gulæ, si qui pretiosiores pisces asportati erant. Verum ἰχθυοπῶλαι os illis sæpe sublinebant, pisces mortuos, aut veteres pro recentibus vendentes. Unde vetitum quandoque Athenis, ne eos aqua irrigarent; quod facere solent, ut recentes videantur. Et non solum τὸ νεαρὸν, sed et magnitudo piscium notabatur a delicatis illis gurgitibus. Vide Juv. sat. IV, 15; Horat. etc. Gula itaque τῶν φιλόψων pisces tam caros concinnavit, ut Cato dixerit : Romæ pluris venire piscem, quam bovem. Nec solum Romæ, sed et in Græcia carissimi et pretiosissimi pisces. Unde Corin-

Indixit cœnam dives amica tibi.
Sit pudor, et tandem veri respectus, et æqui.
Nil tibi, Phylli, nego : nil mihi, Phylli, nega.

thi lege cautum erat, ne quis in macello pisces sæpe emeret, nisi qui aut censum suum, aut artem qua vitam tutabatur, probare posset sic delicatæ et gulæ et mensæ veniam adepturus.

LI.

DE TITIO.

Tanta est quæ Titio columna pendet,
Quantum Lampsaciæ colunt puellæ.
Hic nullo comitante, nec molesto,
Thermis grandibus, et suis lavatur;
Anguste Titius tamen lavatur.

1. *Columna pendet.* Priapus, αἰδοῖον. Eodem sensu *columna* lib. VI, epigr. XLIX, vs. 3.

2. *Lampsaciæ*, etc. E Lampsaco, urbe olim in Mysia septentrionali et Bithynia, ditissima simul ac celeberrima, non tam ob eximiæ notæ vinum et quod Anaximenes ea oriundus, quam e cultu quo et matronæ et puellæ Priapum condecoravere. Namque illæ ibi omnes fere in solennibus imaginem obscœnam prægrandem sane, quam vocabant Phallum, immo et Ithyphallum (ab ἰθὺς, *rectus* et Φαλλὸς), collo ferebant, et, per urbem totam, tali ornatu pompam ducebant. Ita quem vocabant Lingamum Indicæ mulieres. Vid. s. ep. XVIII, et III, ep. LVIII.

5. *Anguste Titius*, etc. Ipse ingens et ἀνδρεσσάθης : an quia sub aquis « Pellice læva utitur » ?

LII.

AD JULIUM CEREALEM.

Coenabis belle, Juli Cerealis, apud me;

1. *Cœnabis belle.* Apud me. Exstat et tali fere initio lepidissimum Catullianum : « Cœnabis bene, mi Fabulle apud me. » Sed et argumentum valde aliud est; et rhythmus, pro distichis hendecasyllabus. En.

Conditio est melior si tibi nulla, veni.
Octavam poteris servare : lavabimur una;
Scis, quam sint Stephani balnea juncta mihi.
Prima tibi dabitur ventri lactuca movendo
Utilis, et porris fila resecta suis;
Mox vetus, et tenui major cordylla lacerto;
Sed quam cum rutæ frondibus ova tegant.
Altera non deerunt tenui versata favilla;
Et Velabrensi massa recocta foco :
Et quæ Picenum senserunt frigus olivæ;
Hæc satis in gustu : cætera nosse cupis?
Mentiar, ut venias : pisces, conchylia, sumen,
Et cortis saturas, atque paludis aves;

— *Juli Cerealis*. Qui fuit poeta illustris, de quo Plinius junior lib. II, epist. XIX. Vid. lib. IV, epig. VIII.

2. *Est* omittunt Ald. Junt. Colin. Alios legere *C. m. si t. n. venit* notat Farnab.

4. *Stephani*. Cujus mentionem fecit Suetonins in Domit.; sed nescio an sit idem.

5. *Lactuca*. De laetueis et porris lib. III, epigr. XLVII, vs. 8.

7. *Cordylla*. De hoc genere piscis lib. III, epigr. II, et XIII, ep. I.

8. *Sed quam*. Lib. X, epig. XLVIII, 11 : «Secta eoronabnnt rutstos ova lacertos.»

9. *Tenui versata*. Sorbilia ova intellige. Sic Ovid. Met. VIII, 667 «Ovaque non acri leviter versata favilla.» — *Alea* Vat.

10. *Massica cocta* MS. Beverland. *Coacta* Gruter. ex Palat. — *Et Velabrensi*. Caseum Velabrensem interpretare foco et fumo induratnm, lib. XIII, epigr. XXXII. Velabrum vero regio erat urbis Romæ.

11. *Picenum*. Lib. I, ep. XLIV, 8.

12. *Hæc satis in gustu*. Hoc est, in exordio cœnæ, epigr. XXXI supra. Seusus est, inquit Raderus, caput cœnæ lautius apponam verbis. In lautioribus conviviis loeum præeipuum habebant pisces, quod quidem explienimus, non ita pridem. Vid. supra quæ notata ad epigr. L, vs. 9.

13. *Conchylia*. Sunt ostrea quæ quidem, velut pisces, delicatæ gulæ helluonibus valde placuere. Horatins Epod. II, 49 : «Non me Luerina juverint conebylia Magis.» Illud autem præeipue in eaussa, qnod ut tubera, libidinis et immodieæ petulantiæ irritamentum ea existimavere. Unde acerrime, quod solet, Juv. Sat. VI, 301 : «Inguinis et eapitis quæ sint discrimina nescit, Grandia quæ mediis jam noctibus ostrea mordet.» Ed. — *Sumen* autem papillam aiunt suis effetæ : lib. XIII, ep. XLIV. Cæterum pro *conchylia* Gruterus vult ex eod. Palatino *colyplua*.

14. *Cortis saturas*. Gallinas. Lib.

Quæ nec Stella solet rara nisi ponere cœna.
Plus ego polliceor : nil recitabo tibi.
Ipse tuos nobis relegas licet usque Gigantas,
Rura vel æterno proxima Virgilio.

VII, epigr. XXXI, vs. 1. — *Paludis aves*. Anates.

15. *Mensa* pro *cœna* MS. Beverl. — *Nec Stella*, etc. Non ipse lautus et nobilis Stella. De quo lib. VIII, epigr. LXXVIII, et alibi.

16. *Nil recitabo tibi*. Namque convivas suos importuna lectione sæpe enecabant istæ hirudines. Lib. V, epigr. LXXVIII, vs. 25, Vid. et Lucian. et Antholog. lib. II, c. 47.

17. *Giganto* cod. in marg. ed. Par. 1617. Vid. Heinsius. ad Ov. Met. I, 152. — *Gigantas*. Hoc est, poema de Gigantibus.

18. *Rara* MS. Beverl. et Lugdum. edd. Ald. Junt. Colin. — *Rura*. Opus de Agricultura, non inferius Georgicis Virgilii. — *Æterno*. Hoc est, immortali, cujus nomen, cujus versus nunquam Libitina abolebit.

LIII.

DE CLAUDIA RUFINA.*

Claudia cæruleis quum sit Rufina Britannis
Edita, quam Latiæ pectora plebis habet!
Quale decus formæ! Romanam credere matres

* Claudiam Rufinam Britannam laudat a venustate, ingenio, fecunditate : precaturque ei tribus natis natabusque totidem generos et nurus. *Rader*.

— *Ruffina* Ald. Junt. Colin. et sic in primo versu.

1. *Claudia*. Eadem forte de qua lib. IV, epigr. XIII. — *Cæruleis Britannis*. Quod se glasto colorabant, vel quod cærulei dicuntur insulares, ut ait Domitius. Vide lib. XIV, epigr. XCIX. — Cæruleos dictitari insulares! Scilicet quod cæruleus color Oceano qui insulas alluit? puerilis error venantium nova et παράδοξα! Cærulei vocantur Britanni, quod et flava ut plurimum cæsarie et candida cute et cæsiis oculis sunt. Quod in Germanis et Sarmatis et populo quolibet polos aut polis propiora habitante animadvertere est. Et diu ante Martialem Horatius epod. libro, od. XVI, 7 : « Nec fera cærulea domuit Germania pube. » Ed.

2. *Quam*. Pro hoc *cur* edd. vett. et Farnab.

3. *Matrem* MS. Beverl. — *Romanam*, etc. Neque enim cedit Græcis

Italides possunt, Atthides esse suam.
Di bene, quod sancto peperit fecunda marito,
Quod sperat generos, quodque puella nurus.
Sic placeat Superis, ut conjuge gaudeat uno,
Et semper natis gaudeat illa tribus.

dominis aut matronis Latinis. Immo tam elegans est Claudia, ut Romani possint credere esse Lucretiam, Græci Helenam.

4. *Italides.* Vel propter linguam Latinam et Græcam, quam callebat, ut Domitius; vel propter formæ elegantiam, ut censet Raderus. — *Achides* Beverl. Atthis vero, a qua Atthides dicuntur, fuit una Cranai regis Atheniensium filia, a qua regio Attica denominata est.

6. *Quot...quotque* edd. vett. — *Quod.* Illa scilicet juvenis uxor speratura merito est plures filios filiasque, et inde domum suam lætis matrimoniis locupletem.

8. *Gaudeat illa tribus.* De jure trium liberorum fuse dictum lib. II, epigr. XCII.

LIV.

IN ZOILUM.*

Unguenta, et casias, et olentem funera myrrham,
Thuraque de medio semicremata rogo,
Et quæ de Stygio rapuisti cinnama lecto,
Improbe de turpi, Zoile, redde sinu.
A pedibus didicere manus peccare protervæ.
Non miror furem, qui fugitivus erat.

* Zoilum fugitivum servum et sepulcralem furem exagitat.

1. *Unguenta, et casias.* Munera nempe, quæ rogis imponi solebant; nam odoriferas segetes et unguenta multa rogis et sepulcris et urnis spargere mos frequentissimus : lib. X, epigr. XCVII.

3. *De Stygio rapuisti.* Stygius nempe lectus feretrum est, quod violasse et spoliasse summum scelus habitum est.

4. *De turpi.* Codd. plurimi. *De prompto* cod. Beverl.

5. *A pedibus.* Servus enim fugitivus fuerat Zoilus, atque ita fugiens a domino, jam se ipsum illi surripuerat : quod ergo pedes exemplum malum dederant, id parva interposita mora secutæ sunt manus. De Zoilo sæpius dictum.

6. *Erat.* Sic omnes et codd. et edd. libb. *Eras* conjicit et præfert Antonius *de Rooy*.

LV.

DE LUPO, AD URBICUM.*

Hortatur fieri quod te Lupus, Urbice, patrem,
 Ne credas : nihil est, quod minus ille velit.
Ars est captandi, quod nolis velle videri;
 Ne facias optat, quod rogat ut facias.
Dicat prægnantem tua se Cosconia tantum;
 Pallidior fiet jam pariente Lupus.
At tu consilio videaris ut usus amici,
 Sic morere, ut factum te putet esse patrem.

* *Ad U. de L.* ed. *Barb.* Omittunt *De Lupo* edd. velt. et Delph.

— Monet Urbicum, ut Lupum captatorem fallacem fallat, etsi callidus consilium suum tegat et simulet sibi esse in votis amico dari liberos a conjuge.

1. *Hortatur fieri*, etc. Quod Lupus te hortatur liberis operam dare. Vel, quod Lupus tibi vovet liberos ex uxore. — *Fieri patrem.* Nempe adoptando filium, vel potius generando, cui relinquas tua bona.

3. *Quod nolis*, etc. Hoc est : *Nolle videri velle* captare testamentum una est ex artibus his plurimis quas, ut voti certius compotes fiant, adhibent heredipetæ. Ed.

5. *Dicat prægnantem*, etc. Fingat modo se concepisse. — *Tua Cosconia.* Uxor tua.

7. *Amici.* Lupi, qui amice et fideliter hoc consuluisse videri vult.

8. *Ut factum.* Hoc est, morere facto testamento, in quo captatori nihil relinquas.

LVI.

IN CHÆREMONEM.*

Quod nimium laudas, Chæremon Stoice, mortem,
 Vis animum mirer suspiciamque tuum.

* Chæremonem, mortem ex sententia Stoicorum contemnendam dictitantem, suggillat; ostenditque eum non ex animi constantia vitam odisse, sed ob mendicitatem lucem fugere. Fortis ille est, qui προαι-

Hanc tibi virtutem fracta facit urceus ansa,
Et tristis nullo qui tepet igne focus;
Et teges, et cimex, et nudi sponda grabati,
Et brevis, atque eadem nocte dieque toga.
O quam magnus homo es, qui fæce rubentis aceti,
Et stipula, et nigro pane carere potes!
Leuconicis agedum tumeat tibi culcita lanis,
Constringatque tuos purpura texta toros;
Dormiat et tecum, qui, quum modo Cæcuba miscet,
Convivas roseo torserat ore, puer;
O quam tu cupies ter vivere Nestoris annos,

ρισει, non ἀνάγκῃ contemnit mortem. « O vita misero longa, felici brevis! » inquit Publius. *Rader.*

3. *Hanc tibi virtutem*, etc. Non hoc facis ex virtute et fortiter, sed ex inopia rerum et pusillanimitate.

5. *Atque cim.* Ald. Junt. Colin. et sic cod. in marg. ed. Par. 1617. Quod annotator in ejusdem marg. damnat. — *Et teges*, etc. Epigr. XXXII supra : « Nec toga, nec focus est, nec tritus cimice lectus. » *Et nudi sponda.* Lib. I, epigr. XCIII.

6. *Brevis.* Scilicet ampliores togas et quæ in vastos et multiplices sinus effunderentur proceres et divites Romæ habebant; pauperes, brevem, non semper togam, sed creberrime tunicam. Ed.

7. *O quam.* Per ironiam.

8. *Stipula.* Palea, ex qua illi lectus. Vid. vs. 5. Ed.

9. *Leuconicis.* Sic MS. in Paris. ed. marg. *Lingonicis* edd. vett. *Leucocinicis* cod. Beverl. Turnebus lib. VIII, cap. 4 : tomenta Leuconica intelligit, et existimat dicta a Leuconico loco. Alii existimant lanas sic dictas a candoris præstantia. Namque λευκὸς *Græcis.* Quod si legas *Lingonicos*, vide lib. I, epigr. LIV. — *Leuconicis.* Vide lib. XIV, epigr. CLIX ubi de iisdem mentio facta.

10. *Constringatque.* Malit *de Rooy Consternatque.* Legunt *pexa* MSS. Beverl. et in marg. ed. Par. 1617 et edd. Schrevel. Maitt. et *Barb.*

11. *Qui, quum modo.* « Ratio sermonis Latini requirit *modo qui, dum C. miscet*, etc. » Gronov. *Pocula miscens* cod. Beverl. *Miscens* et MS. in marg. ed. Par. 1617. — *Dormiat.* Dormire pro *concumbere* sæpius dictum. Unus ex multis Juven. sat. VI, 34 : « Nonne putas melius quod tecum pusio dormit? » etc. Quod quidem et Græcis olim usitatum. Aristophanes in Concionant. Act. V, scen. II : Εἴθ' ἐξῆν παρὰ τῇ νέᾳ καθεύδειν, Καὶ μηδὲν πρότερον διαπεδῆσαι! Mox, scen. III : Οὐ γὰρ ἡλικίαν ἔχει παρὰ σοὶ καθεύδειν, τηλικοῦτος ὤν. Et sic millies. Ed.

12. *Convivas roseo torserat ore.* Vid. lib. IX, epigr. XXVI.

13. *O quantum cuperes* ed. in MS.

Et nihil ex ulla perdere luce voles!
Rebus in angustis facile est contemnere vitam.
Fortiter ille facit, qui miser esse potest.

Paris. 1617 marg. — *Ter vivere Nestoris annos.* De Nestore sæpius jam diximus. — *O quam tu cupies.* Tunc acerbissimum erit linquere quidquid in deliciis et pretio fuit. Nec nisi inter voluptates has amoris et mensæ, ingemiscebat Horatius, lib. II, od. XIV, vs. 21, hæc canens: « Linquenda tellus et domus et placens Uxor, etc. ». Ed.

16. *Qui miser esse potest.* Hoc est, qui non ægre fert paupertatem. — Aut latius sumpto sensu: Et is est fortis qui vitam, quum beatus et est et futurus est, linquit, et is qui quum miserum sese et esse et diu fore intelligit, tamen vivit. Qui versiculus bene contra eos proferretur qui manus sibi illaturi, fortitudinem id putant. Ed.

LVII.

AD SEVERUM.*

Miraris, docto quod carmina mitto Severo,
Ad cœnam quod te, docte Severe, vocem?
Jupiter ambrosia satur est, et nectare vivit;
Nos tamen exta Jovi cruda merumque damus.

*Caussam reddit, cur poetam eximium donet carmine, cur saturum seu divitem pauper invitet. Videor ita ego, inquit Noster γλαῦκ' εἰς Ἀθήνας, lignum in sylvas, aquas in mare ferre!

1. *Miraris, docto,* etc. Qui scilicet meliora multo, quam ego unquam factitabo, carmina pangit. Vid. lib. IX, epigr. XXVII.

2. *Quum* pro *quod* MS. in marg. ed. Par. 1617. item edd. Schrevel. Maitt. *Barb.* — *Ad cœnam*, etc. Modicam nempe, quum beatior tu et multo opulentior eximie domi epuleris. At contra Horatius, lib. III, od. XXIX, vs. 13: « Plerumque gratæ divitibus vices, mundæque parvo sub lare pauperum Cœnæ, sine aulæis et ostro Sollicitam explicuere frontem. » Non hæc in caussa affert Martialis, sed Diis dari, dedicari multa iis sane inferiora quæ possident.

3. *Vivit.* « Scriverius *vivo*: » *Farnab. Schrevel.* MS. Bev. *vino* — *Jupiter ambrosia.* Dona tamen nostra non respuit. De ambrosia vero et nectare quæ vel pueris notissima sunt, supervacuum sane foret dicere.

4. *Thura* pro *cruda* edd. vett. et Farnab. et Maitt. Melius tamen *cruda*; nam cruda Jovi et Diis omnibus, ut plurimum, exta offere-

Omnia quum tibi sint dono concessa Deorum;
Si quod habes, non vis; ergo quid accipies?

bantur. Cf. Homer. Il. A, vs. 460:
Μηρούς τ' ἐξέταμον, κατά τε κνίσσῃ
ἐκάλυψαν,
. . . . . ἐπ' αὐτῶν δ' ὠμοθέτησαν.

6. *Si quod habes.* Si ea dare liceret tantum quibus indiges, tibi omnium rerum copia abundanti, nihil jam dare possemus.

LVIII.

IN TELESPHORUM.*

Quum me velle vides, tentumque, Telesphore, sentis;
Magna rogas : puta me velle negare nihil.
Et nisi juratus dixi, dabo, subtrahis illas,
Permittunt in me quæ tibi multa, nates.
Quid si me tonsor, quum stricta novacula supra est,
Tunc libertatem, divitiasque roget?
Promittam; nec enim rogat illo tempore tonsor,
Latro rogat : res est imperiosa timor.

* Improbum et sesquilascivum epigramma, quod in quibusdam et pudet et necessarium est interpretari. Quod ad argumentum spectat, puerum quemdam suum Telesphorum sævitiæ arguit et avaritiæ; quippe qui in lectulo, ubi amans dominus «non animo tantum, verum etiam corpore ipso ad libidinem inquies alioquin et petulans, etiam saucius paulisper inguinum fine» (Apul. Asin. lib. II), multa iterum atque iterum dari sibi petit, et ni promittantur, copiam sui dare denegat. Ed.

1. *Tecumque* editt. vett. *Tentum* reposuit Turnebus, VIII, 4. *Certum* MS. in marg. ed. Par. 1617. et sic alios legere notat Farnab. — *Tentumque.* Hoc est, σφριγῶντα καὶ ἤδη ἐνεργεῖν δυνάμενον (Longi Daphn. et Chl. lib. III), prurientem. Pruriginem de feminis magis proprie dici credam, tentiginem de viris; ut lib. VII, epig. LXVI, vs. 2, de Philæni : «Tentigine sævior mariti.» Juvenalis tamen famoso versu de Messalina vividius : «..... adhuc ardens rigidæ *tentigine* vulvæ.» Sat. VI, vs. 129. Ed.

2. *Puto* ed. Maitt. *Puta.... licet?* edd. vett. et Delph. *Nihil* habet MS. in marg. ed. Par. 1617. Legit Ruttgers. *Magna rogas : puto me velle negare : licet?*

4. *Sibi* cod. in marg. ed. Par. 1617. — *Permittunt.* Nam sunt in caussa cur a me multa imperiosius petas.

7. *Nec enim rogat*, etc. Non jam

Sed fuerit curva quum tuta novacula theca,
Frangam tonsori crura manusque simul.
At tibi nil faciam : sed lota mentula læva
Λειχάζειν cupidæ dicet avaritiæ.

quatenus tonsor, sed quasi latro.

9. *Curva*. Vult Heins. *curta*. Vide eum ad nostram Ovidii Editionem, Fast. II, vs. 645. (Volum. VI, pag. 139.) Ed.

11. *Lana* pro *læva* edd. vett. omnes. Quod nullum sensum efficit, et merito rejiciunt recens edd. libri. Aliæ quoque sunt in scriptura variationes, quas videre est infra in not. — *Lota mentula læva* Λειχάζειν. Duo hic sunt, quibus immorantur et satagunt interpp. *Lota* et Λειχάζειν; neutri meo judicio bene. Scilicet prius sciscitantur annon pro *lota* aptius rescribendum *mota* quod in quibusdd. codd. Et quidem (namque ipse vera libens fatebor) *mota* et facilius forsan et statim quivis intelliget, et huic consona habet Noster lib. IX, epigr. XLII. Sed *lota* in plurimis et iis optimis, et idoneum sensum efficit. Namque post veneream colluctationem lavabantur antiqui accuratissime et quasi religiosissime. Unde id lascivioris poetæ, Ovidii, Amorum l. III, VII, 83; qua Elegia languidum se queritur, neque amica voleute potitum: « Neve suæ possint intactam scire ministræ, Dedecus hoc sumpta dissimulavit aqua. » Quanto autem rectius qui non moliere, non puero, sed (ut ipse ait Noster, lib. IX, epigr. XLII, verss. 1 et 2) « pellice læva utitur » lævam abluet! *Lota* ergo omnino relinquendum est, et a manu Martialis esse persuasum habeo. Item Λειχάζειν, quamvis et hoc quidam (Scaliger, Domitius, Douza) respuant, et Αἰάζειν veliut. Nimirum, inquiunt, seorsus erit, ut hos loquentes et caussæ ipsos suæ patrocinantes induxerim, qualecumque hic vocabulum aut linquatur aut reponatur, *facessere*, *abire in malam rem*, quod Αἰάζειν. Et hanc formulam loquendi imitatur Horatius (l. I, sat. X, v. antepenolt. et penult.); « Demetri, teque, Tigelli Discipolarum inter jubeo *plorare* cathedras. » At si eodem, sit sensu λειχάζειν, sed et impodicitiæ et malignitatis plus habeat, nonne multo anteponendum? Atqui ita se res habet; nam viro effœto et languido qui superbam meretricem etiam atque etiam frustra vexabat, nec valebat « cupiens pariter cupiente puella » frui, potuit fastidiosa hæc et alionde parum urbana dicere pro *facesse*, *abi in rem malam*, λεῖχε, λείχαζε, hoc est, linge. Mox innotuit late pervagata et usitata vox, ita ut hac quemlibet sibi minus placentem in re venerea amica alloquuta sit, sive onus ex iis foret qui, ut fere Juvenalis, VI, 37 : « Et lateri parcunt, nec quantum jussit anhelant », sive aut pecuniolæ aut munusculorum non daret satis, sive quoquo modo odiosus evaderet. Et quidem sic pervagatam formulam eam reor, ut dehinc ad alia mox omnia transtulerint, sive de amatoriis rebus ageretur, sive de seriis. Ed.

LIX.

DE CHARINO.*

Senos Charinus omnibus digitis gerit,
Nec nocte ponit, annulos,
Nec quum lavatur : caussa quæ sit, quæritis?
Dactyliothecam non habet.

*Charinum quemdam cavillatur, qui opum et magnificentiæ ipse suæ ambitiosus ostentator, modicis tamen divitiis censebatur; et dum in quibusdam beatus videretur, pauper in multis erat. Sic in annulis emendis pecuniæ multum contulerat; neque ei quidquam remanebat quo dactyliothecam emeret, quod tamen et minoris multo pretii, et ei necessarium qui annulorum multitudine gaudet. Non est autem turpe annulis sexcentis carere, annulorum repositorio indigere turpissimum. Ed.

4. *Dactylothecam* edd. vett. Nostram lectionem habet cod. in marg. edit. Paris. 1617, ubi et eam rectam esse pronuntiatur, et tibi suadetur ut videas Turnebum VIII, 4. — *Dactyliothecam*. Repositorium scilicet in quo reponuntur et servantur annuli, quos ad certos tantum dies conducebat Charinus. — Sic ante nos omnes; sed vide quæ primo notavimus. Ed.

LX.

DE CHIONE ET PHLOGIDE.*

Sit Phlogis, an Chione Veneri magis apta, requiris?
Pulchrior est Chione; sed Phlogis ulcus habet.
Ulcus habet, Priami quod tendere possit alutam,

*Feminas duas comparat Phlogin et Chionen, et utra sit voluptatem requirenti anteferenda interrogat. Neque in promptu responsio! Hæc enim multo pulchrior, illius formam nemo laudaverit : at hæc frigida est et quasi marmor, illa tota ignis, prurigo, nequitia. Nec temere data nomina utrique, quum Chione (a χιών, nix) nivis frigidæ similem indicet, Phlogis (a φλόξ, flamma) igneam et æstuantem. Ed.

3. *Ulcus habet*. Veneris sensum, urticas, pruriginem, lasciviam. — *Priami quod*, etc. Quo nempe « incendi jam frigidus ævo Laomedon-

Quodque senem Pylium non sinat esse senem.
Ulcus habet, quod habere suam vult quisque puellam,
Quod sanare Criton, non quod Hygia potest.
At Chione non sentit opus, nec vocibus ullis
Adjuvat: absentem, marmoreamve putes.
Exorare, Dei, si vos tam magna liceret,
Et bona velletis tam pretiosa dare;
Hoc quod habet Chione corpus, faceretis haberet
Ut Phlogis; et Chione, quod Phlogis ulcus habet.

tiades et Nestoris hernia possit. » Juven. sat. VI, vs. 326.—*Alutam.* Nervum languentem et laxum instar alutæ.

4. *Peliam* cod. in marg. ed. Paris. 1617, et ed. *Barb.* cum aliis. — *Quodque senem.* Quo « Pylius juvenescere posset, Tithonosque annis fortior esse suis. » Ovid. Amor. lib. III, eleg. VII, v. 41.

6. *Quod sanare*, etc. Nam tunc « femina simplex » (Juv. sat. VI, 327), cui medicus, non medica, opem ferre potest. Sic infra epigr. LXXI. Hygia autem filia Æsculapii. Pausanias in Atticis, et Plinius lib. XXXV, cap. 2.

7. *Non sentit opus.* « Fatua est », ut de Laufella dixit lib. III, epigr. LXXII. Ovidius, III, vs. 799 de Arte. « Infelix cui torpet hebes locus ille », etc. — *Nec vocibus ullis.* Καὶ σὺ μένεις ἁπλῶς, οὐδὲν ἐρῶντος ἔχεις. Antholog. lib. VII, epigr. Philodemi, et infra epigr. CIV.

10. *Possetis* Palat. quod rectum censent Schrevel. et editor Delph. et edidit *Barbou.*

LXI.

DE MANNEIO.*

LINGUA maritus, mœchus ore Manneius,
Summœnianis inquinatior buccis;
Quem quum fenestra vidit a Suburrana

* *De Mancio* Ald. Junt. Colin. *De Nanneio* ed. *Barb.* Hæ edd. has rationes servant in versu primo. *De Manneio seu Nanneio* Schrevelius; sed *Manneius* exhibet in eod. vs. *Manneius* scribit Turneb. VIII, 4.

1. *Mœchus*, etc. Λείχων, φοινικίζων, θύων.

2. *Summœnianis*, etc. Ipsis prostibulis Suburranis; lib. I, epig. XXXV.

Obscœna nudum lena, fornicem cludit,
Mediumque mavult basiare, quam summum;
Modo qui per omnes viscerum tubos ibat,
Et voce certa, consciaque dicebat,
Puer, an puella matris esset in ventre;
(Gaudete cunni; vestra namque res acta est)
Arrigere linguam non potest fututricem.
Nam, dum tumenti mersus hæret in vulva,
Et vagientes intus audit infantes,
Partem gulosam solvit indecens morbus :
Nec purus esse nunc potest, nec impurus.

« Quorum artificis valet halitus oris », etc. Juven. Sat. X, 238.

4. *Læda* ed. *Barb.* et cod. in marg. ed. Par. 1617. « Alii *Læda:* recte, ut lib. IV, epigr. IV, vs. 9» *Schrevel. et editor Delph.* (Non ita ibidem legimus. Ed.)—Edd. vett. et *clausit* ut Delph. et Farnab. *Claudit* MS. in marg. ed. Par. 1617. — *Nudum.* In lupanaribus nudæ prostabant meretrices. Cf. Petron., Juvenal. VI, 121, sqq., Herodian. et Xiph. in Heliogab.

5. *Mediumque*, etc. Τὴν ἕδραν μᾶλλον τοῦ στόματος. Sic fere sat. VI, 51, Juvenalis : « Quarum non timeat pater oscula. »

10. *Arrigere linguam fututricem.* Lepide duo hæc vocabula quæ huic voluptati proprie non conveniunt, sed per μεταφοράν. Si supra dixerat: « lingua maritus, mœchus ore. »

11. *Errat* MS. in margine edit. Paris. 1617.

13. *Partem gulosam solvit*, etc. Linguam reddidit inertem, immobilem, nec amplius operi venereo idoneam. — *Indecens morbus.* Paralysisne ἀπὸ τῆς ἀφέδρου καὶ τῶν ἐμμηνιῶν, quorum malefico humore marcescunt segetes, apes moriuntur, etc. (Plin l. VII, cap. 15), an sideratio? ut ep. LXXXV infra.

14. *Nec purus*, etc. Morbo illo contaminatus — *Nec impurus.* Lingua, ut prius, mœchus.

LXII.

DE LESBIA.

Lesbia se jurat gratis nunquam esse fututam.
Verum est : quum futui vult, numerare solet.

1. *Gratis nunquam*, etc. Sine pretio. Voluit superbior illa significare pretio *accepto*, intelligit Poeta malignus *dato*.

LXIII.

IN PHILOMUSUM.

Spectas nos, Philomuse, quum lavamur;
Et quare mihi tam mutoniati
Sint leves pueri, subinde quæris.
Dicam simpliciter tibi roganti:
Pædicant, Philomuse, curiosos.

1. *Despectas* vult Ramiresius, de Priapo intelligens.

2. *Spectas*, etc. Nam lavabantur promiscue nudi in balneis, et in bis sæpe eligebant viri lascivi et mulieres, quos vel quas amarent. Vid. Juven. sat. IX, 35, « quamvis te nudum spumanti Virro labello Viderit. » Ed.

5. *Curiosos*, etc. Similes tui cinædos, dum curiosis oculis vel devorantibus spectas, quærisque per balnea mutoniatos. Vide lib. I, epigr. xcvii, et lib. IX, epigr. lx.

LXIV.

IN FAUSTUM.

Nescio tam multis quid scribas, Fauste, puellis:

1. *Nescio...... puellis.* Meo quidem judicio, ambiguum est, et in hoc versiculo puellos haud minus significat quam puellas, licet aliis in locis sæpius puellas. Innuit ergo Noster puerorum amatorem, dum ait: Puellis scribis; tibi puella nulla, ergo puelli. Cæterum haud diffiteor nulli hunc sensum succurrisse. Vide inf. Ed.—*Hoc scio, quod scribit.* « Interpretantur, quasi velit Martialis: Scio nullam puellam tibi scribere: et ejus sensus caussas divinant. At ego credo Fr. Sanctio, *Scio quod*, bene latine non dici, quidquid contra moliatur Scioppius, cui alio tempore respondebimus. Nec tamen optimus Sanctius hic feliciter, quum explicat: Tu multa scribis puellis, quum sis pædico, ut videlicet te ostendas puellarum amatorem; sed ego scio quid sis, propter quod nulla tibi rescribit, quia pueros amas. Non hæc mens Martialis, sed ista: Haud scio rem quam tu scribis tam multis puellis: unam rem scio quam præ pudore nulla tibi audet scribere puella; nempe te esse aut fellatorem, aut irrumatorem, aut lingonem. » *Gro-*

Hoc scio, quod scribit nulla puella tibi.

novius. — *Nulla puella tibi.* An itaque pueri? quam nos explicatinnem supra proposnimus. An hinc voluit se videri in gratia esse apud puellas, quarum tamen nulla illi rescripsit. Lib. III, epigr. LXIII.

LXV.

IN JUSTINUM.*

SEXCENTI cœnant a te, Justine, vocati
Lucis ad officium, quæ tibi prima fuit :
Inter quos, memini, non ultimus esse solebam ;
Nec locus hic nobis invidiosus erat.
Postera sed festæ reddes solemnia mensæ :
Sexcentis hodie, cras mihi natus eris.

*Queritur a Justinn, quod ipsum ut nlim, ad natalitias dapes non invitarit.

1. *Sexcenti*, etc. Permulti, συνεκδοχικῶς.

2. *Lucis ad officium.* Quos invitaras ad celebrandum diem tuum natalem. Mane enim sacrificabant iu ejusmodi solemnitatibus. *Officium* antem hic proprie omnino. Plin. l. I, epist. v, 11 : « Paucos post dies ipse me Regulus conveuit in Prætoris officio. » In nuptiis hoc officium frequens. Petronius: « Consurrexit ad officium nuptiale. » Juven. sat. II, 134 : « Quæ caussa officii? quid quæris? nnbit amicus. » Hinc et *officia* dicuntur à Juvenale sat. X, 44, clientes, hæc et ejusmodi officia patronis præstantes. « Illinc corniciues, hinc præcedentia longi Agminis officia. » Τὰ καθήκοντα eodem modo reperio apud Luciaunm in Somnin. *Heraldus.*

4. *Nec locus hic.* Quia non primarins quidem ego, sed nec eram ultimus.

5. *Cœnæ* cod. in marg. ed. Par. 1617. — *Postera*, etc. Jam vern me velut imi ordinis amicnm invitas ad reliquias et analecta, et quidquid vilissimi convivatores auferre non dignati sunt in crastinum ex conviviin.

6. *Sexcentis hodie.* Sic explicant interpretes: A te invitati hodie ad te mittant munera natalitia, ego vero cras mittam : hoc est, nunquam mittam. Sed lubentins ego cum Grutero simpliciter interpreter, qnod Poeta malit se postero die ad reliquias convivii invitari, quam ipso natali die, propter nimiam convivarum turbam.

LXVI.

IN VACERRAM.

Et delator es, et calumniator;
Et fraudator es, et negotiator;
Et fellator es, et lanista: miror
Quare non habeas, Vacerra, nummos.

1. *Delator es, et calumniator*, etc. Quinque in his versiculis voces eamdem et quidem asperam satis terminationem præferunt; sed hinc dicacitatis et acuminis non parum accedit. Sic Nostras *Chénier:*

Ne rencontrer que des cités gothiques!
Que Lunébourg! Botzembourg! Rotembourg!
Et tout cela, pour aller à Hambourg!

Item nequior fortasse *Parny*,

. . . . un cantique
Allégorique, hébraïque et mystique. Ed.

Et in soluta oratione, *Beaumarchais:* « *Je vous ai pris pour son bisaïeul paternel, maternel, sempiternel!* » *Barb. de Séville*, Act. II, sc. xiv. Ed.

3. *Lanista.* Magister gladiatorum. De his hominibus vid. ex eo cujus mentio, lib. VI, epigr. lxxxii.

4. *Non habeas nummos.* Quia nempe per malas artes facilius tunc Romæ, quam per bonas ditescere. Unde quidam ita, ad libertum qui opes suas superbus jactitabat, quasi paupertatem philosopho exprobraret: Ditior fiam ego quam tu, ubi tam malus quam tu esse voluero. Ed.

LXVII.

IN MARONEM.

Nil mihi das vivus: dicis, post fata daturum.
Si non es stultus, scis, Maro, quid cupiam.

Οὐδὲν ἔδως μοι ζῶν, βάζεις μετὰ μοῖραν ὀπάσσειν·
Ἂν μὴ μωρὸς ἔῃς, οὐ ἐρῶ, οἶσθα, Μάρων.

2. *Quid cupiam.* Nempe tuam mortem, ut id tandem consequar quod mihi vivus promittis, sed quod nunquam te vivo possidebo; ut lib. VI, ep. lxiii, v. 2, lib. VIII, epigr. xxvii, et supra epigr. xliv.

LXVIII.

AD MATHONEM.

Parva rogas magnos: sed non dant hæc quoque magni.
Ut pudeat levius te, Matho, magna roga.

Σμίκρ' αἰτεῖς μεγάλους, τὰ δ' ἄρ' οὐ παρέχουσι μέγιστοι,
Ἧττον ἵν' αἰδεσθῇς, αἴτεε μείζονα νῦν.

1. *Non hæc quoque.* Pro, *ne hæc quidem.*

2. *Ut pudeat levius.* Minor quippe ignominia erit, si magnæ rei, quam si parvæ repulsam patiaris. De Mathone caussidico sæpius dictum.

LXIX.

EPITAPHIUM CANIS LYDIÆ.*

Amphitheatrales inter nutrita magistros
Venatrix, sylvis aspera, blanda domi,
Lydia dicebar, domino fidissima Dextro,

Αὐσονίοιο θεάτρου ἐνιθρεφθεῖσα κυνηγοῖς,
Ἀγρίη ἐν δρυόχοις, ἠπίη ἐν μεγάροις,
Λυδίη ἐκλήθην, Δέξτρῳ τῷ κτήτορι πιστή,

* Nobile epigramma in canem venatricem ab apro interfectam; quam cum Procyone et Sirio in cælum relatis, cumque Homerico Ulyssis cane Argo confert. Percusserat Lydiam aper populo notam et caram; cujus hic ingenium in feras asperum, blandum in dominos, mortemque honestam describit. *Rader.*

1. *Amphitheatrales.* In amphitheatro venationes sæpe exhibitæ. Vide lib. Spect. — *Magistros.* Qui venationibus præerant.

3. *Dextra* edd. vett. et Farnab. *Dextro* cod. Thuan. ut sit nomen proprium heri sui.—*Lydia dicebar.* Canis ipsa loquens inducitur. — *Fidissima Dextro* vel *dextra* (vid. supra var. lect.) hoc est, fida hero, simpliciter, aut tam fida hero meo, quam dextra propria.

Qui non Erigones mallet habere canem,
Nec qui, Dictæa Cephalum de gente secutus,
Luciferæ pariter venit ad astra Deæ.
Non me longa dies, nec inutilis abstulit ætas,
Qualia Dulichio fata fuere cani.
Fulmineo spumantis apri sum dente perempta,

Ὅστις ἂν οὐ πρὸ ἐμεῖ' εἶλε τὸν Ἠριγόνης·
Οὐδ' ὃς ἀπὸ σκιερῆς Δίκτης ἐπὶ φωσφόρον Ἠῶ
Ἑσπόμενος Κεφάλῳ οὐρανὸν εἰσανέβη.
Οὐ μακρός με βίος, καὶ ἀχρήϊος ἔσβεσεν αἰὼν,
Οἷος ὁ πότμος ἔφυ Δουλιχίοιο κυνός.
Ἀφριόων χλοῦνις κρυερῷ μ' ἐδάμασσεν ὀδόντι,

4. *Erigones*. Fuit hæc filia Icarii, qui canem Mæram secum duxerat, quum Atticam peragrans interfectus fuit a pastoribus. Erigone autem, cane Mæra duce, reperit cadaver Icarii mortui, quo viso se suspendit puella, et Mæra canis, seu Neæra, ut volunt alii, desiderio dominorum contabuit, et in cælum translata, canis cælestis dicitur: Erigone vero Virgo, et Astræa. Raderus ex Hygino.

5. *Nec qui, Dictæa*. In Creta canes egregii: hoc est, nec canis Lælaps, quem marito suo Cephalo dederat Procris, quorum historia satis nota, domino carior fuit; nunc ille in cælum translatus, Sirius ardor, et Canicula dicitur, stellarum fulgentissima, atque infesta humanis corporibus. Sic idem Raderus ex eodem Hygino.

6. *Luciferæ pariter*, etc. Ad Lunam, seu Dianam gaudentem venatione et canibus. Vel quod inter astra relatus est a Jove. — *Luciferæ*. Dianam seu Lunam intellige, quæ venationi dedita gaudet canibus.

7. *Non me longa dies*. Neque eram annosa ut ille Ulyssis canis Argus, qui reversum post viginti annos agnovit herum. Odyss. XVII, et Arist. lib. VI, histor. animal.

8. *Dulichio fata fuere cani*. Argus canis Ulyssis celebratur carmine Homeri Odyss. lib. XVII. Dulichium insula Ulyssi quondam subjecta cum Ithaco monte. Sic Raderus ex Mela et aliis. Dulichii insulæ meminit Strabo lib. X, quam eamdem cum Cephallenia quidam affirmarunt, sed male, ut refert idem Strabo ex Homero, cujus testimonio ostendit neque Dulichium esse Cephalleniam, neque ad Cephalleniam pertinere, quod Andro scripsit: quum Dulichium Epei obtinuerint, totam Cephalleniam Cephallenes; hique Ulyssi paruerint, illi Megeti. Judicet lector.

9. *Fulmineo*, etc. Hic versus exstat quoque in Inscript. Gruteri. — — *Fulmineo dente*, etc. Oblique ferienti vel urenti instar fulminis;

Quantus erat, Calydon, aut, Erymanthe, tuus.
Nec queror, infernas quamvis cito rapta sub umbras:
Non potui fato nobiliore mori.

Τῷ Ἐρυμανθείῳ, τῷ Καλυδῶνος ἴσος.
Οὐδ' ἀκάχημαι ἰοῦσ' ὑπὸ τὴν Στύγα, καίπερ ἀωρί·
Οὐ γὰρ καλλίων ἦν μόρος εὐκτὸς ἐμοί.

vel simpliciter quod inesse aprorum dentibus igneam vim credebant Veteres. Confer. Xenophon in Κυνηγετ. et Oppian. 3, Κυνηγετ. βιβλ. γ. « Λευκὸν ὀδόντα Λαίθριον ἐντὸς ἔχειν μαλερὴν πυρόεσσαν ἐνιπήν; Ovid. M. I, 305: « nec vires fulminis apro. » Vide lib. Spect. epigr. xv.

10. *Calydon.* In casu vocandi ut mox *Erymanthe.* Mons Arcadiæ, ubi erat aper dictus Erymanthius, quem interfecit Hercules.

11. *Undas* cod. in margine ed. Paris. 1617.

12. *Fato nobiliore.* Nempe interfecta a fera tam præstanti.

LXX.

IN TUCCAM.*

VENDERE, Tucca, potes centenis millibus emptos?
Plorantes dominos vendere, Tucca, potes?
Nec te blanditiæ, nec verba, rudesque querelæ,
Nec te dente tuo saucia colla movent?

* In prodigum qui, decocto patrimonio, ut pecuniæ aliquid sibi compararet, servos jam vendit centenis millibus emptos, pueros nempe eximiæ pulchritudinis quos et pocillatores simul et amasios habebat; sic Juvenalis, V, 61, « nescit tot millibus emptus Pauperibus misceri puer. » Ed. — Jam post τὸ *millibus* sestertium subaudiri debet.

1. *Ter denis* cod. in marg. edit. Parisinæ 1617, et *Aspiciturque* vs. 6. — *Potes.* Sustines.

2. *Plorantes dominos*, etc. Pueros nempe amasios, ut amicæ dictæ sunt *dominæ*. Male quidam intelligunt pueros plorantesque te dominum ne veneant dominis aliis.

3. *Rudesque querelæ*. Pueriles, non fictæ.

4. *Dente tuo saucia*, etc. Dum amore furens impressisti eorum cervicibus memorem dente notam. Imitatus est, aut certe in mente habuit, Horatianum illud lib. I, od. XIII, vs. 11 et 12: « sive puer

Ah facinus! tunica patet inguen utrimque levata;
Inspiciturque tua mentula facta manu.
Si te delectat numerata pecunia, vende
Argentum, mensas, myrrhina, rura, domum.
Vende senes servos, agros et vende paternos:
Ne pueros vendas, omnia vende miser.
Luxuria est emere hos, (quis enim dubitatve, negatve?)
Sed multo major vendere luxuria est.

furens Impressit memorem dente labris notam. » Ed.

5. *Tunica*, etc. Nempe nudi exponebantur, ut liceret ementibus pulchritudinem eorum et dotes nosse antequam de pretio ageretur. Unde illud Juven. Sat. IX, 35, quod jam supra retulimus, pag. 631: «Te quamvis nudum, etc. » Nisi tamen credere malis in balneis hunc cinædum aspici, de quo hoc loco Juvenalis. Ed.

8. *Argentum*. Id est, argentea vasa, cælaturas. — *Myrrhina*, etc. Lib. XIV, ep. CXIII. Et eo nomine omnem gemmeam supellectilem.

12. *Sed multo*, etc. Sic l. II, ep. LXIII, vs. 4. «Hæc mage luxuria est.»

LXXI.

DE LEDA.

Hystericam vetulo se dixerat esse marito,
Et queritur futui Leda necesse sibi:
Sed flens atque gemens tanti negat esse salutem,
Seque refert potius proposuisse mori.
Vir rogat, ut vivat, virides nec deserat annos;
Et fieri, quod jam non facit ipse, sinit.

1. *Hystericam*, etc. Uteri (græce ὑστέρων) strangulatione laborantem, cui morbo præscribunt remedium medici validam congressus succussationem. *Hictericam* in vett. edd. Vid. epigr. VIII, ubi scripsimus sine aspiratione « ictericam »

3. *Sed flens*, etc. Sed tamen lacrymans dissimulat tanti sibi vitam æstimari, et interire se malle ait quam istius modi convalescere remedio; et mittar, inquit « ad umbras, Pallentes umbras Erebi, noctemque profundam Ante, pudor, quam te violo, aut tua jura resolvo.» (Virg. Æneid. lib. IV, 25 sq.) Ed.

5. *Virides*. Ætatis flore moriatur.

6. *Fieri*. Ab aliis scilicet. — *Quod*

Protinus accedunt medici, medicæque recedunt,
Tolluntur que pedes : o medicina gravis!

jam non facit ipse senex et languidus.

7. *Medici*, etc. Istiusmodi enim malum est « quod sanare Criton, non quod Hygia valet ». Vid. ep. LX, et quæ ad hæc notavimus. ED.

8. *Tolluntur que*, etc. In Venerem; vid. lib. X, epigramm. LXXXI, vs. 4. — *Gravis*. Scoptice.

LXXII.

DE NATA.

DRAUCI Nata sui vocat pipinnam,
Collatus cui Gallus est Priapus.

1. *Drauci....pipinnam.* Locus qui impeditus et nullo non modo sollicitatus detinuit interpretes. *Voratne penem* Scriverius. « In manuscriptis expresse legitur *bipinnam*, quam vocem ut exponat, adi Turnebum, Advers. VIII, 4. » MS. in marg. ed. Par. 1617. *Pipinnam* placet Calderino. Vid. Not. inf. Turnebus quem jam citav., Advers l. VIII, cap. 4 *bipennam* legit. *Pisinnam* proponit Janus Rutgersius, ut Labeo apud veterem Scholiasten Persii, « Crudum manduces Priamum, Priamique pisinnos » id est, pueros, filios. Vid. Casp. Barthii Advers. lib. I, cap. 6. Janus Parrhasius in Var. Annot. et Cælius Rhod. lib. IV, cap. 6, legunt *vepenem*, exponuntque : Nata vastum subactoris sui virile, diminutivo nomine appellat vepenem, i. e. (nam *ve* particula est qua diminutio vulgo significatur) parvulum penem, cui tamen si conferas Priapum ipsum (lib. I, ep. XXXVI, v. 15) videatur præ hoc Gallo eviratus.—Optime Janus et Cælius, quippe qui rem et sensum acu tetigere. At de scriptura falluntur. Quid enim mutato opus est? Idem hic est quoad sensum, *vepenem* et *pipinnam*. At hoc licet minus latinum, elegantiæ forsan plus habet, et feminei gannitus, quo quidem lingua identidem variatur et verbis novis opulescit, lasciviam magis denotat. Idem, ut patet de *Pisinnam*, dixerim quod minus facetum, et parum latinum, neque sane alio in loco reperitur quam in veteri et quidem ridiculi poetæ fragmento, neque unquam repertum esset ni Persianarum satyrarum Scholiastæ libuisset hunc producere. Quod ad duas alias lectiones spectat quarum hæc libr. vett. obtinuit, illa Turnebi auctoritatem præfert, multo magis utramque respuendam censeo, neque ulla earum fieri debet ratio. Nil enim iis inest qua maneat quæsita Martiali ἀντίθεσις. ED.

LXXIII.

IN LYGDUM.

VENTURUM juras semper mihi, Lygde, roganti :
Constituisque horam, constituisque locum.
Quum frustra jacui longa prurigine tentus,
Succurrit pro te sæpe sinistra mihi.
Quid precer, o fallax, meritis et moribus istis?
Umbellam luscæ, Lygde, feras dominæ.

1. *Venturum*, etc. Te scilicet. *Lygde.* Lygdus, Lygdamus usitata servulis et iis amasiis nomina.

3. *Longa prurigine tentus.* Vid. epigr. LVIII supra. *Longa* autem est diutina.

4. *Sinistra.* Vid. ad lib. IX, epigr. XLII, XLIV.

5. *Precer.* Sic cod. in marg. ed. Paris. 1617. *Precor.* edd. vett. — *Fallax.* Fallacem vocat, quippe qui non stet pollicitis; et sic τῷ *mendax* utitur Horatius, qui lib. I, sat. v, vs. 82 : « Hic ego mendacem stultissimus usque puellam Ad mediam noctem exspecto. » ED.

6. *Umbellam.* De qua lib. XIV, epigr. XXVIII. — *Luscæ dominæ.* Inservias deformi dominæ, quoniam non vis amari a domino. — Tacite autem significat optatum sibi ut cum lusca rem Lygdus habeat. ED.

LXXIV.

DE BACCARA.

CURANDUM penem commisit Baccara Græcus
Rivali medico : Baccara Gallus erit.

1. *Curandum rivali medico.* Qui ejusdem puellæ vel pueri amore captus erat.

2. *Gallus.* Jocus est circa vocem ambiguam *Gallus* quæ et castratum Cybeles sacerdotem significat, et virum e Galliis oriundum. Dicit ergo Noster fore ut de Græco vertatur Baccara in Gallum, sed non eum qui in Galliis natus, eum vero qui Cybeles sacerdotibus sit similis; illum nempe eviraturo zelotypo medico, ut amica nunc communi solus mox potiatur. ED.

LXXV.

IN CÆLIAM.

Theca tectus ahenea lavatur
Tecum, Cælia, servus: ut quid, oro,
Non sit quum citharœdus, aut choraules?
Non vis, ut puto, mentulam videre.
Quare cum populo lavaris ergo?
Omnes an tibi nos sumus spadones?
Ergo, ne videaris invidere,
Servo, Cælia, fibulam remitte.

1. *Theca tectus.* Fibula ære circumligata. Vidend. lib. VII, epigr. XXXV et LXXXII.

2. *Ut quid?* pro *quid?* vel *quare?* Rarum.

3. *Citharœdus aut choraules.* Namque iis, ne frequentiore vocem concubitu corrumperent, ærea fibula circumligabatur, sicut et gladiatoribus, ne vires ipsi suas enervarent, et amasiis a pathico cuique suo vel a domina, ne in aliis virisve feminisve latus rumperent.

6. *Omnes an tibi.* Sic lib. VII, epigramm. XXXV, jam cit. vs. 6: « An sola est servi », etc.

7. *Ne videaris invidere.* Ne videaris ejus conspectum nobis invidere, tibi reservare, refibula servum tuum.

8. *Remitte.* Hoc est solve refibulo. Vide supra not. præced.

LXXVI.

AD PÆTUM.

Solvere, Pæte, decem tibi me sestertia cogis:
Perdiderit quoniam Bucco ducenta tibi.

1. *Pæte.* Qui nempe iratus quod a Buccone fraudatus fuisset, reliquos suos debitores aspere invasit, inter quos fuit Martialis; qui festive a Pæto petit, ut ducentis amissis, perdat adhuc decem quæ ipse debebat.

2. *Perdiderat* edd. vett. et Delph. et Farnab. « Gruterus e MSS. *Perdiderit* i. e. conturbarit. » *Schrevel.*

Ne noceant, oro, mihi non mea crimina : tu qui
Bis centena potes perdere, perde decem.

— *Perdiderit.* Hoc est, caussa tibi exstiterit cur perdas ludendo, quamvis aleæ furor minus tunc frequens quam hodiernis nostris temporibus.—*Decem, ducenta.* Quid pecuniæ nostræ id efficiat, monetarum tabula indicat quæ ad calcem voluminis primi subjicitur. Ed.

LXXVII.

IN VACERRAM.

In omnibus Vacerra quod conclavibus
Consumit horas, et die tota sedet,
Cœnaturit Vacerra, non cacaturit.

1. *In omnibus.* De Vacerra jam supra epigr. LXVI. Compescendæ autem alvi gratia sedere et remanere se fingebat, sed revera ut invitaretur quum cœna esset instructa. — *Conclavibus.* Vox multiplicis et varii sensus, proprie sumitur de parte domus quæ una clave tenetur. Mox de triclinio dicta fuit. Tum de cubiculis minoribus quæ triclinio adhærebant, et ubi vel vomebant cœnaturi, vel alvum exonerabant. Haud absimilis vox gallica *cabinet.* Ed.

3. *Cœnaturit.* Fictitia vox, meo judicio, nec Latina ante Martialem, ad imitationem τοῦ *cacaturit.* Istius modi autem terminationes desiderativum verbum indicant. Sic *micturire, esurire*, etc. Ed.

LXXVIII.

AD VICTOREM SPONSUM.*

Utere femineis complexibus, utere, Victor,
Ignotumque sibi mentula discat opus.
Flammea texuntur sponsæ, jam virgo paratur,

* *Ad Victorem* edd. vett. *Ad Vict. sponsum* ed. *Barb.*

1. *Femineis*, etc. Qui pathicus viriles tantum novit.

2. *Ignotum sibi opus.* Militiam nempe cum virginibus, quæ « nunquam puellis vixit idonea, » ut fere Horat. lib. III, od. XXVI, vs. 1. Ed

3. *Texantur* MS. in marg. ed. Paris. 1617. — *Paratur* Gruterus e MSS. *Parata est* edd. vett. et Delph. et Farnab. — *Flammea texuntur*,

Tondebit pueros jam nova nupta tuos.
Pædicare semel cupido dabit illa marito,
Dum metuit teli vulnera prima novi.
Sæpius hoc fieri nutrix materque vetabunt,
Et dicent, Uxor, non puer, ista tibi est.
Heu quantos æstus, quantos patiere labores,
Si fuerit cunnus res peregrina tibi!
Ergo Suburranæ tironem trade magistræ.
Illa virum faciet : non bene virgo docet.

etc. Flammeum erat velamentum luteum seu rubrum, quo nova nupta tegebatur pudoris gratia, vel in subjectionis symbolum.

4. *Tondebit pueros*, etc. Tondebit catamitos tuos tanquam emeritos et exoletos, postquam uxorem duxeris. Lib. XII, epigr. XVIII, vs. 24. — Cæsarie vero longa et huc illuc volitantibus cincinnis præcipue censebantur pueri, si qui dominis suis domini; at ubi aut sponte sua aut forcipibus hæc decidisset, jam viri putabantur. Horat. lib. IV, od. X, vs. 3, « Et quæ nunc humeris involitant deciderint comæ »; et Juv. sat. VIII, vs. 127 : « Si tibi sancta cohors comitum, si nemo tribunal Vendit Acersecomes »; id est Ganymedes (ex *a* privativo, κείρειν tondere, et κόμη cæsaries). Ed.

7. *Negabunt* cod. in marg. ed. Par. 1617.— *Nutrix materque*. Quæ scilicet mane a puella petent, Illa nox « quæ fuerit, qui complexus, quæ gaudia? »

11. *Suburranæ*, etc. Trade te instituendum meretrici cuipiam Suburranæ, quæ melius docebit te officium viri, quam nova nupta et rudis.

LXXIX.

AD PÆTUM.*

Ad primum decima lapidem quod venimus hora,
Arguimur lentæ crimine pigritiæ.
Non est ista viæ, non est mea, sed tua culpa,
Misisti mulas qui mihi, Pæte, tuas.

*Poeta hic Pæti mularum ridet tarditatem, dum simulat se veniam suæ moræ postulare.

1. *Qui* MS. in marg. ed. Paris. 1617.— *Ad primum lapidem*. Ad tuam villam mille passibus distantem ab Urbe veni hora decima, id est, duabus horis ante noctem.

3. *Quidem* pro *viæ* edd. vett.

4. *Mulas tuas*. Tardissimas nempe.

LXXX.

DE BAIIS. *

Litus beatæ Veneris aureum Baias,
Baias superbæ blanda dona Naturæ,
Ut mille laudem, Flacce, versibus Baias;
Laudabo digne non satis tamen Baias.
Sed Martialem malo, Flacce, quam Baias.
Optare utrumque pariter, improbum votum est.
Quod si Deorum munere hoc tibi detur:
Quid gaudiorum est Martialis et Baiæ!

* Laudarat Flaccus immodice Baias; nec quidem negat Martialis dignas laude; immo et pro dignitate nunquam satis laudari posse: malle tamen se Martialem, quam Baias affirmat; se enim Romæ distineri rebus multis, quibus posthabendæ aurei loci deliciæ et voluptates. Vult hic Raderus Martialem totum in hoc se prædicare, ut componat epigrammata, et volumen edat quo immortale sibi nomen pariat, quum menses et annos in Baiano sinu deliciis voluptatibusque democreret, unaque cum illis detereretur et periret. Quod ut verum esse potest, sic et dubitationem movere; neque sane unde id ille hauserit scio. Ed.

1. *Litus beatæ*, etc. Locum gratum, venustum, blandum, delicatum, lasciviæ, immo vitiorum diversorium. Lib. I, epigr. LXIII. — *Ut*, pro *quamvis*, *etiamsi*. Juven. sat. IX, 103: « servi *ut* taceant, jumenta loquuntur. » Ed.

5. *Sed Martialem*. Hoc est: Malo meæ gloriæ et valetudini et rebus meis servire, quam in sinu Baiano deliciis et voluptatibus indulgere. Vid. sup. not. 1.

6. *Improbi* edd. vett. et Maitt. et Farn. « Alii *improbum*, et sic Palat. » *Schrevel*. — *Optare utrumque*. Delicias nempe, et gloriam aut valetudinem. — *Improbum*, idem hic valet quod gallice, *exigeant*, *indiscret*.

7. *Hoc tibi detur*. Ut simul et sapientiæ et voluptatibus operam des, vel ut simul deliciis indulgeas et valetudini consulas. Vid. not. infr.

8. *Quid gaudiorum*. Hoc est, inquit Raderus, Quid nobis erit beatius, quibus contingat et Martialis simul et Baiæ: hoc est, ut sim Martialis auctor, et clarus scriptis meis, et simul otio Baiano beatus: vel, ut simul bene valeam, et Baianæ vitæ deliciis indulgeam; sicut tu, o Flacce, et bene vales, et Baianis voluptatibus una frueris. — Ego id superbe dictum puto, quasi innuat felicitatem esse hanc raram et plus quam humanam, Baiis simul et Martiale potiri. Ed.

LXXXI.

DE SPADONE ET SENE.

CUM sene communem vexat spado Dindymus Æglen,
Et jacet in medio sicca puella toro :
Viribus hic operi non est, hic utilis annis.
Ergo sine effectu prurit uterque labor.
Supplex illa rogat pro se, miserisque duobus,
Hunc juvenem facias, hunc, Cytherea, virum.

1. *Vexat.* Omnibus modis urget, lacessit, fatigat et voluptatis umbratili et irrita imagine discruciat.

2. *Sicca puella.* Nam in irrito est quidquid isti moliuntur. Quo sensu τὸ *sicca* optime intelliges, si ad contrarium *uda* animo revebaris, quod in hoc disticho, « Tu quoque nequitias nostri lususque libelli *Uda* puella leges, sis Patavina licet » Lib. XI, epigr. XVI, vs. 8. Ed.

3. *Hic utilis.* Legunt *hic inutilis* Farnab. Schrevel. et editor Delph. — *Hic operi non est.* Eunuchus : lib. VI, epigr. XXXIX, 21. Juven. sat. VI, 367.

4. *Prurit.* De labore nempe dicit quod proprie de laborantibus dicendum foret.

6. *Cytherea.* Venus, thalami præses. Cui id nomen datum quod Cytheræ prope Laconiam colebatur.

LXXXII.

DE PHILOSTRATO.

A SINUESSANIS conviva Philostratus undis
Conductum repetens nocte jubente larem,
Pæne imitatus obit sævis Elpenora fatis,

1. *Sinuessanis.* De Sinuessa dictum lib. VI, epigr. XLII; ubi erant balnea saluberrima, unde ebrius iste redibat conclave conductum et altum, quibus verbis Poeta clare significat illum fuisse pauperem.

2. *Nocte jubente larem.* Sera jam nocte, quæ domum suam repetere monebat.

3. *Elpenora.* Unum ex Ulyssis sociis, qui quum ebrius per scalarum gradus lapsus esset, periit. Videre

Præceps per longos dum ruit usque gradus.
Non esset, Nymphæ, tam magna pericula passus,
Si potius vestras ille bibisset aquas.

est de hujus fato Hom. Odyss. x.

4. *Præceps*, etc. Dum ebrius ruit e scalis per quas conscendit ad conductum cœnaculum.

5. *Non esset*, etc. Non hoc illi accidisset, o Nymphæ Sinuessanæ, si vestras bibisset aquas, quæ vel insaniam abolent. Plin. lib. XXXI, cap. 2. Vide epigr. Antipatri lib. III Anthol. cap. 20.—Aut potius, quæ ebrietatem non gignunt; innuit enim ebrium convivam.

LXXXIII.

AD SOSIBIANUM *

NEMO habitat gratis, nisi dives et orbus, apud te.
Nemo domum pluris, Sosibiane, locat.

* *In S.* ed. *Barb.* Hominem exagitat qui liberi animi ex eo videri cupit quod gratis multos domo sua accipiat. — At pecuniosos duntaxat et senes et orbos, ait Noster. ED.

1. *Nemo.* Hac enim nova arte divitum atque orborum hæreditates captabat.

LXXXIV.

DE ANTIOCHO TONSORE. *

QUI nondum Stygias descendere quærit ad undas,
Tonsorem fugiat, si sapit, Antiochum.
Alba minus sævis lacerantur brachia cultris,

* *Ad Antiochum tonsorem* edd. vett. et Delph.

1. *Qui nondum*, etc. Huic geminum est Lucilii epigramm. εἰς κουρέας 11; Anthol. e. 26, Ἄρες Ἄρες βροτολοιγὲ, etc.

3. *Orba* Vat. et cod. in marg. ed. Par. 1617. — *Lacerantur*, etc. Sacerdotes in sacris Isidis, et Cybeles Phrygiæ Deæ (quam eamdem cum Iside esse volunt) cultris sibi humeros, pectus et lacertos sauciabunt. — *Alba brachia* dicit ob exhaustum sanguinem. Tac. Ann. XV, cap. 64, de Paullina Senecæ : « Et ore ac membris in eum pallorem

Quum furit ad Phrygios enthea turba modos.
Mitior implicitas Alcon secat enterocelas,
Fractaque fabrili dedolat ossa manu.
Tondeat hic inopes Cynicos, et Stoica menta,
Collaque pulverea nudet equina juba.
Hic miserum Scythica sub rupe Promethea radat,
Carnificem nudo pectore poscet avem.
Ad matrem fugiet Pentheus, ad Mænadas Orpheus;
Antiochi tantum barbara tela sonent.
Hæc quæcumque meo numeratis stigmata mento,

albentibus, ut ostentui esset, multum vitalis spiritus egestum. » Ed.

4. *Ad Phrygios modos.* Hoc est, ad strepitum tympanorum; primum vero in Phrygia Cybeles sacra a Corybantibus celebrata sunt. — *Enthea.* Hoc est, plena spirante dea, ἐνθουσιάζουσα; ab ἐν, in, et θεός, Deus.

5. *Alcon.* Chirurgus quidam: ἐντεροκήλη herniæ genus est: lib. X, epigr. LVI, vs. 7: « Enterocelarum fertur Podalirius Hermes. »

6. *Dum dolat* Vat. — *Fabrili dedolat*, etc. Dura et gravi, instar fabri, non molli et tonsoria.

7. *Cynicos, Stoica menta.* Philosophi promissas alebant barbas, graves et venerandas, quas sæpe vellit Lucianus, et pluries Noster, cum satiricis dramaticisque omnibus, ab Aristophane ad ævi nostri scurras.

8. *Collaque*, etc. Detondeatque equorum jubas. — *Juba.* Crines sunt ex equorum atque aliarum bestiarum collo pendentes. — *Pulverea*, etc. Quia currentes pulvereos globos circum attolli faciant, quorum usque volant in currentium jubam particulæ.

9. *Stygia* in codice Vaticano. — *Scythica*, etc. Quod jam explicitum lib. Spect. epigr. VII, vs. 1, et lib. IX, epigr. XLVI.

10. *Duro* MS. Beverl. *Pascat* edd. Par. 1617. Maitt. Barb. — *Poscet avem.* Prometheus libentiori animo præbebit jecur laniandum aquilæ, quam mentum radendum Antiocho. Ὑπερβολικῶς, at lepide.

11. *Pentheus.* Echionis, regis Thebarum, atque Agaves filius, quem, Bacchi sacra contemnentem, mater ipsa cæteræque Mænades sæve interfecerunt. — *Ad matrem*, etc. Ab hoc fugiet vel ad matrem suam Agaven Pentheus, a qua dilaniatus est: ab hoc fugiet Orpheus ad furentes Bacchas, a quibus discerptus est.

12. *Antiochi barbara tela sonent.* Sonum edebant semper Veterum novaculæ quoties ii raderentur; ut fit tamen optimis, si quæ hodie fabricantur, novaculis. Unde id Juv. I, 25: « Quo tondente, gravis juveni mihi barba sonabat. » Ed.

13. *Numeraris* Vat. *Numeratis* edd. vett. et Maitt. — *Stigmata.* Ad hæc Farnabius: « Notas impressas atque incisiones intellige, quales habent servi stigmatiæ, de quibus lib. II, epigr. XXIX. »

In vetuli pyctæ qualia fronte sedent,
Non iracundis fecit gravis unguibus uxor;
Antiochi ferrum est, et scelerata manus.
Unus de cunctis animalibus hircus habet cor;
Barbatus vivit, ne ferat Antiochum.

14. *Vituli pyctæ* cod. Thuan. Legit Schrevel. *pictæ;* edd. vett. et Maitt. *picta;* Barb. *Pyctæ.* — Nugatur Farnabius cum suo picto stigmatia. Verum est *pyctæ*, quod restituit Gruterus. Nec vult ille *Pycten* nomen esse pugilis. Immo *pyctes* vocabulum commune et significat pugilem. Sic gallus gallinaceus pyctes. Sic Phædrus, lib. IV, fab. XXIV, vs. 4: « Simonides idem ille, de quo rettuli, Victori laudem cuidam pyctæ ut scriberet, Certo conduxit pretio. »

17. *Unus de cunctis*, etc. Certe supra hominem adeoque omnia animalia hircus sapit, qui mavult prolixam pascere barbam, quam subire rudes manus et barbara tela tonsoris Antiochi. Καὶ τράγος εὐπώγων εὔστολός ἐστι Πλάτων, Anthol. lib. II, cap. 52.

LXXXV.

IN ZOILUM.

Sidere percussa est subito tibi, Zoile, lingua,
Dum lingis certe, Zoile, nunc futues.

1. *Sidere percussa.* Lib. VII, ep. XCII et supra epigr. XXVI, XXXI et LXI quorum in ultimo: « Partem gulosam solvit indecens morbus. »

2. *Nunc futues.* Idem fere est ac quod in supra citato epigr. LXI, vs. 9. « Gaudete, cunni; vestra namque res acta est. »

LXXXVI.

IN PARTHENOPÆUM. *

Leniat ut fauces medicus, quas aspera vexat
Assidue tussis, Parthenopæe, tibi;

* In virum qui morbum simulans delicata tantum et exquisita edebat, et quem gula potius laborare quam tussi ait Noster.

Mella dari, nucleosque jubet, dulcesque placentas,
Et quidquid pueros non sinit esse truces.
At tu non cessas totis tussire diebus.
Non est hæc tussis, Parthenopæe : gula est.

3. *Mella dari.* Præscribunt enim medici dulcia ad sistendum moderandumque humorem—*Nucleosque jubet.* Pineos. *Pityida e pinastris, singularis remedii adversus tussim. In melle decoctos nucleos...*, et quæ sequuntur. Plinius, lib. XV, cap. 10.

4. *Et quidquid pueros.* Hoc est, ea omnia bellaria, quibus pueri lugentes placantur, aut truces mitescere solent.

6. *Hæc.* Quid si legas *hoc tussis ?* quærit *de Rooy.* — *Gula est.* Tussis enim, ut tibi dentur bellaria.

LXXXVII.

AD CHARIDEMUM.*

Dives eras quondam : sed tunc pædico fuisti,
Et tibi nulla diu femina nota fuit.
Nunc sectaris anus : o quantum cogit egestas !
Illa fututorem te, Charideme, facit.

* *Caridem.* Ald. Junt. Colin.

2. *Nota.* Hoc est, amata.

3. *Sectaris anus.* Scilicet in urbe omnium spurcissima et in quam « cuncta undique atrocia aut pudenda confluunt celebranturque » (Tacit. Annal. lib. XV, cap. 44) « utile et hoc multis vitæ genus » (Juven. sat. IX, 27); « in cælum quos evehit optima summi Nunc via processus, vetulæ vesica beatæ. » (Id. sat. I, 38. Ed.)

LXXXVIII.

DE CHARISIANO.*

Multis jam, Lupe, posse se diebus
Pædicare negat Charisianus.

* *Caris.* Ald. Junt. Col. *Malis* exhibet ed. *Barb.* Alios quoque id legere notavit Farnabius. Scriptura nostra longe melior.

Caussam quum modo quærerent sodales,
Ventrem dixit habere se solutum.

4. *Ventrem dixit.* Qua imprudenti excusatione usus fatebatur se pati solitum, non agere. Non absonum quod supra in Glyceræ amatorem quemdam jecit, qui cur amica non potiretur interroganti « respondit Glyceræ dolere dentes ». Lib. XI, epigr. XL. ED.

LXXXIX.

AD POLLAM.

INTACTAS quare mittis mihi, Polla, coronas?
A te vexatas malo tenere rosas.

Τί πρὸς ἔμ' ἐκπέμπεις, ὦ Πῶλα, στέμματ' ἄθικτα;
Βοῦλομ' ἔχειν ῥόδα σαῖς χερσὶ τριβέντα καλαῖς.

1. *Intactas quare*, etc. Amatoribus quippe gratiores corollæ, quæ amicas quasi olerent et saperent, quam quæ recentem spirarent fragrantiam. Unde istæ meretriculæ vexatas corollas et poma adrosa amatoribus mittere solebant. Lucian. Toxaris. Amatores vero corollas et rosas in limine amicarum dissipare solebant atque relinquere, quum ibi diu excubuissent. Ovid. lib. III, Art. Am. vs. 71 : « Nec tua frangetur nocturna janua rixa ; Sparsa nec invenies limina mane rosa. » Sed et januam ornabant et coronabant hisce rosis et corollis.

XC.

IN CHRESTILLUM.

CARMINA nulla probas, molli quæ limite currunt,
Sed quæ per salebras, altaque saxa cadunt.

1. *Molli quæ limite currunt.* Versus duos Horatii imitatus qui lib. I, sat. X, vs. 1 : « Nempe incomposito dixi *pede currere* versus Lucili » ; mox : « Magis factos et *euntes mollius*. »

2. *Sed quæ per salebras.* Hoc est, Non amas versus teneros et molles, sed duros atque asperos.

Et tibi Mæonio res carmine major habetur,
 Luceilei columella heic situ' Metrophan' est.
Attonitusque legis, terrai frugiferai;
 Accius et quidquid Pacuviusque vomunt.
Vis imiter veteres, Chrestille, tuosque poetas?
 Dispeream, si scis, mentula quid sapiat.

3. *Et tibi.* Sic Gruter. ex MSS. *Quod majus* pro *res major* edd. vett. et Maitt. et Farn.—*Et tibi Mæonio,* Et tibi magis placet Lucilii seu negligentis alterius et lutulenti poetæ carmen, quam altum, grande, sonorum Homeri. Vide Cerealii lib. Anthologiæ, epigr. 11, cap. 46, et Antipatri ep. cap. 47.

4. *Lucilius* cod. Beverl. *Colum.* habet Maitt. *Colum.* dat *Metrophanes'st Barb.* Alii ut nos, *Lucilei columella heic situ' Metrophan' est.* Cæterum *Lucili Colum. hic situs Metrophanes* edd. vett. et Farnab. *Columella* nomen propr. esse censet Calderinus, negat Georgius. — *Luceilei.* De Lucilio Horatius lib. I, sat. IV, 8: «Durus componere versus: Nam fuit hoc vitiosus, etc.» Domitius existimat Columellam Metrophanem servum Lucilii fuisse: sed Georgius censet columellam non esse nomen proprium, ut apud Veteres majoris domus servos dictos fuisse columellas, quasi columina. Judicet lector.

5. *Attonitusque*, etc. Nec sine admiratione legis veterum poetarum duriora verba et hiantia, qualia hæc *terrai frugiferai* ex resolutione diphthongi. — Scilicet Romanæ civitatis temporibus primis usitatum fuit casus generantis terminationem, quæ in *æ* dehinc versa fuit, in duas syllabas *ai* desinere. Sic Lucretius, lib. I, vs. 85, sq. «Triviai virginis aram Iphianassai turparunt sanguine.» Et lib. I, vs. 1109, «ultima naturai.» Item versus est Ennii, cujus is finis «terrai frondosai.» Eos nonsemel secutus Maro, Æneid. lib. III, 354, *aulai;* VI, 747, *aurai;* VII, 464, *aquai.* Ed.

6. *Accius et Pacuvius.* Antiqui fuerunt poetæ, ut Lucilius, lutulenti et duri.

8. *Ni* cod. in marg. ed. Par. 1617. Et hinc contrarius...—*Si scis.* Alii, *ni scis*, hoc sensu: Tu qui laudas durum carmen, nihilominus molliter vivis. Vel sic interpretare vulgatam lectionem: Tam bardus es, ut acumen versus teneri non sentias. — Quare hic ἀλληγορίαν tantopere sectentur nescio. Nonne innuit potius simpliciter vitium quod jam sæpe exagitavit? Et his consonum quiddam lib. IX, epigramm. XXVIII in Chrestum quemdam, qui fortean idem ac noster nunc Chrestillus. Tunc erit *quid sapiat* pro *quam malum sapiat*, si *ni* legas; pro *quam dulce* si, ut prius. Et hoc ego prætulerim. Quanquam non id necessarium, et non tam in voce una duritiem, quam in factitando versu imperitiam et inelegantiam venatur; quod in versus clausula *quid sapiat* occurrit. Quid enim pentametro inelegantius, cujus in fine vox τρισύλλαβος? Ed.

XCI.

EPITAPHIUM CANACES.*

Æolidon Canace jacet hoc tumulata sepulcro,
Ultima cui parvæ septima venit hyems.
Ah scelus, ah facinus! properas quid flere, viator?
Non licet hic vitæ de brevitate queri.
Tristius est leto leti genus: horrida vultus
Abstulit, et tenero sedit in ore lues;
Ipsaque crudeles ederunt oscula morbi;
Nec data sunt nigris tota labella rogis.

Αἰολίδος Κανάκη τύμβῳ ὑπὸ τῷδε τέθαπται,
Ἕβδομος ᾗ χειμὼν ἔπλετο τέρμα βίου.
Φεῦ, ξένε, τοῦ ἄγεος! τί δ' ἐπείγῃ δάκρυα βάλλειν;
Οὐ νῦν μεμπτέα σοὶ τὴν βραχύτητα βίου.
Δεινότερός γε μόροιο μόρου τρόπος· ὄψιν ἀφεῖλον
Τὸ στόμα λειχῆνες πᾶν ἐπινειμάμενοι·
Αὐτά τε νηλειεῖς δάψαντο φιλήματα νοῦσοι.
Οὐδ' ὁλόκληρ' ἐδόθη χείλεα πυρκαϊῇ.

* Puellæ septennis immaturum deplorat fatum, et funere ipso tristius morbi genus.

1. *Æolidos* edd. *Barb.* et Par. 1617 in cujus marg. unus codex notatur qui sic legit, et alter qui dat *Æolis heu.* Vid. not. inf. — *Æolidon.* Alludit Poeta, ut aiunt interpretes, ad Canacen regis Æoli filiam, cujus meminit Ovid. Trist. II, 384, et Ib. 359.

2. *Ultima.* Septennis nempe functa fato est; cadit vero τὸ *ultima* adjectivum non in *hiems* sed in *venit*, quanquam quoad flexionem et casum et genus τo *hiems* sequatur. Sic Hor. lib. I, od. XI, vs. 4, sqq. « Seu plures hiemes, seu tribuit Jupiter ultimam, Quæ nunc oppositis debilitat pumicibus mare Tyrrhenum »; Ubi *ultimam* non refertur ad *hiemem* (subaud.), sed ad *tribuit*.

4. *De brevitate.* Sed licet conqueri de mortis genere; misere enim periit Canace cancro corrosa.

6. *Lues.* Aphtha, cancer, mentagra. Lib. I, epigr. LXXIX.

7. *Cærulei læserunt* cod. in marg. ed. Paris. 1617; *læserunt* et MS.

Si tam præcipiti fuerant ventura volatu,
Debuerant alia fata venire via.
Sed mors vocis iter properavit cludere blandæ,
Ne posset duras flectere lingua Deas.

Εἰ δ' ἄρ' ἐπιπτᾶσθαι τόσον ἐς τάχος αὐτίκ' ἔμελλον,
Ἄλλῃ ἂν ὤφειλον κῆρες ἐπελθέμεναι.
Φθᾶσα δὲ Μοῖρ' ἀγανῆς ἀπέκλεισε διέξοδον αὐδῆς,
Κάμψαι ἵν' ἀστόργους μή ποτε γλῶσσα θεάς.

Beverl. — *Ipsaque crudeles*, etc. Crudelis morbus serpit exeditque os Canaces.

10. *Alia via*. H. e. nec vocem intercludere, nec tenellum os corrumpere.

11. *Claudere* codex manu scriptus in marg. ed. Paris. 1617.

12. *Deas*. Parcas nempe, quæ illacrymabiles licet atque exorari nesciæ, puellulæ voce tam blanda flecti potuissent.

XCII.

IN ZOILUM.

Mentitur, qui te vitiosum, Zoile, dixit.
Non vitiosus homo es, Zoile, sed vitium.

1. *Dicit* MScript. in marg. edit. Par. 1617 et *Barbou* ed. — *Mentitur, qui te vitiosum, Zoile, dixit*. Excusans Zoilum, magis enim accusat. Neque enim iis quæ in excusationem profert contumeliis contumeliæ magis adjici potest. Ut et laudis nihil bis Taciti, Annal. lib. XVI, cap. 21 : « Trucidatis tot insignibus viris, ad postremum Nero *virtutem ipsam* exscindere concupivit, interfecto Thrasea Pæto et Barea Sorano, etc. » His proxima ἀντίθεσις vel, si ita vocare volueris, gradatio in Aristæneti Amatoriis ubi vide V. C. *Boissonade* : Ἐνδυομένη μὲν αὐτὴ εὐπρόσωπος ἦν, ἐκδυομένη δὲ πρόσωπον αὐτό; hoc est : « Stolata quidem, pulchra erat, sed posita stola ipsa pulchritudo. Ejusdem ingenii est vox, quæ occurrit apud magnum *Corneille* : *Sais tu que ce vieillard fut la même vertu.*

Le Cid, act. II, sc. II.

XCIII.

DE THEODORO. *

Pierios vatis Theodori flamma Penates
Abstulit : hoc Musis, hoc tibi, Phœbe, placet?
O scelus, o magnum facinus, crimenque Deorum,
Non arsit pariter quod domus, et dominus!

* *In Theodorum* ed. *Barb.*

1. *Vatis*, etc. Poetæ scilicet, sed mali. Cui dum incendium domus condolere videtur, per imprecationem queritur noster poeta quod non et ipse dominus una cum ædibus perierit.

2. *Et tibi* habet codex Beverl.

XCIV.

IN VERPUM ÆMULUM. *

Quod nimium lives, nostris et ubique libellis
Detrahis, ignosco : verpe poeta, sapis.
Hoc quoque non curo, quod, quum mea carmina carpas,
Compilas : et sic, verpe poeta, sapis.
Illud me cruciat, Solymis quod natus in ipsis,

* *In v. poetam* ed. *Barb.*

1. *Lives.* Invides.

2. *Detrahis.* Famam et laudem deminui cupis.—*Verpe poeta, sapis.* Judæe, recutite. Verpus, λειπόδερμος, in Gloss. vid. lib. VII, epigr. LXXXII, 6, et quæ monuimus ad Juvenalem, sat. XIV, vs. 105. Ed.

3. *Quod tu mea carmina carpas, Compilas* Gruterus. Hoc restituit ex tribus codd. Priora sic ait exstare in Pal. optimo : *quod quum carmina carpas* : versu debili, quem conjicit suppleri : *quod quum mea carmina carpas.* Ita autem, ut ille conjecit, omnino legimus in MS. Pircheimeri : *quod, quum mea carmina carpas, Compilas*, id est, Quum publice illa reprehendas, clanculum compilas, et integros ex illis versus suffuraris.

4. *Corripias* edd. vett. et Delph. et Farnab.

5. *Solymis*, etc. Urbe Judææ celeberrima, quæ et Hierosolyma nominata, et Salem, et Jebus.

Pædicas puerum, verpe poeta, meum.
Ecce negas, jurasque mihi per templa Tonantis.

7. 8. *Ecce negas*, etc. Erit itaque hic poetæ sensus. Scio ego vos Judæos projectissimam esse ad libidinem gentem, ut ut religione, commercio, officiis, et concubitu alienorum abstinere professam : scio itidem apud vos profana esse omnia, quæ apud nos sacra : scio apud vos ipsos fidem esse obstinatam, adversus alios levem. Scio nihilo vos prius imbui, quam contemnere deos alienos, vestrum solum colere, vereri, respicere, etc. Tacit. Histor. lib. V, cap. 5. Quoniam itaque te suspectum habeo pro scarabæo, κανθάρῳ τοιαῦτα κυλίνδοντι, non credo tibi neganti per Templum jurato, ut qui nulla te hic religione aut perjurii pœna teneri putes : verum adigo te ad juramentum per Deum vestrum, per quem jurato tibi credam. *Clariss. Seldenus* in Prolegomenis ad pernitissimæ eruditionis opusculum, *De Successionibus, seu Jure hæreditario Hebræorum*, etiam tendit ulterius, conceptum scriptumque a poeta versum hunc autumans ad hunc modum : *Non credo ; jura, verpe, iperam chiolam*. Ut integra sit juramenti formula. — *Verpe per Anchialum*. Hic locus mirum in modum vexatus est a viris doctis Seldeno, Vossio, Petito, et aliis quam plurimis. Nec tamen de sensu ambigitur. Quidquid enim scripturæ legatur, scribatur, linquatur, proponatur, reponatur, patet hic voluisse Martialem in id jocari quod nec Deos nec fidem læsuros sese Judæi crederent si per Deorum gentilium nomina pejerarent. Videatur supr. init. not. Sed quid *Anchialum?* Isne hebræorum Deus? idne sacramentum? Vult *de Rooy verpe poeta, Chiel*, s. *Chai-El*, quod fuit juramentum in usu Judæis. « Instituta est collatio ab Is. Vossio ad ed. Gryph. A. 1585 e codice, ut videtur, Thuani, laudato ad VI, x, xii, et XI, viii, xiv præsertim ad P. Melam, I, pag. 63, ubi ita : « Optimus codex Thuani, jam ante octingentos annos (Sæc. VIII) exaratus, qui excerpta continet Martialis epigrammata, legit hoc loco *anchalium*. » Locus est XI, xcv (xciv), ubi pro *Anchialum* ascribitur Thuan. *Anchalium*. Servatur hæc in Biblioth. L. Bat. » *Epistola quam, ad se scriptam*, præfigit suæ ed. *de Rooy*. Omnino legendum est : « Non credo ; jura, verpe, per ancharium. » Ancharius vel ancarius est asinus. Ἀχθοφόρον Græci interpretantur Ἀγγάριον, accipiuntque istud vocabulum æque de jumento atque homine ἀχθοφόρῳ. Similiter sagmarius vel saumarius de utroque accipitur. Utitur hac voce Lucilius : « Hæc inquam rudet e rostris atque elulitavit, Concursans veluti ancarius, clareque quiritans. » Hinc Ancharia familia, et quemadmodum Asellia. *Vossius*. — *Per Anchialum*. Omissis quæ hic Domitius Calderinus de statua et numine Sardanapali in Anchiala urbe Ciliciæ culto ; et quæ Hermolaus ad Plinii lib. V, cap. 27 ; quæ etiam N. Rigaltius de Anchialo, quem ipsius Martialis puerum fuisse autumat : attende clarius (τόγ' ἐμοὶ δοκοῦν) lumen et acumen Jos. Scaligeri in Prolegom. ad li-

Non credo : jura, verpe, per Anchialum.

bros de Emendatione temporum; ubi de Tyriorum et Sidoniorum dialecto disserens; *Et sane*, inquit, *mirum est illis sanctissimum fuisse jusjurandum* Korban, *ut Judæis* Chaiala *vel* Chaiadonai. *Sed tempore Martialis pronuntiabant* Chiala : *Jura, verpe, per Anchialum. Quia Judæos audiebat* Chiala *jurare; propterea putabat esse* Anchialum, *quod vox* Anchialus *notior illi fuerat quam* Chiala. Cujus ingeniossisimi viri expositioni subscribo, nisi quod poetam posuisse Anchialum pro notiori vocabulo (fueritne illud magi, herois, numinisve ficti nomen?) inficias eam. Quin immo totum hoc et integrum fuisse Judæorum juramentum contendo.

XCV.

AD FLACCUM.

Incideris quoties in basia fellatorum,
In solio puto te mergere, Flacce, caput.

1. *Basia fellatorum*. Ista enim fugit. Nec abscedit Juv. sat. VI, 50 dicens paucas quæ « Cereris vittas contingere dignæ, Quarum non timeat, etc. » Vid. sup. pag. 630. Ed.

2. *Solium* cod. in marg. ed. Par. 1617. *Solium puta* Gruter. legit ex Palat. — *Solio*. Adi lib. II, ep. XLII

XCVI.

AD GERMANUM.*

Martia, non Rhenus, salit hic, Germane: quid obstas,
Et puerum prohibes divitis imbre lacus?
Barbare, non debet, summoto cive, ministro
Captivam victrix unda levare sitim.

* *In G.* Ald. Junt. Colin.

1. *Martia*, etc. Hæc, o Germane, est e nostra Martia, non ex tuo Rheno deducta aqua; ut ejus potu interdicas ingenuo civi. De aqua Martia dictum lib. VI, epigr. XLII, vs. 18. Sensus igitur totius epigrammatis est, Romanos victores a Germanis devictis non esse arcendos ab aqua Martia.

3. *Non debet... ministro*, etc. « *Ministri* lego, h. e. captivi et famuli, qualis tu es. » *Gronov.*

4. *Captivam*. Tui captivi. — *Victrix unda levare sitim*. Martia, ducta in urbem Germaniæ victricem.

XCVII.

IN THELESILLAM.*

Una nocte quater possum : sed quatuor annis
Si possum, peream, te Thelesilla semel.

* *In Thelesinam* Ald. Junt. Colin. et *Thelesina* vs. 2.

1. *Possum.* Nullo additamento quo quid ille possit indicatur, sed patet; ut in hoc lib., epigr. LVIII, vs. 1, «Quum me *velle* vides», patet quid velit; et in iambico fragmento supposititio Apuleii, « Nobis Cupido *velle* dat, *posse* abnegat. » Ed. — *Quatuor annis.* Oppositis dictionibus acumen semel, et quater; quatuor scilicet annis, et una nocte. » *Domitius.*

2. *Possum .... te.* Notandus ille cum τῷ *possum* accusativus. Dixerat quidem Horatius Epod. XII : «Inachiam ter nocte potes, mihi semper ad unum Mollis opus.» Et ipse, lib. III, epigr. XXXIII, vs. 3, «Possum Hecubam, possum Nioben »; mox, ejusd. lib. ep. LXXVI, vs. 4 : «Quum possis Hecubam, non potes Andromachen.» Ed.

XCVIII.

AD BASSUM.*

Effugere non est, Basse, basiatores.
Instant, morantur, persequuntur, occurrunt,
Et hinc, et illinc, usquequaque, quacumque.
Non ulcus acre, pustulæve lucentes,

* *Ad Bassum de basiatoribus* editio *Barb.*

1. *Effugere non est.* Non licet effugere, nulla ratione, consilio nullo poteris effugere. — *Basiatores.* Lib. VII, epigr. XCV, vs. 2, et lib. II, epigr. X.

2. *Morantur, persequuntur, occurrunt.* Ut ille quem narrat lib. I, sat. IX Horatius, vix sibi notum et amicitiæ ita intrepidum ut ambulantem poetam detineret et usque *persequeretur.*

4. *Pustulæ.* Alios legere *pusulæ* notat Schrevel. — *Non ulcus acre*, etc. Nullum genus morbi, ulceris aut contagii deterrebit eos quin intrepide basient te. — *Pustulæve lucentes.* Flavæ enim et quasi pellucidæ.

Nec triste mentum, sordidique lichenes,
Nec labra pingui delibuta ceroto,
Nec congelati gutta proderit nasi.
Et æstuantem basiant, et algentem,
Et nuptiale basium reservantem.
Non te cucullis asseret caput tectum,
Lectica nec te tuta pelle veloque,
Nec vindicabit sella sæpius clusa.
Rimas per omnes basiator intrabit.
Non consulatus ipse, non tribunatus,
Sævique fasces, nec superba clamosi
Lictoris abiget virga basiatorem.
Sedeas in alto tu licet tribunali,
Et e curuli jura gentibus reddas,
Ascendet illa basiator, atque illa;
Febricitantem basiabit et flentem;
Dabit oscitanti basium, natantique;
Dabit et cacanti : remedium mali solum est,
Facias amicum, basiare quem nolis.

5. *Triste mentum*. Mentagra. Supra ep. XCVIII, vs. 5, et lib. I, ep. LXXIX, vs. 2. — *Lichenes*. Qui e genere cancri. Gallice, *dartres*, *grateile*.

6. *Cerato* alios legere Schrev. monet. Sic legit cod. in marg. ed. Par. 1617, ubi notatur : « Græce tamen dicitur κήρωτον. » — *Nec labra*. Delibuta unguento e cera, aut cerussa, ad fissuras et ulcera. *Farnabius*.

7. *Congelati*. Lib. VII, ep. XXXVI.

9. *Nuptiale reservantem*. Hoc est, atque eum basiant, qui pura sua oscula servat uxori, vel sponsæ.

10. *Auferet* cod. Beverl.

11. *Tuta pelle*, *veloque*. Lecticæ autem pellibus velisque muniebantur. Lips. Elect. lib. I, cap. 19.

12. *Vendicabit* edd. vett. et Delph. et Farnab. In marg. ed. Par. 1617 notatur : « Fort. *vindicabit*. »

15. *Senique* dat Schrevel. et ait : « Palat. legit *senive* (hoc dat edit. *Barb.*), nec dubito intelligi præturam. » — *Sævique fasces*, etc. Prælati nempe prætori a lictoribus. Nam prætores, qui quidem amplissimi post consules magistratus, sex lictoribus utebantur. — Linquendum omnino *sævi*, licet hinc quasi pleonasmus oriatur; veluti diceret : neque consularis fastigii dignitas, neque fasces.

18. *Curuli*. Sella eburnea, qua sedentes magistratus jus dicebant.

23. *Facias amicum*. Ut basiis nihil sit opus, quibus tuam sibi amicitiam conciliet basiator.

XCIX.

IN LESBIAM.

De cathedra quoties surgis, jam sæpe notavi,
  Pædicant miseram, Lesbia, te tunicæ.
Quas quum conata es dextra, conata sinistra
  Vellere, cum lacrymis eximis, et gemitu.
Sic constringuntur gemina Symplegade culi,
  Et Minyas intrant, Cyaneasque nates.
Emendare cupis vitium deforme? docebo;
  Lesbia, nec surgas censeo, nec sedeas.

2. *Pædicant.* Adhærent tuis natibus.

5. *Sic constringantur.* Ita cod. in marg. ed. Par. 1617. *Si constringantur* edd. vett. et Delph. *Si constringuntur* ed. *Barbou.*— *Gemina Symplegade.* Symplegades scopuli sunt, de quibus lib. VII, epigr. XIX. Dicuntur Cyaneæ et Minyæ ob cursum quem illac Minyæ, id est, Argonautæ, tenuerunt. Valerius Flaccus, Argon. lib. V, 168. « Cyaneas Minyæ timuere relictas. » Cf. et Senecæ Herc. fur. vs. 1211, et Med. vs. 233.

8. *Nec sedeas.* Sed jaceas natibus supinis; quasi copiam tui omnibus datura qui venient.

C.

AD FLACCUM. *

Habere amicam nolo, Flacce, subtilem,
Cujus lacertos annuli mei cingant,
Quæ clune nudo radat, et genu pungat;

* *Ad Flaccum, qualem velit amicam;* ed. *Barbou.*

1. *Subtilem.* Gracilem, exilem, junceam.

2. *Lacertos annuli mei cingant:* καθ' ὑπερβολήν. Gallice *une guêpe.*

3. *Quæ clune*, etc. Quæ depygis, macilenta, et quasi nudis ossibus. Explicat nempe fusius *subtilem* vocem ultimam versus 1.

Cui serra lumbis, cuspis eminet culo.
Sed idem amicam nolo mille librarum;
Carnarius sum, pinguiarius non sum.

4. *Cui serra lumbis.* Cujus dorsi spina serram præ se ferat, itidem dentata — *Cuspis eminet culo.* Uropygium. Vid. lib. III, epigr. XCII, vs. 12. — Quas puellas Aristophanes ἱπολίσπους et λισποπυγεύς vocat. Notæ contra duæ virgines illæ quæ, quum pauperes et indotatæ, præclare tamen nupsere, quod duobus fratribus καλλίπυγοι repertæ sunt; cujus ad rei memoriam templum Veneri καλλιπύγῳ illæ posuere.

6. *Carnarius sum, pinguiarius non sum.* Puellam volo corporis quidem solidi et carnosam, non tamen pinguedine nimia tumidam gravemque.

CI.

AD FLACCUM. *

Thaida tam tenuem potuisti, Flacce, videre?
Tu puto, quod non est, Flacce, videre potes.

* *Ad eumdem* exhibet ed. *Barbou.* Nulla cæterum varietas deprehenditur in scriptura codd. et libb. prælo excusorum.

1. *Tenuem.* Idem quod proximo enarrat epigrammate, vs. 1, subtilem, exilem, depygem.

2. *Tu puto*, etc. Summa sane es oculorum perspicacia, qui tam exilem deprendere possis: vid. epigramma superius. Simile quoddam, quamquam de re alia agatur, in Gallico epigrammate de cujusdam literati ingenio :

Au microscope un chacun le peut voir.
Lainez, liv. II, epigr. XXVIII

CII.

IN LYDIAM. *

Non est mentitus, qui te mihi dixit habere

* Lydiam formæ quidem laudat, stultitiæ vero arguit, atque ut perpetuo conticescat, monet. Cf. lib. IX, epigr. V, quo, postquam aureolos duos ad Galliam emendam satis esse posse dixit, sciscitatur quam ob caussam illi denos dederit, et respondet : Ut taceat. Verum

Formosam carnem, Lydia, non faciem.
Est ita, si taceas, et si tam muta recumbas,
Quam silet in cera vultus, et in tabula.
Sed quoties loqueris, carnem quoque, Lydia, perdis;
Et sua plus nulli, quam tibi, lingua nocet.
Audiat ædilis ne te, videatque, caveto;
Portentum est, quoties cœpit imago loqui.

quidem est obscœnitatis nonnihil latitare et innui in citato epigram. nec per τὸ *tacet*, istius ultimam vocem, silentium duntaxat indicari. At silentium indicatur; et magis quidem quam alind quodlibet. Ed.

2. *Carnem quoque.* Nam injucundis atque insulsis tuis sermonibus corporis pulchritudinem deturpas: ant simpliciter intellige deformitatem oris Lydiæ, dum loqueretur. Cætera, contrarium exstat epigr. illud lepidissimo disticho quod libri VII penultimum est: « Tacta places; audita places; si non videare, Tota places; neutro, si videare, places. » Vid. quæ hic notantur. Ed.

7. *Ædilis.* Expiabat portenta, et imaginem loqui portentum erat: idcirco autem Lydiam vocat imaginem, quod formosa quidem esset, sed immobilis, atque illecebris careret. De Ædilis muneribus lib. V, epigr. LXXXIV.

CIII.

AD SOPHRONIUM.*

Tanta tibi est animi probitas orisque, Sophroni,
Ut mirer fieri te potuisse patrem.

Εὐγενὲς οὕτως κ' ἐγκρατὲς ἐν σοὶ, Σωφρόνι', ἦθος,
Ὥστε με θαυμάζειν πῶς γενετὴρ γέγονας.

* *Ad Sophonium* et *Sophoni* ed. Schrevel. — At melius *Sophronium* et *Sophroni*, quum nomen hoc modesti et sancti viri indicet modestiam et sanctitatem; namque græce σώφρων, modestus.

1. *Tanta animi probitas orisque.* Tam pudicus revera es, et tam pudicum indicat vultus.

2. *Ut mirer.* Te ita alienum Veneri, rem habuisse cum uxore, atque ex ea suscepisse liberos.

CIV.

IN UXOREM.

Uxor, vade foras, aut moribus utere nostris;
Non ego sum Curius, non Numa, non Tatius.
Me jucunda juvant tractæ per pocula noctes;
Tu properas pota surgere tristis aqua.
Tu tenebris gaudes : me ludere teste lucerna,
Et juvat admissa rumpere luce latus.
Fascia te, tunicæque, obscuraque pallia celant;
At mihi nulla satis nuda puella jacet.
Basia me capiunt blandas imitata columbas;

1. *Aut moribus*, etc. Quasi divortii causa sit inæqualitas morum, vel in uxore magis probatorum quam in viro.

2. *Non ego sum C. nec N. nec T.* edd. vett. et Delph. et Farnab. — *Non ego*, etc. Non sum continens, castus, pudicus, quales Curius, Numa, et Tatius. De quibus sæpe dictum est.

3. *Tractæ per pocula noctes.* Ducta in plurimam noctem convivia, et lagenæ quas, ut Horatii Manliana, « Gratiæ Vivæque producent lucernæ, Dum rediens fugat astra Phœbus » Horat. l. III, od. xxi, vs. 22.

5. *Tu tenebris*, etc. Immerito utrumque diceret Naso, qui diem cupit et imperat dubium, Amor. I, v, 5 : « Qualia sublucent fugiente crepuscula Phœbo, Aut ubi nox abiit, nec tamen orta dies. »

6. *Rumpere latus.* Ἐν τῷ τῆς πολυχρύσου Ἀφροδίτης ἔργῳ. Eadem voce Juvenalis quoque utitur sat. VI, 37: Litigat et queritur quod *Et lateri parcas*, etc.

7. *Fascia te, tunicæque*, etc. Sic Gruterus e MSS. pluribus. Cui consentit Bodleian. Sic et cod. in marg. ed. Par. 1617. *Tunicæque tegunt obscuraque palla* edd. vett. et Delph. et Farnab. — *Fascia te*, etc. « Ad talos *stola* demissa, et circumdata palla Plurima, quæ invideant pure apparere tibi rem. » Horat. lib. I, Sat. II, vs. 99.

8. *Jacet.* Sic MS. in marg. ed. Par. 1617 ubi notatur. : « *Patet*, antitheton celandi, probatur magis. » — *Jacet.* Vox propria de iis qui jam in lecto. Quasi dicat : nunquam tam nuda est, quin magis nudam esse optem.

9. *Imitata columbas.* Lasciva, qualia sibi ingeminant columbæ et passerculi salaces Lib. XII, epig. LXV, infra : « basioque tam longo Blandita

Tu mihi das, aviæ qualia mane soles.
Nec motu dignaris opus, nec voce juvare,
Nec digitis; tanquam thura merumque pares.
Masturbabantur Phrygii post ostia servi,
Hectoreo quoties sederat uxor equo.
Et quamvis Ithaco stertente, pudica solebat
Illic Penelope semper habere manum.
Pædicare negas : dabat hoc Cornelia Graccho;
Julia Pompeio; Porcia, Brute, tibi.
Dulcia Dardanio nondum miscente ministro
Pocula, Juno fuit pro Ganymede Jovi.
Si te delectat gravitas, Lucretia toto
Sis licet usque die; Laida nocte volo.

quam sunt nuptiæ columbarum. »

10. *Aviæ qualia mane soles.* Casta, qualia sibi invicem libant οἱ συγγενεῖς ἀσπάζοντες καὶ φιλοῦντες.

11. *Nec motu*, etc. Supra epigr. LX : « At Chione non sentit opus, nec vocibus ullis Adjuvat : absentem marmoreamve putes. »

12. *Tanquam thura*, etc. Tanquam pura, et rem divinam thure meroque factura. Ovid. Amor. III, VII 53 : « Sic surgit mane puella, Protinus ut sanctos possit adire Deos. »

14. *Hectoreo*, etc. Quoties Andromache et ipsa pudica per lascivum ludum Hectori insedit; vel allusum ad vers. 778 Ovid. III, de Arte : « Thebaia Hectoreo nupta resedit equo. » Et Flaccus lib. II, sat. VII, 50, « agitavit equum lasciva supinum. »

15. *Et quamvis.* Et Ulysse dormiente, illa castæ famæ Penelope erat λεσβιὰς τρίβουσα.

17. *Dabat hoc Cornelia Graccho*, etc. Verecundissimæ matronæ Romanæ non negabant illud maritis suis viris gravissimis : lib. IX, ep. LXVIII.

19. *Dardanio ministro.* Ganymede, qui Hebes locum in cælo obtinuit, nectar Diis et ambrosiam ministraturus.

20. *Juno.* Et ipsa castissima conjugii præses : at tamen, aliquamdiu sivit Ganymedis loco Jovem ipsa uti. Et hic nota, quam bene protervus poeta illa revocet quæ prius finxit; nam supra epigramm. XLIII. « Dixit idem quoties lascivo Juno Tonanti; Ille tamen gracili cum Ganymede jacet. »

21. *Lucretia.* Gravia et casta, ut Lucretia.

22. *Thaida* edd. vett. et Maitt. Recentt. omnes nostr. lect. Et quidem Laida prætulerim, cum ob nominis dulciorem amœnioremque sonum, tum quod meretricum illa omnium notissima et celeberrima Lais exstitit. — *Laida nocte volo.* Facilem et lascivam ut Laida, quæ memoratur a pluribus, tum antiquis, tum recentioribus.

CV.

AD GARRICUM.*

Mittebas libram : quadrantem, Garrice, mittis.
Saltem semissem, Garrice, solve mihi.

* Nihil variant in hoc epigr. aut membranæ aut libri excusi.

2. *Saltem semissem*. Nam per semissem seu selibram descendere debebas ad quadrantem. Vid. lib. VIII, epigr. LXXI.

CVI.

AD ALBIUM MAXIMUM.

Albi Maxime, si vacabit hora,
Hoc tantum lege : namque et occupatus,
Et non es nimium laboriosus.
Transis hos quoque quatuor? sapisti.

1. *Si vacabit hora*. Optimi codd. *si vacas habere*, proba lectio : *habere* enim notat *avere :* aitque si potes ferre, ut te inter postve alios salutem. Sic lib. I, epigr. LV. *Si quid, Fusce, vacas adhuc amari*. Gruterus. « Ego vero censeo scribendum, *haberi*. Habetur qui ab aliquo detinetur, qui alicui dat operam. Sic Terentius: *Quis heri habuit Chrysidem*. » Gronov. — *Vacas habere* ed. *Barb*. « *Vacas avere* Salmas. *Vacas ab ære* J. Vossius, qui rem acu tetigit : nam iste Albius Maximus præfectus erat ærarii. » *Beverl*.

4. *Sapisti*. Hos enim si legeres, notatam tuam inertiam animadverteres. — Credo ego hæc subirascentem Nostrum proferre; quasi diceret: Te, Albi, precor ut amicus et facilis mihi hæc legas. Non legis, caussas futiles prætexens : sapis quidem; sed nec facilis mihi es nec amicus. Sic fere lib. I, epigr. CXVIII.

CVII.

AD SEPTICIANUM.

Explicitum nobis usque ad sua cornua librum,
Et quasi perlectum, Septiciane, refers.
Omnia legisti: credo, scio, gaudeo, verum est.
Perlegi libros sic ego quinque tuos.

1. *Explicitum.* Apertum « ad cornua » hoc est, ad extrema usque verba: de cornibus quibus libri ornabantur, vid. notata ad lib. I, epigr. LXVII.

2. *Perfect.* edd. vett. Minus bene. Cætera nulla est varietas scripturæ.

4. *Sic ego.* Explicui nempe tuos libros, et rursus involvi quasi legerim; neque sane legi. Innuit nempe notum optime sibi, minime a Septiciano epigrammata sua lecta esse, qui poetæ tamen morem gerens volebat legisse videri.

CVIII.


AD LECTOREM.

Quamvis tam longo possis satur esse libello,
Lector; adhuc a me disticha pauca petis.
Sed Lupus usuram, puerique diaria poscunt.
Lector, solve: taces, dissimulasque? vale.

1. *Jam* ed. *Barb.* et alios sic legere notavit Farnab.

3. *Diaria.* Hoc est, quotidianum victum petunt servi. Editur in publicum liber, cujus empti pretium tu emptor promptus mihi des.

4. *Solve.* Id est libellum eme, et pecuniam da, qua et his obsonia et Lupo usuram solvere sufficiam. Vid. not. supra Ed. — *Vale.* Quum avarus fingas te non intelligere, quid rogem et mihi velim.



TABULA

RERUM QUÆ HOC SECUNDO VOLUMINE CONTINENTUR.

M. VAL. MARTIALIS EPIGRAMMATUM LIBER V.

M. VAL. MARTIALIS EPIGRAMMATUM LIBER VI.

M. VAL. MARTIALIS EPIGRAMMATUM LIBER VII.


M. VAL. MARTIALIS EPIGRAMMATUM LIBER VIII.

M. VAL. MARTIALIS EPIGRAMMATUM LIBER IX.

M. VAL. MARTIALIS EPIGRAMMATUM LIBER X.

M. VAL. MARTIALIS EPIGRAMMATUM LIBER XI.

FINIS SECUNDI VOLUMINIS.



Conditions de la Seconde Souscription.

La collection complète des *Classiques Latins* se compose de 150 gros volumes grand in-8 beau papier, imprimés par Didot, et entièrement publiés, à 4 fr. 50 c. le volume; total : 675 fr. au lieu de 1981 fr. 50 c., prix de la première souscription.

Les livraisons seront de 2 ou 4 volumes tous les dix jours, ou d'un plus grand nombre, au choix des souscripteurs. On versera, en souscrivant, 9 fr. imputables sur les deux derniers volumes. Pour les départements et l'étranger, chaque ballot de 10 volumes coûtera en sus pour l'emballage 50 c., et 75 c. pour 20 volumes; le port à la charge du souscripteur.

En prenant dès à présent livraison de toute la collection, les 150 volumes ne coûteront que 625 fr. y compris emballage et port pour la France; 330 fr. pour chaque moitié, et 170 fr. pour chaque quart de la collection.

Après les 25 premiers souscripteurs le prix sera porté à 6 fr. le volume.

Vu le petit nombre d'exemplaires on ne servira que les 50 premiers souscripteurs à la collection complète.

Quelques exemplaires des divers auteurs se vendent séparément au prix de :

vol.		fr.		fr.	vol.		fr.		fr.
1	Catulle,	6	au lieu de	16.	1	Properce,	8	au lieu de	16.
20	Cicéron,	100	—	305.	3	Quinte-Curce,	17	—	50.
3	Claudien,	11	—	37.	7	Quintilien,	35	—	94.
1	Florus,	6	—	13.	10	Sénèque, phil. et trag.	50	—	146.
3	Horace,	18	—	38.	2	Silius Italicus,	10	—	32.
1	Justin,	6	—	16.	4	Stace,	20	—	61.
3	Juvenal et Perse,	16	—	49.	2	Suétone,	14	—	36.
2	Juvénal seul,	12	—	32.	3	Térence,	16	—	38
3	Lucain,	16	—	38	1	Tibulle,	6	—	16.
3	Martial,	16	—	48	13	Tite-Live,	65	—	163.
10	Ovide,	60	—	125.	2	Val. Flaccus,	10	—	27.
	1 Les Métamorphoses				3	Val. Maxime,	13	—	33.
	en grec,	6	—	16.	1	Vell. Paterculus,	6	—	16.
2	Phèdre,	12	—	37.	8	Poetæ minores,	36	—	113.
4	Plaute,	21	—	61.	4	César.			
13	Pline l'ancien,	65	—	186.	1	Corn. Nepos,	Ne se vendront pas séparément.		
	2 La zoologie avec				1	Salluste,			
	notes de Cuvier,	12	—	30.	6	Tacite,			
2	Pline le jeune,	10	—	25.	9	Virgile,			

SOUS PRESSE :

T. LUCI ÈCE, servant de complément à la Collection.

2 VOLUMES, qui seront livrés aux souscripteurs à la collection complète, au x des autres volumes.

B. Quelques volumes incomplets de la première souscription circulant dans le commerce, n ne garantit que les exemplaires revêtus de la présente couverture et provenant de seconde souscription

Imprimerie de H. Fournier et comp., rue de Seine, 14.

